

NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
12
13 0
18


NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
55
4 K
1
ROMA

QVADRIPARTITVM MELANCHOLICVM,

Gaſparis Marcucij Nobilis Lucenſis.

QVO VARIAE QVAESTIONES

DE MELANCHOLIAE MORBO, ESSENTIA, Differentijs, Cauſis, Prognoſi, curatione habentur.

ET PLVRA DE MORBO HYPOCONDRIACO veris Melancholicorum Somnijs, & Amantium Melancholia innoteſcunt.

OMNIA PHILOSOPHICIS, HISTORICIS, eruditisque locis referta.



ROMAE,

Ex Typographia Andreæ Phæi M D C X L V.

SVPERIORVM PERMISSV.

Sumptibus Hermanni Scheus.

Imprimatur si videbitur Reuerendiss. P.M. Sac. Pal. Apost.
I.B. Eps Camerin. Vicesgerens.

DE Ordine Reuerendiss. Patris Fr. Reginaldi Lucarini Sacri & Apostolici Palatij Magistri accurate perlegi Quadripartitum Melancholicum Perill. & Excellentiss. Philosophię & Medicinæ Doctoris D. Gasparis Marcuccii Nobilis Lucensis, opus quidem omni scientiarum genere cumulatissimum; In quo nihil Ortodoxæ fidei dissonum, aut a bonis moribus alienum inueni; Imò non solum tanquam Medicinę studiosis vtilissimum, cunctisq; alijs maximè iucundum, publica lucis vsura dignissimum iudicaui. Dat. Romæ die 20. Septembris 1642.

Ita est Dominicus Guidarellus Almę Vrbis, ac totius Status Ecclesiast. Protomedicus Generalis

Imprimatur. Fr. Reginaldus Lucarinus Sac. Pal. Apost. Mag.

EXCELLENTISSIMO SENATVI LVCENSI

P.P.F.

GASPAR MARCVCCIVS.



Vadripartitum Melancholicum à me annis lætitiæ fabrefactum, Excellentissimo Senatui Lucensi offero: Nec me quisquam arguat tradentem tristia non enim tristia, quæ iuuenilia studia, fuerunt dicenda sunt, imò læta potius appellanda, quę tristibus remedia præstant, & melancholica infringunt. Cæterum & Excellentissimo Senatui optimo meę Patrię Principi meritissimo Moderatori, & Sapientissimo Gubernatori opusculum hoc dicare animus fuit, non tantum ob sancitam legem, omnia Deo, & Patrię hominem debere, maximam

quidem, & omnes animos coarctantem, ſed quia ab ipſo tanquam optimo elargitore beneficijs quamplurimis & honoribus in dies me refertum agnoſcam. Tantillum quidem eſt, quod offero, ſed ſi optabiliora vota retulero non hæc tantum paucula verum etiam maiora libentiſſimè dabo: Tu interim, ò terque, quaterque optimè imò millies & millies Sapientiſſimè, & Inuictiſsimè Libertatis Princeps hilari fronte aſpicias, & accipias quod tibi do, dedico, & conſacro. Vale, iterumque Vale Lucę Kal. Octobris MDCXLIV.

QVADRIPARTITVM Melancholicum.

GASPARIS MARCVCCII Nobilis Lucensis.

PARS PRIMA.

An Melancholia sit principum actionum deprauatio cum timore, & tristitia? Caput I.



MELANCHOLIAM esse affectum, qui mentem lædit, non sine graui animi molestia, atq. auersione à rebus charissimis docemur ab authore libri definitionum medicarum, & Galen. 13. cap. eius libri, qui Medicus inscr bitur, melancholiam mentis alienationem esse fat tur, vnde melancholicos tenebriones, ac lucifugas, tristesq; de omnibus suspiciosos, hominum consuetudinem odentes, ac solitudinibus gaudentes apparere ait; prætereà cap. 7. lib. 3. de loc. aff. narrat inter melancholicos alium esse, qui se testam esse factum putat, alium, qui gallos cantare audiens, eos brachiorum plausu, & cantu imitabatur, alium, qui metuebat, ne Athlans cælum substinere posset, ità vt ex his omnibus manifestè appareat in melancholicis principes actiones deprauatas esse; Ampliùs huic præternaturali affectui timorem, ac tristitiam adnecti non negabit ille qui legerit metum, & tristitiam tanquàm signa pathognomonica melancholiæ constituta fuisse ab Hippocrate, & eum imitante Galen. 6. aph. 23. vnde & 3. de loc. aff. iàm citato melancholicos timorem nunquàm deserere scripsit Galenus idem, & hoc rationi valde consonum est, nàm fit hæc affectio ab humore melancholico, qui niger, & ater est, atræ autem bilis color (vt citato loco Galenus edocet, mentis sedem tenebris similem reddens timorem efficit, quemadmodum externæ tenebræ omnibus ferè hominibus pauorem inducunt, nisi vel audaces admodùm, vel docti fuerint) idq; confirmauit etiam 2. de sympt. caus. cap. vlt. his verbis: Ergo cū tenebræ rationalis animæ parti sunt circumfusæ, necesse est hominem temere, vt qui semper vna cum corpore suo timoris causam circumferat; vbi autē timor, ibi & tristitia necesse est, timentes enim animo semper anguntur, & tristantur propter vel imminens sibi, vel præsens malū, quod mente reuoluunt;] Fuit tamen ingeniosissimus, ac doctissimus

vir Hercules Saxonia Patauinus,qui non ſemper in melancholia timorem,& mœrorem adeſſe,nec in ea ſemper deprauari Principes actiones exiſtimabat,quod vt confirmaret,tria melancholicorum genera adducebat,vnum in quo melancholici,neque inſania,neque mœrore,aut timore laborant. Alterũ in quo prauas habent imaginationes ;non tñ timent aut triſtantur . Tertium deniq. in quo triſtes,ſed non timidi melancholici ſunt . In primo genere reponebat eos,qui ſine arte,& ſtudio futura vaticinantur,quos Cicero 2. de Diuinat.inſanos vocat;inque horum ſerie Caſſandra Troiana, Mopſus, Mantho, & alij fuerunt, ſic qui ſine præceptore,& ſtudijs Aſtronomiam,aut Philoſophiam,aliamuè artem,aut ſcientiam ſibi ipſis comparant,melancholici vocantur;quemadmodum Aretæus 1.Acut.6. hos omnes furore agitatos fuiſſe docet, quos tamen ſi quis rectè,& attentè animaduertat; neque inſania laborare,neque proinde timore,aut mœrore affectos inueniet,dicebat ille; nàm ſi de vaticinio fiat ſermo;quid quæſò inſaniæ in vaticinio? ſi quis ex indocto,& inerudito fiat doctus,& eruditus,quidnam erit in illo aut imaginationis,aut diſcurſus vitium? In ſecundo genere illos collocabat,qui ſe Principes,ac Reges eſſe fatentur: in his enim praua quidem imaginatio,nullus tamen timor,nullusq. mœror eſt; quemadmodum refert ſe inuiſiſſe nobilem Venetum, qui cunctas nobiles, ac pulchras mulieres ſui amantes eſſe,illumq. expetere dicebat perpetuo lætus, ac minimè timens. Tertiò tandem illam melancholiam enumerabat,quæ eſt vitium imaginationis cum mœrore,ſed ſine timore ; qualis eſt perditorum amantium melancholia;nàm in hoc decipiuntur iſti, quia ranam putent eſſe Dianam ; triſtantur præterea, quia deſiderata re potiri non valeant;numquam tamen metuunt: imò intrepidi ſunt; omniaque audent,& in cæteris maximè valent ingenio.Inter hos etiam ab eo recenſentur illi qui putant ſe eſſe teſtas,ſe eſſe mortuos;nã timor,inquit, eſt perturbatio futuri mali; triſtitia eſt timor ex conceptu mali; itaque qui inſunt in extremo omnium malorum nihil timent,quia nihil deterius expectant;quare melancholici qui iam credũt aut ſe eſſe mortuos aut ſe eſſe teſtas;nihil ampliùs timent.

Hæ ſunt rationes à doctiſsimo Saxonia adductæ,quæ tamen mihi neceſſariò concludere non videntur quandoquidem melancholicorum alij intra naturalis ſtatus,& ſanitatis limites reperiuntur;nec morboſi appellantur;alij verò qui naturalis ſtatus, ſanitatiſq. terminos egreſsi ſunt & morboſi dicuntur;illi melancholici quidem appellantur; quia circa propria ſtudia cogitabundi ſunt, & ſolitudinem amant vt ipſis incumbant; ſiq. timidi,& mœſti euadant interdùm id ſortiuntur imminuto,ac refrigerato propter vigilias,ac ſtudia natiuo calore, ac ſpiritu; non tamen ad id mœſtitiæ,aut timiditatis deuenient;quod in ipſis ne tantillum quidem deprauatas eſſe principes actiones commonſtret;ampliùs iſti facillimè quaſcunque artes,& ſcientias; præmonſtratas tamen aut ptoprijs ſtudijs addiſcunt; atra enim bilis ex Ariſtotele(vt ſuo loco vide-

videbimus) maximè ad sapientiam facit; & isti propria prudentia, & doctis coniecturis aliqua futura prædicere, seù vaticinari possunt; non tamen ignotis linguis loqui, nec varias scientias momento temporis addiscere; nec quæcunque futura prædicere valent; quare de his non tenet argumentum: si verò de melancholicis morbosis sermo fit, nec ipsis re vera argumentum quadrat; ad hos enim si nos conuertamur, illorum perfectò plurimos; imò ferè omnes nullo modo vaticinari quotidiana videmus experientia; sed hoc dixerunt antiqui. Obijciat aliquis, & Aristoteles etiam annuit 30. sect. probl. primo; de melancholicis enim morbosis intellexisse antiquos credere oportet, cum ipsos modò insanos, modò furore, modò atra bile percitos appellauerint; imò apertè hoc Aristoteles loco citato ait, hæcque sunt ipsissima verba: [In quibus per multa, & calida est atra bilis, ij perciti, & ingeniosi, amasij, propensi ad omnem excandescentiam, & cupiditatem, nonnulli etiam loquaciores, multi etiam propteteà quod ille calor sedi mentis in vicino est, morbis vesaniæ implicantur, aut instinctu lymphatico inferuescunt, ex quo Sybillæ efficiuntur, & bacchæ, & omnes qui diuino spiraculo instigari creduntur] ex quibus manifestè patet decipi virum doctissimum quando ait nihil insaniæ in vaticinio, nullumq. vitium rationis, aut imaginationis reperiri in ijs qui ex indoctis, & ineruditis docti, & eruditi euadunt: quid enim obstat aliquem excepto vaticinio, aut illa excepta scientia, in pluribus alijs dementare; deq. alijs pluribus deprauatè imaginari, & discurrere posse? quemadmodum Cassandræ, Baccantibus, & alijs antiquorum vaticinatricibus contigisse legimus? nàm Plutarchus in problem. sympos. ait, huius Dei (scilicet Bacchi) sacerdotes fœminas plerumq. fuisse, quæ nunc ab insania Menades, nunc ab impetu & furore Thyades, vel à Thya, quæ prima sacra Bacchi instituit, nunc ab intemperantia, morumque prauitate Bacchæ vocabantur. At ex his aliquis suspicans percunctari posset, an tales fuerint antiquorum prophetæ, ac sybillæ, & præsertim cum de Sybillis hoc annuat Aristoteles, cui verissimè respondendum est, nequaquam tales fuisse, sed diuino spiritu afflatas mente optimè constasse, atque infallibili modo futura prædixisse. Non ignorandum est autem in hoc non parùm aberrasse veteres, dum vates, ac futura prædicentes, & alios qui miranda efficiebant, melancholicos vocant, vt qui in humorē melancholicorum referrent ea quæ non naturali causæ, sed supernaturali veriùs tribuenda fuissent; nam si de sybillis, ac prophetis loquamur; hos diuino spiritu afflatos futura prædixisse scimus; si verò bacchas, cæterasque vates afferamus, & has cacodæmone obsessas vaticinatas fuisse credere par est; vnde optimè Montefortius in suis commentarijs ad illa carmina Virgilij in 6. Aeneidos:

Insanam, inquit, uatem aspicies, quæ rupe sub ima
Fata canit, &c.

ait violentiam spiritus, quo correpta vaticinaretur, cum non fari posset,

furore agitari cæpit in quo mentem phæbadis præscientia rerum futurarum dæmon ita complebat vt mentis impos statim horrendas ambages caneret; sic spiritus ille cor suo arbitrio finxit, quoties vatibus id genus ceù organis ad detinendos stultos mortales in caligine, & idolomania vteretur. Verùm facile fuit antiquis in hoc aberrare, tū quia corpora cacodæmone obsideri ignorabant, cum ne dæmones quidem reperiri vel crederent, vel dubij essent, tùm quia vt plurimùm eos, qui melancholia laborant, cacodæmones inuadunt, & in ipsis quæ humanū ingenium excedunt proferunt, quare non mirum si hæc omnia antiqui in melancholiam retulerint.

Ad exemplum verò illorum, qui se Reges, ac summos Principes putant respondendum est hoc melancholiæ nomen variè accipi posse, & præsertim strictè, vel largè; nàm melancholia largo modo sumpta, & ad desipientiam sanguineam, & ad maniacum delirium trahitur; si verò stricto modo sumatur, de ea tantum affectione intelligitur; in qua delirant ægri cum timore, & mœrore; quare si aliqui se Principes, aut Reges credentes non metuant, neque tristentur: (plus enim non secus, ac veri Principes veneno interfici metuunt) hi non verè melancholici, sed aut maniaci aut ex sanguinis vitio insani censendi sunt; prætereo quod sępè huiusmodi affectus commisceantur, quoniam & humores, à quibus efficiuntur, sępè commisceri solent, cuius rei nobis erit testis Galenus in 3. de morb. vulg. comm. 3. ægroto 15. dùm ità scribit: [Sanè uidetur hæc delirij speciem ex melancholia, & phręnitide habuisse mixtam; nàm hoc multa loquebatur, aut perpetuò tacebat, ostendit huiusmodi mixtionem; sed & hoc idem lib. 2. de diffic. resp. cap. 5. testatur; hæcque sunt illius verba [Quod igitur ab initio, & ad finem hęc ipsa (de Dealcis uxore loquitur) desipuerit, didicimus: neque enim una desipiētiæ species ipsi accidit, neq. uulgaris, sed multę & fortes, partim silenti, partim loquenti, & partim cum lachrymis, partim cum risu.

Quoad Amantium uerò melancholiam attinet (etenim & ipsi uerè melancholici appellari possunt, ubi eò usque creuerit amor, ut ipsorum imaginationem corrumpat) hos non solùm tristari, sed semper de re amata timere; nemo ignorat, cum de zelotypia prouenit, quamuis pro re amata tuenda intrepidi omnia audeant. Qui autem se mortuos, aut se testas esse putant; & si non maius, aliquod aliud tamen expauescunt malum; hinc Galenus dum uaria melancholicorum exempla proponebat; aliquem putantem se esse testam enarrabat, qui frangi metuens obuiam sibi uenientes euitabat, sic qui se mortuos existimant, quod eorū corpus à feris deuoretur, timere possunt; quemadmodum contigisse uidi cuidam Nobili presbytero Patauino, dùm in ea Vrbe sub doctissimo præceptore Benedicto Syluatico praxim exercebam.

Sed rursus aliquis obijcere posset, non esse necesse, ut deprauata imaginatione sequatur metus, & tristitia; nàm si in melancholia deprauatur imaginatio, & affectio cerebri; metus autem, & tristitia sunt passiones

nes cordis,ità ut necessariũ non sit affecto cerebro semper coafici cor.

Respondetur fortè necessarium non esse,ut affecto cerebro coafficiatur cor;sed necessarium esse, ut deprauata imaginatione circa tristia & timenda sequatur metus,& tristitia; quemadmodum deprauata circa lęta,lætitia,quæ pariter est cordis affectio,consequitur;nàm ad actus superiorum facultatum subsequuntur inferiorum actus; imò ad actum quemlibet irascibilis facultatis necessariò prequiruntur actus superiorum facultatum,qui apprehendant rem,circa quam uersantur actiones sub ratione boni,uel mali; atqui cum ex morbosa causa imaginatiua potentia lędatur, futuri mali opinione semel concepta, protinus irascibilis potentia mœrore,seu tristitia afficitur.

An solum imaginatio, vel etiam cum imaginatione ratio lędatur in melancholia? Cap. II.

PLures ex Medicinæ scriptoribus non imaginationem solum, sed sępe cum imaginatione rationem quoque lędi uolunt: alij modò imaginationem,modò rationem, & separatim lędi cōtendunt;alij tandem nullam aliam ex pręcipuis actionibus excepta imaginatione offendi asseuerant,&hi mouentur authoritate Galeni 2.de sympt.caus.c.7. scribentis melancholicorum deliria multarum esse specierum ex corruptis, scilicet speciatim imaginibus, quo loci nihil lęsę ratiocinationis meminit;eamdem autem sententiã, & ex Aetio, & ex Tralliano cōprobare sibi persuadent; ille enim lib.6. c. 9. ait melancholica deliria multiformia esse ob particulares corruptas imaginationes,hic uerò lib.1. c.17. scribit non omnes melancholicos eadem symptomata sustinere, neque similiter eisdem imaginationibus agitari. Hos postremos doctissimus Saxonia refellit ex eo quod Pueri,& Bruta melancholiæ non subijciantur;nam dùm melancholiã, non imaginationis solius, sed simul etiam rationis uitium esse opinatur,si solius (inquit)esset imaginationis uitium, & predicta melancholię subiecta forent, sed nos qui aliquo pacto solam interdum imaginationem (ut mox apparebit) in melancholia lędi posse non dubitamus; ostendemus etiam suo loco pueros melancholię subijci posse. Mihi sanè illorum sententia magis arridet, qui non solùm imaginationem, sed sępè cum imaginatione rationem lędi in melancholia arbitrantur; nam si ex Galeno 3.de loc.aff.c.7.(quod & experientia confirmat) quosdam melancholicos sibi mortem inferre habemus, quomodò ipsos deprauatam rationem non habere negabimus? & quamuis prellati authores deprauatę rationis non meminerint;non tamen ob id ipsam excludunt,fortè solius imaginationis mentionem fecerunt, quia hęc semper in melancholia deprauatur.Galenus tamen 2.de sympt.caus.loc.cit.cũ paulò inferiùs dicat melancholicorum nonnullos timere mortem,tùm alia quę non sunt timenda,nec alios deesse, qui mori uehementer expetant,

petant, & ampliùs atram bilem principium rationalis animæ occupare, non solum imaginationem, sed rationem lædi conſiteri videtur; imò ſi quis melancholicorum actiones intueatur, ex ipſis plurimos imprudentes animaduertet, ſed imprudentia ad læſam rationem pertinet; quẽ admodum prudentia eſt rectæ rationis opus. Sunt præterea viri doctiſſimi, qui volunt læſa imaginatione neceſſariò ſemper lædi & rationem; præcipuo rationis organo læſo, vt & ratio lædatur neceſſarium eſt: ſic enim videmus in naturalibus, & vitalibus actionibus, læſo vẽtriculo cibi coctionem, læſo corde pulſum ex neceſsitate lædi; nec dicat aliquis rationem, ſeù ratiocinandi actionem à ratiocinatrice facultate immediatè pendere, quæ cum ſui natura abſtracta, incorporea, & immortalis ſit, nullo modo organica cenſenda eſt, nec vllo modo indiget organo, vnde nec præallatum argumentum concludere: nos enim & ſi ſciamus facultatem illam incorpoream, & inorganicam eſſe; nõ ignoramus etiã eamdem ad hoc vt operetur indigere aliquo exiſtente in corpore, & ſibi phantaſmata ſubminiſtrante, nempè imaginatiua; hinc Ariſtot. 3. de an. t. 39. ſcribit intelligentem neceſſe eſt phantaſmata ſpeculari; idcircò ratiocinatrix iſta facultas, quoad propriam operationem conſiderata aliquam corporis partem non veluti ſedem (namque ſedes corporibus propriè competit) ſed veluti locũ in quo functiones proprias promat, ſibi vendicare dicitur, & cum imaginatiua in cerebro abſoluatur ex ſententia etiam Ariſtotelis propterea & non in cerebro intellectus, ſeù iſta facultas quodammodo locatur ex 18. ſect. probl. 1.

Hinc ergò colligitur læſa imaginatiua, ceu præcipuo rationis organo, neceſſarium fore, vt per viam cauſæ inſtrumentariæ diſcurſus, ſeù ratio quoque offendatur: quemadmodum & cõtra, læſa ratiocinatiua nos per viam ſigni cognoſcemus læſam eſſe imaginatiuam, quoniam ambæ hæ facultates ferè ſemper ſimul læduntur; hoc tamen diſcrimine, quia imaginatio per ſe: ratio verò per accidens læditur; ad læſionem ſcilicet vel imaginatricis, vel memoratricis etiam facultatis: hæ enim poſtremę tanquàm è ſinu materiæ emergentes gaudent proprijs organis, quę à morbificis cauſis immediatè affici poſſunt. Difficultatem tamen facere poſſet exemplum Theophili à Galeno allatum lib. de diff. ſymp. c. 3. in quo prudentiam, & rationem ſeruatam; imaginationem verò deprauatam fuiſſe colligit; deinde videmus quotidiè plures, qui hypocondriaca laborant, numquam in ratione, aut quam rariſsimè aberrare, niſi affectio iam progreſſa, vel conſumata ſit, ſed ſolùm triſtitia, & metu affici; imò iſti probè intelligunt metum, & triſtitiam eſſe citra occaſionẽ, & rationem: ergo manifeſtè videtur imaginationem lædi poſſe illæſo remanente diſcurſu. Tandẽ colligitur ex philoſopho lib. 2. de an. t. 154. imaginationes nihil magis lædere mentem, quã faciant picturæ, vt propterea ſicuti quiſpiam intuens picturam terrificam, ſi ſanus fuerit, ac prudens non veretur illam; ità & imaginationes internæ quamquàm multæ, & terrificę non perturbant mentem. Reſpondetur imaginationẽ dupli-

dupliciter lædi posse,vel quoad receptionem phantasmatum,& specierum oblatarum,vel quoad earumdem iudicium,si imaginatio lædatur solùm quoad receptionem,non autem quoad iudicium,tunc melācholici prauę illius obiecti imaginationi non assentiũtur ; quemadmodum euenit in prędictis hypocondriacis,& ideò integra fruuntur ratione; si verò imagiuatio non tantum quoad receptionem,verùm etiam quoad iudicium corrumpatur;tunc & discursum simul lædi necesse est, & hanc responsionem non alienam ab Aristotele censemus,cum ipse 3.de an.t.57.duplicem imaginationem constituat; sensitiuam vnam,alteram deliberatiuam ; ità vt sensitiua imaginatio sit quædam receptio speciei sensibilis receptæ in sensu communi,& oblatæ imaginationi separatæ à materia; deliberatiua verò sit illa quæ in specie iàm recepta format cōceptum amicitiæ,aut inimicitiæ;boni aut mali,fugiendi aut prosequendi;potest itaque in melancholicis affici imaginatio sensitiua,seruata,& illæsa deliberatiua,quæ si afficiatur,& ipsa ; discursum quoque lędi necesse sit. Sed quid de Theophilo ? in eo apertè læsa erat imaginatio,cū putaret,verè adesse tibicines in angulo cubiculi:(falsitatem enim imaginationis non agnoscebat) & tamen rectè ratiocinabatur,cum illos abijciendos esse deduceret? Fatemur quidem Theophilum non errasse in forma syllogistica: bonas enim deducebat consequentias,sed errasse in materia (& ob id peccasse in discursu,seù ratione;) materia autem sunt propositiones necessariæ,quas ipse omninò falsas concepit,& proptereà errorem quoque commisit in simplicium terminorum apprehēsione ; nàm illa prædicata attribuebat subiectis, quæ nullo modo erant attribuenda;[& ità ex accidenti,ex lęsione nempè imaginationis deprauata erat Theophili ratio circa illud àb imaginatione tamquam verū oblatum obiectum', seù phantasma de tibicinibus;sic & Aristotelis similitudo,quam inter imaginationes,&picturas habet tantùm verificari videtur de imaginationibus quoad receptionem,& non quoad iudicium læsis : hę enim cum ipsis assentiantur ęgri mentem peruertunt quemadmodum innumera melancholicorum testantur exēpla,& præsertim apud Gal.3.de loc.aff. c.7. Siquidem alius, vt in superiori quæstiuncula dicebamus testam se factum putabat ; atque idcircò obuiantibus cedebat ne collideretur;alter gallos cantare audiens, vt hi alarū ante cantum,sic ille brachiorum plausu latera quatiens gallorum cantum imitabatur,& tandem qui se mortuos existimant comedere nolūt; & ita inedia interficiũtur, hinc in omnibus istis imaginationem quoad iudicium lęsam fuisse ; & proinde rationis quoque offensam extitisse colligas . Sed non erit abs re examinare, an ratio lędi possit imaginatione illęsa;ità vt per se,& non ex accidenti lędatur cui satisfecerimus ostendentes hoc non posse contingere,declarata fortè sat erit præsentis quęstiunculæ veritas.

Post hęc scripta,conuenit me studiosissimus vir, qui quęstiunculā perlecta, statim impugnauit argutissimis rationibus diuisionem illam

in

in qua diximus imaginatiuam potentiam lędi interdùm tantum quò ad receptionem phantasmatum,non autem quoad eorumdem iudiciũ, & primò arguebat non posse fieri rectum iudicium ab imaginatione circa sensibiles species, si ipsarum praua receptio fiat in imaginatione,quia quotiescumq. fit aliqua lęsio in organo,vel est defectus ex parte obiecti, imaginatiua potentia,quę est organica,& materialis,non potest benè operari, sed quandò fit praua receptio phantasmatum fit lęsio in organo,& oritur defectus ex parte obiecti, ergò non potest benè operari. Secundò aiebat totam vim specierum consistere in repræsentando obiectum sensibile imaginationi;istę igitur,cum sint materiales & physicę, si in subiecto turbato, & caliginibus perfuso recipientur in se quoque turbabuntur, ac tenebris perfundentur: clypeum enim non habent,vt reijcere queant obscuritatem sui subiecti, ne in se etiam turbentur;ergò si prauè recipientur,prauè etiam repręsentabuntur;ergò,& prauum consequetur iudicium. Neganda vtriusq. rationis consequentia est,quia non rarò obseruarunt Medici lędi imaginationem quoad receptionem phantasmatum;nequaquam verò, quoad iudiciũ, nec mirum videbitur illi, qui rectè perpendet maiorem, & minorem actiuitatem morbificę causę; item maius, & minus robur imaginatiuę potentię,hinc fortè contingat causa morbifica minoris actiuitatis, quæ agat in potentiam validioris roboris,ità vt ista potentia etiam si coacta sit recipere caliginosum phantasma ob defectum, seù laborem instrumenti,nempè caliginosi spiritus,non tamen in iudicando illo,malè iudicare cogatur, quia illius pręcipuum instrumentum, nempè propriũ cerebri substantię temperamentum non afficiatur tali,tantaq.intemperie,vel alia labe, sub qua validum predictę potentię robur elangueat,& ità rectè illa quoad iudicium suas possit edere actiones. Res clarior reddatur exemplo. Repræsentetur quoddam terrificum spectrum pluribus hominibus eodem tempore,ex his alij magis, alij minus,alij nihil timebunt,vnde nam hoc? idem re vera est spectrum,non tamen idẽ robur variorum animorum,hinc viliori, & imbecilliori animo constantes metus incutit, qui ne quidem mouet robustiori animo præditos,sic ex spectris ab interna causa contingere par est; sed his, & aliam addamus rationem, quæ dubietates istas facili negocio diluat; omnes principes potentię,quę in cerebro suas actiones perficiunt, preter propriũ cerebri temperamentum, etiam animali spiritu tamquam instrumento vtuntur,& quo principaliores sunt, eò puriore,lucidioreque spiritu fruuntur,& vtuntur; imò, & eadem potentia ad nobiliorem actionem depurato magis spiritu vtetur,hinc imaginatiua potentia ad iudicanda phantasmata puriori,ac lucidiori spiritu vtetur,quàm ad ipsa recipienda. Hoc stante mirum non erit, si hęc potentia deprauari possit circa phantasmatum receptionem,non autem circa eorumdem iudicium quia etiam si obtenebretur ille impurior spiritus,quo vtitur ad species recipiendas;ille tamen quoad easdem iudicandas vtitur,cum tenuior,

ac

ac ſplendidior ſit,non tam facile ab eadem caligine obtenebratur;& id circò hoc mediante rectè adhùc imaginatio circa iudicanda phantaſmata procedere poteſt: Sed & vlterius acutiſsimus vir aſſerebat nullo pacto rationem ledi poſſe,vel deprauata imaginatione quoad iudiciū. Nam cōtra hoc dicebat facere,quod docet Ariſtoteles,in libris de An. de intellectu agente; ipſe enim illuſtrat phantaſmata; ergò licet ſit læſio in phantaſia ſuppleri poteſt per intellectum agentem, qui illuſtrā-do phantaſmata, poteſt quamcumque phantaſticam caliginem procul amandare,ac puriores ſpecies intelligibiles elicere,quas poſteà inijcit in intellectum poſsibilem,& ipſe intelligit iuxta ſpecies ſpirituales per agentem elicitas à phantaſmatibus illuſtratis,& quod intellectus agēs poſsit huic malo mederi,probatur,quia qui poteſt perfectius, poteſt,& imperfectius ſed intellectus agens exuit ipſa phātaſmata materialitate,& elicit ſpecies ſpirituales,ergò multo magis exuet caligine accidē tali,quam habent,ac certè videtur mirum (ſubdebat ipſe) quod materialitas eſſentialis non obſtet;læſio verò accidentalis in organo obſtet, ne intellectus ſuas liberas operationes exerceat. Reſpondetur quod quemadmodum argumētum à maiori ad minus optimè currit cęteris paribus,ità cæteris non paribus perditè corruit;quarè quemadmodum non eſt negandum intellectum perfectè editurū proprias actiones mediante optimo,& inculpato inſtrumento,ita hoc læſo,& deprauato illas prauè,& imperfectè ab eodem proferri neceſſarium eſſe aſſeuerandum eſt,vnde ceſſat mirari,cur inculpato inſtrumento materialitas eſſentialis non obſtet accidentalis cauſa organo vitiato, ac læſo. Certè niſi intellectui obſtaret organi, ſeù imaginatiuæ læſio, cum ille immortalis ſit, nec proinde morbificis cauſis ſubiectus,nūquàm innotuiſſet hic morbus, nec vnquam melancholia afficerentur homines, cum tamen hoc monſtro plures diuexari quotidiana nos doceat experientia.

An ſola ratio lædi poſſit. Cap. III.

OMnes actiones ab anima pendere mediātibus eiuſdem facultatibus apud omnes ſanæ mentis in cōfeſſo eſt, ità vt determinata actio à determinata facultate pendeat,quam præter facultatē requiritur etiam pars,in qua promatur talis vel talis actio,nec non inſtrumentum quo talis actio fiat;hæc omnia inquam ad perfectas edendas actiones requiruntur,quorum ſi deſit vnum,& actio ceſſat;ſi verò peruertatur, & actio quoq. peruertitur;ſic vt fiat imaginatio requiritur cerebrū (in hoc enim perficitur) requiritur facultas imaginatrix,requiritur, & inſtrumentum,quod quidem inſtrumentum duplex eſt,primarium alterum,& eſt cerebri temperamentum;alterum verò ſecundarium,& eſt ſpiritus animalis His igitur ità ſe habentibus cur non & ratio lædi continget,ſi cerebrum morbo corripiatur,ſi tēperamentum ipſius immutetur,aut animalis ſpiritus inficiatur,& opacus

reddatur? læsa parte, & instrumentis ad huiusmodi actionem necessariò concurrentibus,necesse est,vt & ipsa actio offendatur;vana tamen est ista argumentatio,iam enim superiùs ostensum est, ratiocinatricem facultatem tamquàm incorporeã , & à materia abstractam organo non indigere;si autem cerebrum,cum sit pars in qua fit ratiocinatio, corripiatur morbo,non solùm ratio,sed imaginatio simul,aut memoria lædetur,quarum vtraq.læsa potest esse in causa,vt noxam incurrat ratio.Sed dicet aliquis ratiocinatricis actionem fieri in media parte cerebri,imaginatricis in anteriori,quemadmodum scribit Galenus libello de oculis;modò cum pars anterior,vt ex Galeno colligimus 4.de loc. aff.c.2. lædi possit,&,si diù saltèm duret offensa,alteri cõmunicet affectionem, nulla est maior ratio,quin non possit affici media,& ad tempus saltem ita manere affecta non communicata alteri parti propria ipsius noxa quo casu poterit lædi discursus absq.læsione alterius actionis.Galenus similiter com.27.sect.1.Prorrhet.hanc rem comprobare videtur, dum ait,quod si humor in vna parte firmetur,fiet phrænitis, in qua erit vna symptomatis species,tùm naturæ partis,tam humoris virtuti peculiaris; si verò humor transfluat in cerebro ex vna parte in aliam seruatur species affectionis, sed pro parte affecta mutantur symptomata ,sed si mutantur symptomata;ergò modò imaginatio,modò ratio læditur,& consequentia Galeni est:paulò enim inferius hæc habet verba. [Quo autẽ modo in sensitiuis percurri,ità in ratione, mẽte, memoria, & cogitatione permutationes phrenitidis fieri videmus.Sed &]lib.de diff. symp.c.3.exemplũ extat de Phrænitico,qui vasa vitrea,& lanifici puerum proiecit,quo in phrænitico dixit seruatam esse imaginationem,& solum rationem fuisse læsam . Respondent huic exemplo nonnulli, ibi Galenũ obiter loquutum fuisse , quia in 4.de loc.aff.c.2.vbi speciatim de differentijs phrænitidis agit,non ait in illo phrenitico seruatã fuisse imaginationem,sed sensitiuam notitiam circa ea,quę oculis offerũtur,quare phreneticus ille,dùm singula vasa proprijs nominibus nuncupabat,non rectè imaginabatur,sed potiùs rectè memorabatur, imò tunc prauè imaginabatur,cum pueri præcipitium in phantasia perperam sibi proponens , optimum , esse falsò existimabat,& ità vna cum ratione imaginatio quoque in ipso erat deprauata. Alteram verò responsionem,& optimam meo iudicio attulit mihi Excellentissimus Biringuccius nobilis Senensis,dùm ipsi huiusmodi argumentum proposueram,nimirùm imaginationem lędi,vel in prima notione,seù prænotione,vel in secũda notione,seù subnotione,in allato Phrænetico à Galeno lædebatur,imaginatio non in prænotione: (rectè enim vasa, rèctè puerum existimabat) sed in subnotione,dùm & vasa,& puerum proijcere bonum esse prauè imaginabatur.Ad locum Prorrheth.adductum dicimus,quod si humor ab vna in aliam cerebri partẽ transfluat mutãtur quidem symptomata,vt modò imaginatio,modò ratio lædatur; sed imaginatio,& ratio ledun tur in eadem numero phrænitide:Aegri

enim

enim sermo modò versatur circa prauè imaginata, modò breui interposito spatio prauum discursum ostendit,& hoc rationi consonum est, quia si firmato humore in anteriori cerebri parte tātùm læditur imaginatio,minimè dubium est,quod ad alias etiam partes se extendente humore affectio augebitur,qua aucta,& plures actiones offendi credendum est; hinc incipiente delirio primùm imaginatio lædi solet, & eò vsque sola læditur,quousq. secundum phantasmatum receptionem tantummodò afficitur; progrediente autem morbo imaginatio quoq. vlteriùs,& secundum iudicium offenditur,& tunc ex accidenti etiam rationem offendi necesse est,vt præcedenti quæstiuncula tactum fuit,si alij aliter Galenum sentire velint, & ipsum decipi fateantur oportet; quandoquidem sola ratio lædi non potest læsa quacumq. cerebri parte cum facultas à qua pendet,tamquàm ea,quæ è sinu materiæ non educitur,nec indigeat organo,nec egeat loco tamquàm subiecto,sed in cerebro tantummodò dicatur esse,vt scholastici dicunt per operationē, præterea vt experientia patet,numquàm videmus solam rationem deprauatam in vllo delirij genere, nullum de hac re exemplum habemus;imò quod Galenus attulit de illo Phrænitico iàm manifestè falsū reperimus,nec mirum in hac re Galenum,vel deceptum fuisse,vel varia protulisse,quandoquidem an ista ratiocinatrix facultas esset omnimodè à materia abstracta ipse fuit anceps, cum animæ essentiā se prorsus ignorare fateatur lib.7.de vs.part. c.8. imò ipsam potiùs temperamentum esse putauit,vt pluribus in locis apud illum videre est,& præsertim lib. quod animi mores corporis temperaturam sequantur c. 3. vnde & Responsio patet authoritati ex 4.de loc.aff.desumptę, quāuis re vera Galenus nec principes actiones in distinctis cerebri partibus fieri voluerit,sed in tota cerebri substantia, quemadmodum patet lib. de art.med.c.12. vbi nullā sedium distinctionē facit; ampliùs 2.de motu musculorum c.6.affirmat partem animæ imaginatiuam,quęcumque ea sit hanc eamdem recordari, at si vna & eadem animæ pars, seù facultas imaginatur,& recordatur,quomodo ipsas in cerebro sedibus distingui dicemus? Superest,vt nonnullis rationibus à doctissimo Saxonia in suo de melācholia tractatu in contrariū adductis satisfaciamus, quarum altera est hęc: Imaginatio versatur circa speciem sensibilem absente obiecto,at melancholicorum affectiones versantur etiam circa speciem insensibilem: concipiunt enim speciem boni,vel mali fugiēdi, aut prosequendi,& ex specie sensata extrahunt;nec dicat aliquis bruta etiam extrahere,quia re uera bruta non extrahunt hos conceptus, sed ex proprietate naturę concomitanter, seù consequutiuè illos concipiunt, sic ouis inspecto lupo propriæ naturę instinctu lupi inimicitiā concipit, in melancholicis alia est ratio,nam ipsi intellectiuæ partis beneficio extrahunt huiusmodi conceptum in illo subiecto,quod re vera neque bonum,neque malum ipsis inferre potest,verbi gratia opinatur quis cælum aliquando casurum defatigato Atlante, at quis non nouit

hanc esse fabulam, Atlantem sustinere cęlum? Altera illius ratio est; quod imaginatio ex Arist.2.de an. neque affirmat,neque negat;cōponit quidem species sensibilium inter se, & illas quoque,quę numquam simul stare possunt,figit chimeram,sfingem,centaurum,& alia;non tñ affirmat,aut negat,melancholici omnes affirmant,& negant,at opinionem sequitur fides,fides non fit absque ratiocinio, ideo tandem opinio, fides, & ratiocinium, vt docet Aristot. loc. citat. à phantasia distinguuntur,& ad intellectum pertinent.Hęc vtraq. ratio discursum quidem deprauari concludit,sed eodem tempore,vel in eodem affectu non deprauari imaginationem,nequaquàm,quia & si in melācholicis, vel phreneticis affectibus intellectus extrahat à sensibilibus,&affirmet & neget;nihilominus non extrahit à sensibilibus, neque affirmat, neq. negat,nisi quæ ipsi deprauata imaginatio subministrauerit, sic melancholicus defatigato Athlante cęlum esse casurum ope intellectus deducit,quia Athlātem sustinere cęlum iam praué imaginabatur. Additur & doctissimi viri tertia ratio ex 2.de an.t.162. desumpta:ibi enim habet Aristoteles imaginationem regere bruta animantia, & aliquando homines,vbi intellectus obruitur passione, aut ægritudine, aut somno, intellectus igitur ęgritudine obrui potest, imò nisi propria ratione laboraret,corrigeret phantasiam.Respondetur non per se,& propria ratione intellectum affici (vt iam toties replicatum fuit) sed ex accidenti tantùm,nimirùm,vel læsa,vt plurimùm imaginatione,& non quoad receptionē tantùm phantasmatum,quo casu phantasiā corrigere potest, sed quoad iudicium etiam,vel interdùm memoria læsa, & hoc satis esse,ne possit corrigere phātasiam; Sed posset aliquis obijcere ex Philosopho 3.de an.t.20. passiuum intellectum sine quo nihil intelligimus, corruptibilem esse; at nihil corrumpi potest, nisi precedant preuiæ alterationes, quare si alterari; ergo & propriè ægritudine affici poterit intellectus; Pro diluenda obiectione vnum verissimū supponi debet;nimirum nos tunc impropriè loqui,quandò facultates lędi proferimus:cùm enim facultates sint animæ potentiæ quędam,& anima pati vel alterari nequeat, hinc & facultates ipsas impassibiles esse scimus, sed nomine facultatum lęsarum non facultates proprias, sed earūdem lęsas actiones intelligimus,namque actionem cum facultate sępe confundunt Medici;quemadmodum & nos in pręsenti, ac superiori quęstiuncula fecisse fatemur. Aristoteles tamen in allato contextu non de actione,sed de facultate verè intelligit,& hanc corruptibilem vocat,nō quia alterationem,aut ęgritudinem patiatur in nobis:(facultates enim quamuis sint de numero illarum emergentium de sinu materiæ, nō patiuntur ipsæ,sed temperamentum,aut potiùs, substantia partis temperamento donata,ex qua resultant,alteratur,& ęgrotat)sed corruptibilē inquam vocat,quia mortuo homine,& ipsa desinat esse;non tamen per intellectum passiuum intelligit illam animę rationalis partem, quę intelligibilia,intelligit,& quę cum intellectu agente totam animam con-

ſtituit, ſed per intellectum paſſiuum intelligit phantaſiam, ſicuti in 3. de an.com.33, optimè declarat Auerroes, quod etiam cōprobari poteſt ex ipſomet Ariſtot.eod.lib. t.4. cum enim ibi verba faciat de intellectu paſſiuo propriè ſumpto, ait huiuſmodi intellectum eſſe immixtū, quare niſi t.20. ageret de phantaſia, manifeſtè ſibi contradiceret Ariſtoteles; ſed de re difficillima ſatis, de qua ſi nihil, vel parū boni protulerimus, non mirabitur ille, qui viderit Ariſtotelem 2.metaph.t.1. dicentem, intellectum animæ noſtræ ſe habere ad ea, quæ manifeſtiſſima ſunt in natura, quemadmodum ſe habent oculi veſpertilionum ad lumen diei, modo ad magis medica accedamus.

Cur imaginatio in Melancholia potiſſimum lædatur. Cap. IV.

FOrtè ex nonnullis, quia cum humores, & vapores melancholici maxime ſint infeſti omnibus corporis partibus hos conentur à ſe expellere, quò fit, vt cum hi ſint depulſi in aliquam partē ignobiliorem, ibi facilè conquieſcant, & ſecundum ſui naturā, operentur; vnde cum pars anterior cerebri ſit cūctis alijs partibus debilior, & ignobilior, fiat, vt humores melancholici, eò detruſi ſiſtantur ac propterea imaginationem, quæ ibi collocata eſt, offendant? An fortè, quia in parte cerebri anteriori habitant Spiritus craſſiores, qui ſimilitudine humoris melancholici magis deturpati, & promptiores ad patiendum, conſequenter imaginationem, cui famulantur, ledant? Neutra ex dictis rationibus problema ſoluit, nam re vera, (& vt Excellentiſs. Iul. Cæſar Claudinus Bononienſis olim meus amatiſſimus Præceptor exactiſſimè oſtendit in appendice ad ingreſſum ad infirmos) actiones principes non magis in vna, quàm in altera parte, ſed in tota cerebri ſubſtantia fiunt, & proinde ſpiritus, qui craſſiores in anteriori parte reperiuntur (quamuis hoc in ventriculis verificetur, nam in cerebri ſubſtantia ſpiritus ſunt eiuſdem cenſus) non minus imaginatrici, quā memoratrici facultati inſeruire valent. Vera ratio eſt, tùm quia in huiuſmodi affectibus melancholicis, quemadmodum, & in phræneticis etiā, priùs ſenſus externi, & ſubinde communis, vitiari ſolent (hinc Galenus floccos, & feſtucas colligebat, dum febre ardente laborans parum abfuit, quin phreniticus euaderet) at vitiato ſenſu cōmuni facillimè phantaſia compatitur, cum ſint vnum & idem re; ratione verò ſint diuerſa tantùm, tùm quia (cum diſcurſus per ſe lędi non poſſit) ſi imaginatiuæ, & memoratiuę facultatis actiones inter ſe conferantur illius in agere, huius verò potiùs in quodam pati conſiſtunt, at facilius eſt in hoc caſu actionem, quàm paſſionem offendi, nam recordatio uerſatur tantùm circa præterita, & hæc iam ſunt impreſſa, ita vt facilè nō adeò deleri poſſint, vel aliter quam fuerint impreſſa repreſentari. Memoria igitur, & ſi difficilius, læditur, ſed an quemadmodū imaginatio, & ratio deprauantur in melancholicis, ita & in ipſis memoria deprauari poſſit, ſequenti quæſtiuncula diſputabitur.

An memoria deprauetur? Cap. V.


Vamuis in tractatione de phrenitide (ibi enim memoria manifestè læditur cum ægri aut mingere, postquàm matulam petierunt, aut linguam intromittere, vbi Medici iussu extraxerint, obliuiscantur) vel in proprio de læsa memoria tractatu potiùs huiuscemodi quæstiuncula locum haberet; nihilominus cum iam de aliarum principum actionum deprauatione egerimus, illā hic subnectere non displicuit, & præsertim cum non in paucis melancholicorum memoriæ offensa appareat: sæpè enim eorum quæ dixerant, aut egerint melancholico delirio correpti non recordantur. Sed quẽadmodum imminuitur in ipsis, ita & deprauetur, iam agamus. Communis omnium ferè opinio est memoriam non posse deprauari, nam cum memoratricis facultatis munus sit phantasmata, & ratiocinia tantūmodo recipere, & conseruare, & idcircò non in actione, sed in passione versari, profectò ex sui ratione deprauari nullo pacto potest; vel enim omnia recipit, & cōseruat; & hoc modo est pfectissima memorãdi actio, vel nō oīa, & ita diminuta est, vel nulla prorsus retinet, aut breuissimo tēpore & sic prorsus, aut ferè ablata dici debet; si verò prauas imagines, aut rationes prauas interdum retineat, tunc ex se non deprauatur, sed probè fungitur proprio munere, & peccatum omne reliquis facultatibus, quę sibi praua obiecta subministrarunt, acceptum refert. Contrariam nos tamen sententiam potiùs insectandam esse arbitramur: quod enim memoria potentia passiua sit, & ob id non corrumpatur, nequaquam rectè statuitur, aliud habet memoria munus, cuius vitio aberrare potest; & idcircò corrumpi: duplicem hinc actum memoriæ constituerunt Philosophi, vnum cum rerum simulacra quasi in thesauro adseruantur, & insistunt; ita vt imaginum adseruatio memoria sit, & hæc dicitur memoria patiens. Alterum cum quis affectionem illam, seù similitudinem alterius rei spectat, & intuetur cum temporis præteriti cognitione, quo facta est impressio; quippè tunc meminisse dicitur, ipsaq. spectandi actio memoria est, sed ratione à prima diuersa, illa quod imagines conseruet, hæc quod ex imaginis apprehensione, rem ipsam repræsentet, illa quidem passio & affectio quędam est; hæc verò actio, vnde memoria agens, & patiens; & huius rei amplissimū testem Aristotelem habemus lib. de mem. & reminisc. in calce tertij capitis, vbi hæc habet verba. [Cum igitur simul rei fit motus, & temporis, tunc memoria agit; vbi igitur actio erit, quam facultas organica efficiat, illa actio deprauari poterit, vnde Galenus actiones omnes tripliciter lędi asseruit, ablatè nimirùm diminutè, & deprauatè, nec mirum est memoriam corrūpi posse; quid enim vetat quo minus contrahi possit in organo memoriæ calida intemperies? quæ si contrahatur, necesse est eius actionem corrūpi: quemadmodū enim à frigida aboletur, & imminuitur; frigidi enim

e-

est torpidos reddere spiritus & immotos, sic à calida corrumpitur, calidi enim est exagitare & peruertere, vt hinc aliquis vnum pro alio referat, & vnius pro alio recordetur. Sed cur Galenus, & alij huius deprauatæ memoriæ nō meminerunt? Rńdetur Galenū, & si non explicitè de memoria deprauata egerit; eam tñ deprauari posse non negasse, & prę sertim cum lib. de fęt. format. c. 4. hæc habeat ad litteram. [In ijs, qui mēte, & memoria quomodocumque lęsi fuerint, &c. Si quomodocūq. ergò & deprauatè; præterea de ea Galenum, & alios expresse non meminisse dicendum est: quia vitiata, & deprauata operatione memoratricis facultatis, necesse est itē (vt adnotat Aetius ex Possidonij sententia) imaginatricis, & cogitatricis facultatis operationes corrumpi: neque enim hæ rectè possunt operari. si pperā memoria illis species subministret, quod & innuisse visus est Galen. 3. de loc. aff. c. 5. dum vniuersaliter loquens de memoriæ lęsione ait, qd memoriæ lęsio vnà cū læsione quadā rōnis fieri c· spicitur; sic nos qd ex defectu deprauatæ memoriæ euenit in vitiū rationis, & imaginationis referimus; nam quæ quis prauè memoratur non ex alio, nisi ex prauo discursu conijcere licet, ita vt discursus vitium existimemus id, quod potiùs deprauatæ memoriæ tribuendum foret; imò etiam sæpè decipi possumus, ea quæ quis prauè recordetur, ipsum prauè imaginari putantes; quapropter si nos deprauatam memoriam agnoscere non possimus nisi per deprauatas aliarum principum facultatum actiones, mirum non est si ad has tantummodò respexerunt Galenus, & alij, illa relicta silentio, quam & nos quoque hic relinquamus.

An semper in Melancholia cerebrum afficiatur? Cap. VI.



Rincipes actiones rectricium facultatum in cerebri substantia edi tanquam in pręcipua parte, illius temperatura veluti predictarum facultatum pręcipuo organo mediāte, apud Medicos sancitum est, qua cum temperatura pro ijs edēdis actionibus necessariò concurrunt animales spiritus; hi enim secundarium sunt instrumentum, quibus omnibus & calidum innatum, atque cerebri cōformatio inseruiunt. Exemplo sit oculus in quo visionis pręcipua pars est humor cristallinus, cum tamen ad hanc edendam & spiritus visorij, & totus oculus requirantur. Manifestum igitur sit nos per cerebrum non solam ipsius sùbstantiam, sed omnia prædicta intelligere, quę si rectè se habeant, atque secundum naturam, rectè prodibunt actiones; si verò ex his aliqua sint lęsa, ac pręter naturam se habeant, vt quoque lędantur actiones necessarium est. Cum igitur in melancholia non solum imaginatio, sed plures interdum ex principibus actionibus lędantur, vt cerebrum præter naturam afficiatur, fateamur oportet; deinde sicuti in phręnetide, quia pręter naturam cerebrum afficitur, actiones principes deprauantur, , ita & in melancholia cum de-

pra-

prauentur cerebrum offendi dicendum est; ac tandem si ex lædentibus, & iuuantibus Medici certa sumunt affectæ partis indicia. quænam certiora expectamus indicia, quod in melancholia cerebrum afficiatur, quàm vtilitas allata in huiusmodi affectu à remedijs humectantibus capiti administratis? quę topica remedia in principum actionum offensis,&illi quoque Medici adhibebant,qui in corde rationalem animam statuebant,vnde eos iure irridet Galen.3.de loc.aff.c.5. quod quasi aliter sentirent,quàm ore proferrent.Nec dicat aliquis Auicennam lib.3.fen.1.tr.4.c.18.scripsisse hanc melancholiæ ægritudinē maximè fieri à corde calido,& capite humido; quare caput humidum nō posse laborare intēperie sicca,quali donatus est humor malencholicus, nec insuper humore melancholico scatere posse, tùm quia in cerebro humido humor siccus generari nequeat,tùm quia si in ipso immoraretur,non humidum ampliùs,sed siccum euaderet cerebrum;& propterea in huiusmodi melancholia non affici cerebrum tanquam sedem huius affectus,sed potiùs cor. Nam respondetur caput humidum non per essentiam; (sic enim sicca intemperie afficeretur) sed ex consensu in allata ab Auicenna melancholia affici; imò quatenus humidum est promptius recipere potest ab alijs partibus,& à corde, pręsertim calido humorem,aut vaporem melancholicum, quorum neuter ad efficiendam melancholiam,quæ est per consensum,necesse est, vt diutiùs immoretur in cerebro, & ita ipsum ad sui temperiem trahat;sed sat est ad ipsum per interualla transmitti, quo tempore cerebrum ex ipsius deprauatis actionibus affectum conijcimus; præterea nisi ex melancholici humoris transmissione,vel melancholici vaporis effumatione non lędatur cerebrum, quoad sui substantiam, & temperiem,ipsum quoad animales spiritus lædi nobis sat erit, cum & hos ad ipsius perfectā constitutionē requiri iam supra sit explicatum.Sed huic omninò contrariam sententiam videtur Hippocrates afferre in lib.de morb.virg.dum ait ex impedita menstruorum purgatione sanguinem pre multitudine in cor resilire,atque ad septum transuersum, ibique stuporem quemdam inducere,vnde postmodum,& melancholia,& terrores ad insania suboriuntur; idem primo Prorrhet.inquit,dolores circa vmbelicum palpitantes mētis perturbationem ostendere, & Galenus in com. id tribuit septo trāsuerso flatuosum spiritum accipienti. Aristoteles quoque eamdem sententiam significat lib.3. de part. animal.c. 10. cum inquit, Vbi phrenes ex ventre inferiori propter vicinitatem attraxerint humorem calidum, atque excrementitium continuò mentem, sensumq. planè perturbant. præterea ex Auicenna loc.cit. si in corde propter ipsius intemperiem generantur spiritus vitales sylnestres,& obscuri, qui in cerebrum rapti melancholiam producant,hoc non cerebri,sed cordis vitio tribuēt omnes;Galenus tandem in art.med.c.35.de signis frigidi cordis loquens, inter alia proponit timorem, qui ex Hippocrate 6.Aph.23. est vnus ex proprijs characteribus melancholię:timor autem, vt colligitur ex Ga-

leno

leno 3.de loc.aff.c.4.fit in corde; ergo cor, non cerebrum afficietur in melancholia; imò ex vehementibus animi motibus, qui sunt cordis passiones melancholiam oriri in comm. eiusdem Aphorismi Galenus asserit; Hippocrati tamen,& Auicennæ satisfacimus, dum dicimus locum affectum, vel accipi pro sede ipsius affectus, atque hoc pacto cerebrum est semper locus,& sedes ipsius affectus, vel pro sede causarum ipsius affectus, quo modo ipsius affectus causa non solùm in cerebro, sed etiam in corde, & in alijs partibus reperiri potest; nam spiritus vitales syluestres obscuri,& mẽstruus sanguis in cor restagnãs sunt quidem melancholici delirij, causæ, non tamen quatenus cor, aut septum afficiunt, sed quatenus illi spirituum animalium materia sunt, & hic nigris fumis prædictos spiritus animales reddit opacos, & tenebricosos; quibus omnibus modis cerebrum affici, iam statutum fuit, quod & Galenus confirmat in præcit. com. Prorrhet. dùm ait à spiritu flatuoso circa septum transuersum collecto mentẽ lędi; propterea quod neruosis partibus principium compati assueuit: neruosarum autem partiũ principium cerebrum esse nullus medicorum ignorat; nec mirari debemus ex septo transuerso flatuosum spiritum accipiente, vt Galenus dicebat, vel humorem calidum & excrementitium attrahente, vt Aristoteles, mentem deprauari: quid enim obstat flatuosam materiam, in septo receptam impertiri cerebro, atque animalibus spiritibus,& ita principes perturbare actiones, quemadmodum & humorem calidum, atq. excrementitium à diaphragmate attractum in cerebrũ effumare? imò natura rei nos docet tùm flatuosam materiam semper sursum impetere,& præsertim cum à septo in cerebrum patentissimæ sint viæ, tùm humores calidos,& excrementitios semper in vapores digeri, atque ab insita ipsorum, atque à partis caliditate, quam obsident; quoniam cũ in alimentum conuerti nequeant, natura ipsos expellere tentat, ex qua pugna,& agitatione magis effumant: Galèno tandem timorem in corde fieri dicenti aliàs responsum fuit: dicebatur enim timorem quidem in corde fieri, non tamen priùs fieri, quàm imaginatrix facultas aliquid sub specie mali conceperit: timorem enim esse imaginationis affectũ docuit Aristoteles lib.2.Rethor.c.5. inquiens nihil aliud esse timorem, quàm perturbationem ex imaginatione futuri mali corruptiui; verum quidem est, alium esse timorem nobis à principio generationis insitum qui naturalis affectus vocatur,& naturali vitio, seu culpa fit cordis, vnde homines quò frigidiori sunt corde, eò timidiores existunt propter quascumque, vel læuissimas imaginationes futuri mali;& de hoc loquebatur Galenus in art.med. alium verò præter naturalem,& morbosum esse, qui causas tantum morbosas insequitur, nempè deprauatas imaginationes, & in homine etiam calidissimi cordis contingere potest, ad quod fortè respiciens Hippocrates lib. de morbo sacro, timorem,& mœrorem fieri vitio ipsius cerebri scripsit, & hic timor est ille qui verus melancholiæ caracter existit.

An cerebrum afficiatur in melancholia, vt pars instrumentalis, vel vt pars similaris. Cap. VII.



Elancholicos magna ex parte comitiali morbo affici,& contra morbo comitiali laborãtes melancholicos effici dicebat Hippoc.6.epid. propè finem: si enim(addebat ipse) in corpus infirmitas repat,epileptici;si verò in mentem,melancholici redduntur,quam sententiam dum Gal.3.de loc.aff.c.7.interpretatur,cerebrum in melancholia,vt similarem partem affici pronunciat, nam cum anima,inquit,sit temperamentum actiuarum qualitatum, aut ab ipsarũ temperamento alteretur,bilem,cum cerebro veluti parti instrumentali nocet ad cerebri corpus Hippocrates conuerti ait, id quod in obstructionibus fieri constat;cum verò temperamentum mutando ei vt similari nocet,ad mentem eam repere dicit;sed & cerebrum vt similare affici ratio suadet,quoniam cum sit temperies præcipuum organum efficiens actionum, & hæc in similaribus partibus consistat verisimile est ad hanc læsam,& proinde ad læsas etiam similares partes consequi cerebri læsas actiones; obijciet aliquis tamen sæpissimè cerebrum esse intemperatum,& præter naturam;indeq. tamen nullam sequi melancholicam affectionem, & rursus ipsum naturali, & recta temperatura frui; atque nihilominus melancholica deliria apparere;cui respondetur non esse necesse,vt in melãcholia semper cerebrum quoad sui parenchima, seù medullarem substantiam intemperie vexetur;imò nec ad huiusmodi intemperiem qualiscumq. sit,melancholiam immediatè sequi; nam cum duplex sit principum actionum instrumentum,temperies nempè, & animalis spiritus qui dicitur instrumentum quo numquàm delirium sequitur,nisi animàlis spiritus afficiatur, & hic prout diuersimodè afficitur,diuersa producuntur deliria,& immediatè ; ab eo enim ad animæ potentias deferuntur species,& phantasmata,quare cum prædictus spiritus affici possit,& à cerebri intẽperie,& ab alijs præter ipsam, mirum non est,si melãcholia produci possit,nulla existẽte in cerebro dyscrasia si tamen spiritum animalem tamquàm cerebri integrantem partem cõsideremus, quemadmodum in præcedenti questiuncula explicatũ fuit, cerebrum quoque affici dicere poteramus, & vt similare, cum nullis ex organicis morbis spiritus affici possint. His tamen non obstantibus cerebrum, vt instrumentalem quoque partem in melancholia affici posse contendunt;alij nam fiunt(inquiunt ipsi)melancholici ex ebrietate: ebriorum enim aliqui flent,tristãntur,& timent,quæ prauè imaginantur, quod & Arist.30.sect.problem.1. confirmat,dum ait: Vinum immodicũ tales maximè homines reddere,quales melancholicos esse affirmamus, sed ebrietas fit à copiosis vini vaporibus in caput eleuatis, qui cerebri temperamentum non immutant; ergò illud non vt similarem partẽ offendunt,sed vt instrumentalem potiùs,obstruendo,grauando,distenden

do,

do,& quod vini vapores cerebri temperamentum non immutent, patet ex eo,tùm quia intemperies non nisi longo temporis tractu fit, vt colligitur ex Galeno 2.de sympt. caus. c.vlt. tùm quia transacta ebrietate, prædictæ intemperiei aliqua appareret noxa. Verùm quod de ebrietate dicunt,idem de melancholia hypocondriaca pronunciant;nam in ipsa præsertim incipiente caput nulla intemperie labefactatum adinueniri potest: non enim malencholici vapores ab aliquo hypocondriorum elati possunt tam cito cerebri temperaturam peruertere;sed in captu rapti statim obstruunt,statim distendunt, aliosq. organicos morbos procreant; præterea cerebrum abscessus patitur, vti nos docet Gal. lib. de ineq.intemper.c.3.nec ex abscessu,propter crassarum,& nigrarum fuliginum uaporationem melancholiā induci aliquid obstat,sic videmus læthargicos per interualla delira loqui,& tamen inter organicos morbos reponuntur abscessus à Gal.3.de sympt. caus.c.1. Tandem à capitis ictu desipientiam oriri testatur Hippoc.7.sect.aph. 14.Vbi autē ictus intra ad cerebrum penetrauerit,quemadmodum in hoc casu cōtingere scribit Galen. in com.nihil aliud efficere potest,quàm cerebrum comprimere: compressio autem est organicæ,non similaris partis morbus; sic in eadem sect.aph.24.in ossis præcisione desipiētiam fieri habemus, quia,vt Galenus declarat,tunc passio proxima existit membranis,& cerebro, qua quidem passione cerebrum vt similare consideratum, cum sit sensus expers,non afficeretur, sed vt organicum, quatenus scilicet membranis integratur,illa coafficitur. Hæ sunt rationes in contrarium adductæ, sed leuissimi momenti; imò si res exactius perpendatur,veritatem magis elucescere faciunt; nam si ab ebrietate malencholia inducatur,non quia copiosiores vini vapores obstruant grauent,aut cerebrū distēdant,inducitur (ita enim & in capitis dolore grauatiuo,& extēsiuo melancholia adesset) sed quia,aut animales spiritus obscurent, & obtenebrent,aut rectius,quia melancholicum humorem excitent, indeq. in atros fumos conuertant, qui spiritibus animalibus commixti tenebricosa phantasmata inducant,rationalemq. animam perterrefaciant, quo in casu spiritus animales non solùm quoad sui substantiam, luciditatē, &motum,verum etiam quoad sui temperiē alterantur,aerea enim substantia facillimè,& statim non longo temporis interuallo, quascumque alterationes suscipit;hoc idem & de melancholia hypocondriaca respōderi debet,quamuis hac progrediēte non tantum spirituum,sed & substantiæ cerebri temperamentum immutetur, quod tamen in quacumq. melancholia immutari haud necesse est. Ex cerebro autē abscessu correpto melancholiam excitari fortè non omnes admitterent,cum potius phrænitis,aut lethargus ex abscessus diuersitate fiat, sed esto; nolumus tamen vt abscessus,quatenus abscessus melancholiā producat,sed quatenus obscuri vapores ex ipso elati animalibus commiscentur spiritibus,præter quam quod,& abscessus absque substantiæ cerebri intemperie consistere nequeat. Quod denique ad desipientiam ex capitis ictu,

vel ex cranij præcisione ortam attinet;hinc non melancholicã,sed phrenitic am oriri desipientiam dicimus : in vtroque enim casu inflammationem suboriri compertum est; imò Hippocrates si ex his desipientia fiat,subiungit malum : tunc enim desipientia inflammationis indicium est ; cerebri autem,aut eius membranarum inflammatio pessima est,cũ cum ab hac nemo,aut vix paucissimi euadant : præterea inflãmatio cũ fit morbus,& in aucta magnitudine,& in intẽperie,nõ tumoris,sed intẽperiei ratione phrenitidem efficit;vnde Galen. in Prorrhet.com.1.t.34. cerebri intemperaturas magnas mentis lesionem consequi asseruit.


An melancholia fiat à spiritu animali tenebricoso? Cap. VIII.

SPiritum animalem tenebricosum factum, vel in sui generatione,vel propter nigrę materię,quęcumque fuerit,admixtionẽ, melancholiæ proximam,& immediatam causam ferè omnes Medicinæ authores constituunt,& iure optimo,nam cum animalis spiritus sit ille,qui principibus animę facultatibus species,&phãtasmata defert,si obscurus,& ater fuerit, terrifica repręsentabit phantasmata,& timoris plena,quibus imaginatrix assentiens, illaq. vera existimans deprauatur,ex quo tùm ratiocinium lædi,tùm metum, & tristitiã suboriri necesse est. Sed inter neotericos clarissimi viri aliter senserunt; nam doctissimus Capiuaccius ab affectione tenebricosa melancholiam immediatè pendere pronunciauit, & ingeniosissimus Mercurialis pro affectione tenebricosa perturbationem scripsit,ita vt ex affectione tenebricosa,seu perturbatione, quomodocumque dicas resultet imaginatio, & imaginatio corruptiui mali,vnde postea timor, & tristitia ; certè nodus iste non facilè soluitur,nisi perscrutemur quid sit ista affectio tenebricosa,quid sit ista perturbatio;& vt quicquid ego sentio,liberè proferam,mihi isti clarissimi viri,quod idem ab eodem fiat,& à se ipso,innuere videntur; nam certè ista perturbatio,seu tenebricosa affectio indicat in anima,aut in eiusdem potentijs, seu facultatibus aliquam actionem, & actionem præter naturam,quæ actio præter naturam versatur de necessitate circa aliquid obiectum;quibus ita se habentibus,idem est ac si diceremus in imaginatiua animæ potentia præter naturam imaginationem fieri,aut in ratiocinatiua præter naturam discurri,& ista fieri circa vnum,vel plura obiecta, quæ nulla alia esse possunt præter species, seu phantasmata;ita vt dũ dicimus perturbationẽ, seu affectionẽ tenebricosam alicuius principis facultatis;idem sit ac dicere actionem deprauatam illius facultatis;nam ex.gr. erit melancholicus, qui putans Atlantem defatigari,cælum inde casurum imaginabitur, quænam erit in hoc melãcholiæ causa immediata? erit ne imaginatio illa,nempè quod Atlans defatigetur? nequaquam,quia hęc actio deprauata imaginationis,nempè putare,quod Atlans defatigetur,est eadem melancholia;nihil aliud enim melancholia est, quam actio princeps deprauata, & hęc

eadem

eadem actio deprauata in illo melancholico, nēpè imaginari, quod Atlans defatigetur, est perturbatio, est affectio tenebricosa; nam quemadmodum melancholiam dicimus esse affectionem melancholicam, ita & melancholiam esse affectionem tenebricosam dicere possumus; imò idem dicemus, quandoquidem melancholicum, & tenebricosum nomine tantū, non re differunt, sed idem important; ex his igitur patet aliud ab affectione tenebricosa, esse melancholiæ immediatam causam. Verū quemadmodum huius tenebricosæ affectionis immediatam causam statuebat tenebricosum phantasma doctissimus Capiuaccius, ita & melāncholiæ statui posse concludet aliquis. Huic dicendum est, quod habito respectu diuersorum, & hæc sententia veritatem habet nam & spiritus animalis tenebricosus, & phantasma tenebricosum erunt melancholiæ immediata causa, nam re vera spiritus animalis tenebricosus est causa deprauatarum principum functionum quatenus scilicet phantasmata atra, terrifica, melancholicaq. animæ repręsentat, sed hæc ita repræsentet, & imprimat, vt tanquàm vera existimentur, quæ postea tamquàm vera existimata quatenùs futurum malum corruptiuum præseferunt, atque præmonstrant, in causa sunt timoris, & tristitiæ, ita vt si totam melancholiæ ideam, atque essentiam complectamur (nimirùm quatenus ipsa est non solum principum functionum deprauatio, sed deprauatio cum timore, & tristitia) partim tenebricosus spiritus, partim tenebricosum phātasma immediata melancholiæ causa statui possit. Cæterum si quis obstinatius non admittat tenebricosum spiritum, sed tantummodò tenebricosum phantasma immediatam melancholiæ causam esse contendat hic saltem contentus abeat, quod spiritus animalis syluester sit causa præcipua ad quam dirigatur curatio; nam sæpè consueuerūt medici in morbosis affectibus eam agnoscere causam, atque præferre, quæ ad se pręcipuè curationem trahit, relicta ea, quæ quamuis immediata sit causa; pręcipuum tamen medelæ scopum non requirit, & tale re vera tenebricosum phantasma est; ad hoc enim tamquam in corporeum curatio dirigi nequit; non negamus tamen, vt mox dicetur, solis deceptionibus interdum malencholicos curatos fuisse, quæ deceptiones in phantasmata tantum diriguntur, sed certè hęc sunt, ex ijs, quæ non semper, nec vt plurimum, sed vt rarò contingunt, & ob id talia parum obseruanda censebat Arist. 3. de hist. animal. c. 15. Nos igitur spiritum animalem tenebricosum, seu syluestrem causam melancholiæ ponamus cum Auicenna proprio de melancholia tractatu, quod & ante ipsum nobis etiā indicauit Gal. 2. de symp. caus. c. vlt. & 3. de loc. aff. c. 7. nam cum tenebrę (inquit ipse) rationalis animę parti sint circumfusę, necesse est hominē timere, vt qui semper vna cum corpore suo timoris causam circūferat, sed si timere, ergò & melancholicum esse, nam qui sine causa manifesta timent & tristantur, melancholici sunt, vel eodem Galeno teste in com. 23. Aph. secta 6. Sed cōtra hanc sententiā insurgit doctissimus Saxonia dicens, quì fieri possit, vt eædem tenebræ in spiritu homines reddant ingenio-

genio-



geniosos,vates,poetas summos artifices;alios verò stupidos,ignaros,& amentes,quosdam faciant hylares;alios autem perpetuò tristes,nõnullos perpetuò timentes;alios omnia audentes? ergò nõ erit spiritus tenebricosus solùm, aut semper melancholiæ causa; sed ipsum decipi dum plura refert,quæ propria melancholicorum non sunt iam supra à nobis prima quæstiuncula monstratum fuit; ecquis sanæ mentis fieri dicat ab opaco spiritu ingeniosos,vates, poetas, ac summos artifices? hos quidem à melancholico humore naturaliter præcalido tales facilè reddi posse rectè sentiat,sic stupidos,ignaros,& amentes ab eodem quatenus præter naturam exassato,ac præcalido,sic hylares ab admixto sanguine,quemadmodum perpetuò tristes,ac perpetuò timẽtes ab humore melãcholico quatenus nigro,ac tenebras simul in spiritibus animalibus inducente. Amplius instat doctissimus vir dicens nos non ignorare homines ex frequenti,& assidua cogitatione incidere in melancholiam, vt qui putant se esse reges,vel nõ habere caput,quar complures ex istis absque medicamentis sola cogitationis mutatione sanantur,vel plumbeo imposito pileo, sic mulier illa relata ab Alexandro Tralliano lib.1.c.de melancholia quę serpentem,se deuorasse putabat vomitu excitato,& sibi ostenso vase in quod reiectum fuit(in ipso enim collocarãt paruam bestiam per omnia imaginationi illius similem) sanitatẽ statim recuperauit,se serpentem euomuisse credens. Huc ergo spiritus tenebricosus non spectat:alias enim oporteret humores spiritum tenebricosum reddẽtes expurgare; in eadem classe sunt perditi amantes,& qui ex inordinata appetentia melancholici fiunt, vt plus iusto gloriam honores,dignitates,ac pecuniã ambientes: hi enim falsis nuncijs plerũq. sanantur;nam si auidis nuncientur pecuniæ,& ambitiosis honores, sanitatem recuperant. Respnndetur tamen ex assiduis cogitationibus,ex amore,ex inordinata appetentia,atq. ex alijs animi pathematibus melancholicos non nisi tractu temporis fieri,nec prius fieri quàm spiritus animales denigrentur,& opaci fiant;vnde non immediatè ab his animi pathematibus melancholia inducitur, principesq. actiones deprauantur: commodè enim hæc omnia spiritus animales exobscurare possunt vt suo loco ostendetur, & quando dicitur spiritus tenebricosos huc nõ spectare,quoniam alias oporteret humores spiritum tenebricosum reddentes expurgare,animaduertendum est spiritum tenebricosum iam tunc adfuisse, quando tale, vel tale prauum fantasma repræsentabatur imaginatrici,quod dũ repræsentabatur adeò firmiter,&profundè in ipsius organo fuit impressũ,vt quamuis tenebricosus spiritus euanuerit, aut tenebricosus esse cessauerit phãtasma tamen prauum remanserit,& per consequens deprauata semper steterit imaginatio; Hinc etiam intelligi potest, mirum non esse, si absque medicamentis, & sola cogitationis mutatione, vel plumbeo imposito pileo, vel solis deceptionibus sanitatem recuperauerint ægri, cum non ampliùs in corpore materia, quæ spiritus opacos redderet, reperta fuerit, illa enim satis erant

ad

ad impressa praua phantasmata delenda; Sed aliquis hic percunctari posset in sanis somniantibus fieri interdum eadem accidentia timoris, & tristitiæ, non secùs, ac in morbis melancholicis, quæ pariter ab animali spiritu ob nigros vapores admixtos tenebricoso reddito prouenire fatendum est; & nihilominus nobis èxpergiscentibus cessant ista accidentia: cur autem in his cessent;in illis verò persistant? facilis responsiò est,quoniam metus,& tristitia nobis expergiscentibus cessant, cum nullam fidem in somnijs adhibeamus, in melancholia verò perstant ob vitium imaginationis, ac proinde rationis, quæ assentitur, & male iudicat de eis, præter quamquod in somniantibus vix admodum leuis fit specierum,& phantasmatum impressio,quæ fortis in melácholicis fit. Addit tandem doctissimus Saxonia extrinsecam melancholiæ causam,& in hanc triplicem, nempè veneficas potiones quas philtra, amatoria vocant,morsum animalis rabidi,ac fascinationem,ob veneficas enim potiones homines dementare posse satis docet exemplum Lucretij philosophi,& poetę,quem hac potione dementatum fuisse scribunt; sic morsus animalis rabidi,& præsertim canis melancholiæ illam speciem infert,quæ hydrophobia, seu timoraquæ dicitur. Sedrespondetur ex morsu rabidi canis non statim hydrophobiam sequi, sed tractu temporis, quo tractu paulatim non solum humorum, sed corporis etiam totius temperatura peruertitur,ac immutatur, ita vt facile sit ex hac peruersione animales quoque spiritus obtenebrari; vnde posteà prauum phantasma de timore aquæ cōsurgat,idq.repræsentatum imaginationi, ipsam quoque deprauet,ac peruertat; sic & de venefica potione statuendum est, quæ si fortè statim mente aberrare faciat,ac melancholiam inducat,non ob aliud certè, nisi quia caput replendo sit in causa,vt spiritus animales extranea,ac tetra materia infecti exobscurētur,ac tenebrosi fiant;remanet fascinatio,sed hęc(vt ipse optimè subdit) re vera supernaturalis est,& ideò non naturaliter agit: Medici verò de rebus,quæ naturaliter eueniunt,verba faciunt, & vim fascinationis non esse naturalem manifestè patet, quia per characteres, verba, imagines cereas,& alia superstitiosa fiunt istæ fascinationes,nec aliquis putet naturales fascinationes esse, quia aliqui modi fascinationis naturales videantur,vt est inspectus,tactus,& anuli quidam,seu alia corpora ex varijs metallis composita huic, vel illi planetæ dicatis sub quibusdā Zodiaci signis, additis varijs figuris,vel verbis, nam hæc omnia figmenta sunt superstitionis plena,nullamq. vim continentia, nisi quatenus mafico his fidem præstanti diabolus vim inferat,vt hac ratione obsequiū & adorationem ab his accepisse videatur;& ideò nemo quidquam per huiusmodi characteres, aut signa peragit, qui pacto aut tacito,aut expresso cum dæmone habito obedientiam illi non polliceatur. Quamobrem falsissimum est affirmare, hominem,qui sanus fuerit, aut inspectu, aut tactu morbum alteri inferre, nisi causa accedat superior, propter quam hoc fiat: morbus enim ex vno in alterum transit per contagium

quod

quod fit vel per tactũ corporis solidi, vel vaporosæ substantiæ existẽtis primùm in agente, mox in patientem transeunte; sed malefici sani sunt: ergò maleficium non fit ex contagio, multo minus fieri potest vi corporum cęlestium, quæ omnia à Deo in tutelam nostri corporis sunt ordinata; ipsaq. debent hęc sublunaria regere, non autem à sublunaribus cogi; at si corpora cælestia ex signis, aut figuris factis cogerentur ad inferendum maleficium, à sublunaribus regerentur cęlestia, quod ab omni philosophia, & theologia alienum est: itaq. tandem fatendum est, omnem vim maleficij à dęmone prodire. Auerroes deniq. & ipse in hanc sententiam inuehitur, pugnacissimèq. contendit melancholiam non à spiritu tenebricoso, sed à tota substantia, seù occulta qualitate melancholici humoris proficisci; ait 3. collect. c. 45. colorem non esse qualitatẽ actiuam, quę mutare possit animæ functiones, nam mores, non humorũ, sed corporis temperamenta sequuntur; deinde inquit tenebras non in visum imprimere, vt quæ priuationes sint, neq. sentiri actu posse, & adhuc minus in interiori sensu, quo neq. colores ipsi percipi possunt: Tandem addit, quod si immediatè lędatur interior actio ex colore, iam color morbus erit; hoc neque Galenus concedit; ergo alia erit causa melã choliæ. Ad hæc omnia facilis est responsio; nam quoad postremam rationem attinet, dicimus non semper à morbo immediatè, sed mediatè quoque pendere symptomata, hinc Galen. lib. de opt. secta ad Thrasyb. c. 18. inquit symptomatum aliqua causas, aliqua passos locos, aliqua facultates, aliqua ęgrotãtes ipsos subsequi, preterea quando à morbo Galenus symptomata pẽdere scripsit, morbum non strictè, sed latè sumptũ intellexit, sub quo nomine, & causas morbificas comprehendit; sic 5. de loc. aff. c. 6. scripsit ea accidentia, quę vel cerebrum, vel oculos afficiunt, vitiosorum humorum vaporationẽ sequi, sed vaporatio morbifica causa, non morbus est; sic & affectuum præter naturam vnum pro alio generìcè accipi non negabit, qui Galenum consulet lib. de sympt. diff. c. 1. ibi enim, & morbum, & causam morbi sub generali symptomatis appellatione quoque comprehendi posse declarat. Ad alias verò respondetur, quod etiam si color melancholiæ non percipiatur ab aliquo sensu, neq. virtutem ipsam immutet, à qua animę functiones dependent; est tamen causa, & omnia obiectiuè repræsententur sensibus interioribus sub specie opaca, & horrenda, haud secus quàm color existens in cornea, qui non videtur à cristalloide, sed est causa deprauatę visionis, ita vt Galenus colorem nigrum mestitiam, & timorẽ inducere voluerit; quatenus spiritus animales, atque eorundem splendorem turbat, & obscurat: hos enim spiritus lucidos esse oportere, ad hoc, vt rectè fiant operationes principes idem docuit lib. de vtil. resp. c. 5. Hinc Græci phantasiam, quę vna est ex principalibus actionibus ἀπὸ τοῦ φάους, idest à luce denominarunt. Tandem an melancholia fiat à tota atrę bilis substantia (vt placuit Auerroi) suo loco examinabitur.

An ex

An spirituum animalium intemperie fiat melancholia. Cap. IX.



Am superius probatum fuit à spiritibus animalibus tenebricosis melancholiam fieri,nec ipsos spiritus tenebricosos euadere posse quin simul illius humoris,aut vaporis, à quo tenebricosi redduntur qualitatem recipiant,& hoc propter aeream, tenuissimamq. illorum substantiã;sed modò cum intemperies,quæcũq. fuerit,possit illos detinere absq, eo, quod ipsi tenebricosi sint, quæritur an illorum sola intemperies absq. tenebrositate,seù nigredine possit melancholiam inducere,& vt breuibus agam,hoc probare conatur Doctissimus Saxonia;nam si ex Galeno(inquit ipse)omnis actio animalis,prę cipuè autem princeps, inter quas adnumeratur imaginatio fit à spirituum animalium temperie 3.de loc.aff.c.7.cur quæso intemperato spiritu reddito non vitiabitur imaginatio ? hinc Gal.8.de vs. part.c.13. non quantitati spirituum,sed qualitati,& temperamento vim,& facultatem operationum animalium tribuit.Hoc etiã (subdit ipse)confirmant varię melancholicorum imaginationes;quã enim putamus causam imaginationis melancholicæ cum risu, & iucunditate pręter caliditatẽ spirituũ animalium? neque valet ratio,ex caliditate fit furor. Furor enim seù mania fit ex intemperie calidissima,cum fluxione vaporis exusti eleuati ex bile,vel flaua,vel atra exustis,ex 3.de loc.aff.iam cit.melãcholica autem deliramenta, quæ cum risu, & iucunditate fiunt,calida quidem sequuntur intemperiem,sed moderatã,& potius ex sanguine, quã ex bile genitam.Tertiò ad probandum quod ex frigida spirituum intẽperie melãcholia fiat,adducit Arist.4.de part.animal.c.11.& lib.de rep. c.8.dicentem,metuentibus cerebrum refrigerari,& 11.probl.53.timẽtibus sanguinem deserere ipsum cerebrũ,at vbi sanguis deserit cerebrum,necessariò spiritus refrigerantur;tandem quid prohibet(inquit ille)quò minus intemperies hæc frigida imaginationem vitiet, imagines timoris,ac mœroris continuò suggerendo ? & ideò inuenietis non paucos melancholicos,stupidos,& bardos,insipiẽtes,& fatuos, nam ex hac intemperie melancholica imaginatio coniungitur cum fatuitate,& amentia . Vt tamen veritas inconnussa maneat, dicendum est, ex frigiditate vitiari quidem imaginationem,quatenus ipsa imminuitur,vel aufertur;non tamen ipsam deprauari, quandoquidem non imagines timoris,& mœroris frigiditas suggerit,sed tenebricosus spiritus,& quamuis non pauci melancholici,stupidi,& fatui sint hoc ex nigredine, quæ frigiditati vt plurimum iungitur euenit,contra tamẽ admodum pauci ex stupidis,& fatuis melancholici erunt,cum frigiditati spirituum non necessariò coniungatur nigredo,& tamen si sola frigiditas melancholiam faceret,omnes stupidi,& fatui de necessitate melancholici forent; quod autem Galenus qualitati, & temperamento spirituum vim operationũ animalium tribuerit,concedendum,non tamen negandum est,hanc ip-

ſam à conſequentibus temperamentum adiuuari, & perfici; imò Gal. 1. de vſ. par. c. 9. docet actiones quaſdam non fieri primò ex temperamentis, ſed ex conſequentibus temperamenta, vt eſt viſio in oculo, quæ fit propter colorem, quare, & temperie, & conſequentibus temperiem læſis poterunt lædi actiones; imò nonnullæ magis læſis conſequentibus temperiem, quam læſa temperie. Si autem de melancholia quæ fit cum riſu, & iucunditate ſermo ſit, hæc ſi propriè loqui velimus, melancholia verè dici non poteſt, cum ipſa nunquàm ſit immunis à metu, & triſtitia, ſed inſania eſt, & quamuis interdum in melancholicis riſum, & iucunditatem obſeruemus, hoc fit propter ſanguinem exuperantem, qui aut humori melancholico cõmiſcetur, aut in cerebrum mouetur quieſcente melancholico humore, ita vt tunc temporis non adſit tenebroſitas in ſpiritibus, & ſi adſit adeò parua ſit, vt plus poſſit in ipſis caliditas, & humiditas ſanguinis, quam melancholici humoris nigredo, & eſt propriè affectus quidam mixtus ex melancholia, & inſania; at obiter obijciat aliquis, contrariorum eſſe eamdem rationem; ita vt ſi ex intemperie calida, & humida ſanguinis communicata ſpiritibus animalibus riſus, & iucunditas fiat; neceſſariò quoque ex intemperie frigida, & ſicca humoris melancholici ijſdem impertita fletus, & mæſtitia orietur, vel ſi ex nigredine melancholici humoris eoſdem ſpiritus, inficiente naſcatur melancholia, neceſſe ſit à ſanguine letitiam producente ipſoſmet dealbari, quod dicere ridiculum eſt. Sed huius nodi ſolutio habebitur quæſtiuncula 17. quare non eſt vt pluries eadem ſcribamus: ad Ariſtotelem verò dicimus ipſum oſtendere cerebri refrigerationem, & ſanguinis retractionẽ eſſe potius timoris effectus, quàm cauſas, ſed quid plura? ſcimus intemperiem frigidam ad ſpirituum penuriam facere, at ex paucis ſpiritibus fatuitas, non melancholia ſequitur; vnde obſeruamus eos, qui in vltimo ſenio conſtituti ſunt, & iam decrepiti non memorari, diminutè ratiocinari, ita vt ipſos repueraſcere dicamus; hos tamen melancholicos fieri non videmus, etiã ſi ijdem frigido, & ſicco totius corporis, & ex conſequenti frigido, & ſicco cerebri, ac ſpirituum temperamento donati ſint, ſed incæpta diſputatio tunc perfectius dilucidabitur, vbi illorum ſententiam, qui melancholiam à frigida, & ſicca cerebri intemperie abſque materia fieri volunt, diſcutiendam propoſuerimus, modò ad ſpirituum motum, & noſter moueatur ſermo.

An ex motu ſpirituum animalium fiat melancholia. Cap. X.

PVlcherrimę ſanè queſtiunculę anſam nobis præbuit ingenioſiſſimus, ac nunquàm ſatis laudatus vir doctiſſimus Hercules Saxonia, cui tribuenda volo plura, quæ in hoc tenui opuſculo contexta legentibus non diſpliceant. Vnica tamen inter cæteras ratio eſt, quæ à ſpirituum animalium motu nequaquàm fieri melancholiam mihi ſuaſit, quoniam rei natura attenta ex immobilitate

potiùs

potiùs animalium spirituum, vt ita dicam, quàm ex eorumdẽ motu melancholiam exoriri conijcere est quandoquidem melancholici circa quædam phantasmata adeò fixantur, vt de illis semper discurrant, vel timeant, vel agant, & in illa toti se tradant, quibus cum phantasmatibus ad plures etiam annos ita delirantes vixisse compertum est, horum autẽ phantasmatum fixa imaginatio non in spiritibus motum, sed quietem ac immobilitatem potiùs præter naturam, vt dixi, commonstrat; sed iam rationes, quibus doctissimus Patauinus contrarium demonstrare nititur, diluere oportet, hoc ille pacto ratiocinatur: Animalium spirituum motus duplex est; localis vnus, alterationis alter, & localis adhuc subdiuiditur tripliciter; quandoquidem vnus dilatationis, & constrictionis, alter confusus, omnique ordine carens, tertius contra naturæ leges est. Quoad motum dilatationis, & constrictionis spirituum attinet, vterque est causa melancholiæ; nam sicut dilatatio moderata lætitiam parit, adhuc maior risum efficit, & si adhuc magis augeatur facit lætitiam cum risu gestientem, in qua homines currunt, saltant quasi volaturi, ita hęc dilatatio vbi modum excedit, vt partes cerebri interiores quasi deserãtur, exterioresq. (sensus, & motus instrumenta) spiritu, & caliditate repleantur, tunc imminuitur facultas ęstimatiua, & augetur hęc motiua, & sentiens, vt isti putent se esse aues, aut corpora leuia, & volare, neque rimaginationem possunt corrigere non colligente se spiritu ad interiores partes, sed in exteriores diffuso. Quoad constrictionem hæc præter imorem, & mœrorem, alias prauas imaginationes aliquando efficit, vt patientes putent se esse corpora artificialia, saxea testacea, immobilia. Ego tamen dùm considero dilatationem spirituum non esse causam lætitiæ, sed potiùs effectum, & quid consequens ipsam lætitiam, sic & dilatationem excedentem non esse causam melancholiæ iudico, præterquamquod cũ melancholia sit illa, cui timor, & mestitia semper adiuncta sunt, quomodo in timore, & mestitia, fiet dilatatio? ille constrictionẽ fieri dicit, sed responsio allata de dilatatione constrictioni quadrat, contrariorum enim extat eadem ratio, cuius rei, & Galenum testem adducere possumus lib. 12. meth. c. 5. & lib. 2. de sympt. caus. c. 5. quibus in locis docet in profusa lætitia nimiam spirituum, & caloris dilatationem fieri, sicuti in timore, & mœrore constrictionem, ita vt dilatatio, & constrictio sint potiùs effectus quàm prædictorum causa, nàm neque esse causam, certiores nos reddunt, qui in calido balneo, vel in hypocausto manent, nàm his spiritus dilatantur, & ità interdùm, vt ferè exanimes sine sensu, & motu remaneant, neque tamen in ipsis ingentem, imò nec auctam præter eorumdem consuetudinem lætitiam vidimus. Ait deindè vir doctissimus ex confusione, idest inordinato motu spirituum, quoquè melancholiam fieri, sed istam confusionem, vel esse insignem, vel moderatam; si insignis fuerit, rerum omnium sensibilium, & intelligibilium imagines delet, nàm sicuti in aqua vehementer agitatà nulla apparet imago, ità & in spiritibus valdè confusis, & agitatis

delentur imagines; si moderata, non delentur imagines, sed aut disiunctæ vniuntur, aut coniunctæ disiunguntur, & primo quidem modo varij fiunt melancholici, qui sibi ipsis varia fingunt monstra, & phantasmata, quod exẽplo explicari potest ab Aristotelę accepto lib. de somnijs cap. 3. vbi scribit, somniantibus monstra plerumquè apparere coniunctis simul speciebus in vigilia separatìm receptis; addit phræniticos lineas, quæ in muris sunt, vario modo in mente propria formare, atquè certò arbitrari illas esse animalia, aut plantas, &c. Quià scilicet species recepta in spiritibus agitatis intrinsecùs coniungitur, ipsi verò putant exteriores illas lineas copulatas esse; quod itaq; somniantibus & phræniticis per somnum, & acutum morbum contingit, melancholicis cõtingit propter internam causam, quæ spiritus ipsos agitat, & confundit, vt exempli gratia Vapor, vel flatus, vel humor ad confusionem faciendam aptus; si verò nimium disgregentur imagines, putant melancholicí se nihil egisse aut agere eorũ, quæ quotidiè egerunt, & agunt. Adest quoquè spirituum animalium agitatio, quæ quid diuersum extat à cõfusione, nàm agitationis nomine intelligo quasi titubationem, vel trepidationem quamdam, sicuti in aqua videmus post vehementem agitationem, quæ aliquando motu hoc trepididationis aliquo tẽporis spacio mouetur, in hac agitatione imagines multò maiores repræsentantur, quàm sint, vt exemplo aquæ manifestum fiet, & ex hac imaginum amplificatione fit, vt patientes quædam esse maiora, quàm reuera sint, animo concipiant, sic referunt quemdam fuisse, qui nasum sibi vsq; adeò magnum extare credebat, vt omnem credulitatem superaret; Adest tãdem motus spirituum animalium contra naturæ leges, qui, vt qualis nàm sit, intelligatur, primum intelligere oportet, quinam sit naturalis, naturalis autem motus fit quasi per circulum quendam à rete mirabili ad priores cerebri ventriculos, à prioribus ad medios, à medijs ad postremos, & cerebellum, ab his in totam cerebri substantiam, priorem, posteriorem, ac mediam, hanc enim spiritu esse repletam docuit Galenus 8. de vs. par. cap. xiij. quare si contingat, vt spiritus aliquam ob causam, vel ab ipsocerebro, vel à postremis ventriculis ad priores partes repellantur, & circulus fiat opposito modo illi, quem iàm proposuimus, ex huiusmodi motu quandoquè fit fatuitas, quandoquè insania, seu furor, quandoquè melancholia, prout patientes huius, vel illius temperamenti, huius, vel illius humoris donati fuerint, etenim isti propositiones, & conclusiones opposito prorsus modo, quàm sani, faciunt, quãdoquidem aut non copulant congrua prædicata cum subiectis, aut ex falsa præmissa conclusionem veram, aut ex vera falsam inferunt; causæ autem propter quas fit hic motus naturali cõtrarius, aut sunt impedimenta circa cerebrum, & ventriculos existentia, aut sunt ingentes animi affectus; impedimenta sunt insignes cerebri obstructiones, tumores, ex quibus causis spiritus quasi repelluntur, ne possint pertotam cerebri substantiam transire, hinc repulsi retrocedunt, & hinc est, quod

post phrænitides,& lethargos fatuitas,& melancholia solent succedere; ex animi ingentibus affectibus idem fit, & ex timore præsertim, reuocatis enim spiritibus à cerebro ad ipsum cor cerebrum densatur,& ne detur vacuum humore, ac vapore excrementitio impletur, qui deindè locum cõsuetum spiritibus prohibet;Hactenus Saxonia;quæ certè pulchra, ingeniosa, ac scitudigna sunt, sed si rem intimiùs consideremus, nec à confusione, nec ab agitatione, nec à spirituum animalium motu contra naturę leges melancholia fit;vnum verum supponatur,nimirùm multiplex esse delirium,& melancholicum delirium,quod propriè melancholiam vocant, à phrænitico, maniaco, & alijs, si quæ sint differre, & de hoc nos in præsentia, non autem de alijs intelligimus; hoc igitur supposito à confusione spirituum fieri melancholiam negamus, quandoquidem spirituum confusio per longum tempus perdurare nequit, at melancholia inter morbos diuturnos recensetur, præterea si spiritus ægitentur, & confundantur, necesse est,vt ab aliqua causa præternaturali confundantur, quæ cum sit vapor, vel flatus, vel humor (vt ipse etiam doctissimus vir testatur)non ne rationi magis consentaneum est, vt prædicta causa se ipsam spiritibus immiscendo, dùm illos tenebricosos efficit, melancholiam producat, quàm per agitationem, aut confusionem?nec obijciatur antedictam præternaturalem causam posse opacitate, aut nigredine carere quandoquidem si careat,non melancholiã, sed phrænitica potiùs, aut maniaca excitabit deliria,in quibus tantum abest,vt timeant,quin potiùs omnia audent ægrotantes,& quamuis interdùm phrænitici,aut maniaci lachrimentur,& metuant,hoc nõ propter agitationem spirituum contingit, sed quià huiusmodi morbi simul iunguntur,cum bilem,& melancholiam frequentiores eorumdem causas simul iungi, & misceri non raro contingat, ità vt modò hæc, modo illa suos prodeat effectus,quem admodum prima quæstincula, vel Galeni testimonio comprobatum fuit; Quod verò de agitatione, & confusione diximus, idem, & de spirituum motu contra naturę leges dictum sit, hæc enim omnia spirituum mobilitas pæter naturam complectitur; sed quid, quando ait ad phræniticos, & lethargicos succedere melancholiam, quià ex relictis obstructionibus spiritus liberè pertransire nequeuntes contra naturæ leges moueantur? Certè si hoc verum esset, & in obstructionibus relictis ab apoplexia pituitosa, & à comate melancholia succederet, quam tamen non obseruamus;sed quis non videt ad prædictos affectus melancholiam succedere propter deustos humores in cerebro remanentes, qui atri atros,ac tenebricosos reddunt spiritus? Hoc possumus elicere ex Galeno 3. de loc.aff. cap.7. dùm ait in capite melancholicum humorem genitum esse,cum videlicet multus eius loci calor aut flauam bilem, aut crassum,atrumquè sanguinem superassauit, item quando asserit ob eamdem causam fieri melancholiã ex animi ingentibus affectibus,& ex timore præsertim,quis non videt à doctissimo viro nostram sententiam confirmari? Nam dùm vapore, & humore excrementitio

crementitio impletur cerebrum, iam ex retractione spirituum refrigeratum, non deest materia, quę vel sui natura, vel adscititia propter frigiditatem cerebri exprimentem, & ob id crassitiem, ac terrestreitatem inducentem, possit animales spiritus, qui pauci remanent, deobscurare ac tetros reddere; Tandem motum alterationis addit doctissimus Saxonia, ostendens ex spirituum alteratione melancholiam fieri, atquè hoc loci per alterationem meo iudicio non intelligit intemperiem manifestam, siuè simplicem, siuè compositam, sed hanc alterationem, vel à specie morbi, vel à specie humoris in corpore prędominantis prodire ait; A specie morbi prodit, vt quando morbus est confirmatus, aut magnus, & patienti ignotus, qui propterea cum imprimat, & continuò, & vehementer sui speciem in spiritum, impellit patientem ignarum ad quædam extranea animo concipienda, quæ cum illo morbo aliquam habent similitudinem, sic qui frequentes habent in ventre rugitus, putant in eo se habere ranas, vt contigit germano cuidam Patauij medicinæ studioso; alij qui morsus in ventre sentiunt ex vermibus, dicunt se se habere serpentes, vt de illa muliere Trallianus scripsit, alij laborantes Tympanitide dicunt se totos corio constare, & quasi tympanum essent, ventrem sibi pulsant, vt refert Marcellus Donatus lib. 2. de Historia mirab. cap. 1. Hactenus ille, sed qui nam quæso in prædictis morbis, si non ex toto, aliqua saltem ex parte pro materiali causa humorem crassum, nigrum, & melancholicum non constituat? neque solùm hoc sat est, sed cerebrũ debile, & ideo ad recipiendum aptum, & vno verbo ad huiusmodi melancholica deliramenta dispositum constituere oportet, quorum omniam veritas ex eo patet, quià non ex omnibus in ventre rugitibus, non ex omnibus à vermibus morsibus, nequè ex omni tympanitide talia melancholica deliria oriuntur; itaquè positis melancholiæ causis non mirum est, si posteà illi melancholici effectus producantur, qui cum morbis in corpore existentibus aliquam similitudinẽ habent, non tamen dicendum est ab hac sola similitudine tales produci effectus, quià cum in omnibus non producantur, adhùc quęrendum remanet, cur potiùs in hoc, quàm in illo producantur; Remaneret, vt de specie humoris ageremus, sed quià de particularibus humoribus quæstiunculas suo loco exagitabimus, hoc in illis exactiùs dijudicabitur, modò de spiritibus animalibus nostra prosequatur oratio.

An spiritus animales tenebricosi fieri possint à sola intemperie?
Cap. XI.



A Melancholico humore spiritus animales tenebricosos reddi plures memoriæ prodiderunt, & ab eo tales reddi non solùm ob propriam ipsius nigredinem, atque opacitatem, sed quià sua frigiditate, & siccitate eosdem incrasset, constringat, exprimat, atque absumat, quare si hoc agit materia melancholica sui frigiditate,

gidirate, & ſiccitate,ergo & intemperies frigida,& ſicca agere poterit, hoc autem ex eo corroborari poteſt, quoniam ſpiritus animales ſunt corpora mixta, non autem ſimplicia, & mixtorum corporum ſi partes tenuiores, & ideò lucidæ abſumantur, craſſiores verò, quæ remanent, magis adhùc conſtringantur, & incraſſentur à frigiditate, cui ſiccitas iuncta ſit,certiſſimum eſt huiuſmodi corpora partem luciditatis amittere, & obſcuriora euadere; ergo & ab huiuſmodi intemperie animales ſpiritus tenebricoſi fient, quod autem prædicti ſpiritus ſint corpora mixta probatione non eget, cum non ignoremus ipſos ex aere,& vitali ſpiritu conſtare, qui vitalis ſpiritus eſt vaporoſa quædam ſanguinis arterioſi exhalatio, imò, & vt nonnullis placet, ſubtilior ſit arterioſus ſanguis, præterquàm quod, & aerem ſimplicem propè nos non reperiri omnes conſentiant,ſed & exemplis res ipſa fit illuſtrior,nàm ab aqua, & à vino, vel alio liquore, dum vitreis organis diſtillantur,ſcimus vaporem tenuiſſimum eleuari,qui tamen in pileo,tamquàm infrigidiori loco adeò incraſſatur, vt in humorem aqueum vertatur,& eò magis, ac citiùs,quò pileus linteis frigida imbutis contegitur; ſimiliter aerẽ, quem per os, atquè nares expiramus, nullo pacto videmus, cũ tenuiſſimus ſit,at hyberno tempore ipſum circa os veluti nubeculam quamdam concreſcere propter immenſum frigus omnibus patet,quid ergo, & hoc in animali ſpiritu propter frigiditatem contingere prohibeat?
Hæc ſententia etſi probabilis appareat,à viris tamen grauiſſimis reiecta eſt, & inter hos doctiſſimus eſt Capiuaccius, qui ſcribit animalem ſpiritum tenebricoſum reddi, vel ob materiæ melancholicæ admixtionem, vel ſecundum propriam ſubſtantiam, etſi ſecundum propriam ſubſtantiam,aut ratione ſpiritus vitalis tenebricoſi, aut ratione impuri aeris, ex quibus generatur; his autem benè ſe habentibus,quomodocumque intemperatum ſit cerebrum, nunquã tamen tenebricoſus fiet ſecundum propriam ſubſtantiam,nàm cum ſpiritus animalis ratione vigoris ſit a prædominio igneus, & ratione molis ſit a prædominio aereus, ratione ignis obtinet partes luminoſas,ratione aeris Diaphanas, vt quaſi ſit expers portionis terreſtris, & opacæ, quæ diaphanum terminat, ideoquè ſit inuiſibilis, vndè dùm ſpiritus vitalis bonus fertur in caput intemperatum non fit tenebricoſus, quia partes opacæ deſiderantur; hactenus Capiuaccius, ad rationes verò in contrarium adductas dicendum eſt frigidam,& ſiccam intemperiem ſpiritus quidem abſumere ipſoſque pauciores reddere exſiccando,& condenſando,non tamen ipſos obſcuriores efficere, quià animales ſpiritus ſunt corpora quidem mixta, ſed corpora ſimilaria, & luminoſa, quæ corpora ſimilaria, & luminoſa vbi denſantur, tantùm abeſt, vt tenebricoſa euadant, vt potiùs magis lucida fiant, ſicut enim rara ignis ſubſtãtia minùs lucida eſt, quam denſa,ita & animalis ſpiritus quò denſior,eò magis luminoſus, materia autem melancholica, quantum vis frigida, & ſicca, niſi ſpiritibus immiſceretur,eos numquam obſcuriores redderet; Exẽpla

platandem, quæ de distillatione, & de aere expirato afferuntur, nulla sunt, quandoquidem spiritus animales generantur in cerebro, & vbi generantur ibi tanquam in proprio loco aptissimè conseruantur, hinc cerebrum intemperie quantum vis frigida affectum, quousque animalium spirituum generationem admittit, eousquè, & eorumdem cõseruationem molitur, ita vt spiritus condensari nequeant, quemadmodum fortè condensarentur, si ex cerebro in alium frigidiorem locum transportarentur, sicuti vaporibus, qui ab aqua, & a vino in destillatione eleuantur, contingit, nec non expirato aeri, qui ab internis spiritualibus partibus calidissimis in ambiens frigidissimum hyberno tempore exhalat; præterea spiritus animales continuò dissipantur, & regenerãtur, ita vt ijdem numero non diù perseuerent in cerebro, & qui remanent assiduo motu placidè agitantur, quæ omnia ipsorum incrassationi, & proindè opacitati valdè repugnant, etiamsi spiritus (vt dictum est) dum condensantur lucidiores euadant.

An animalis spiritus tenebricosus fieri possit ex aere? *Cap. XII.*

SI numquàm in melancholico delirio fit animalis spiritus tenebricosus ad quid quærere an fiat tenebricosus ex aere, vel intemperie, vel alia re? Certè est oleum, & operam perdere; quod autem nũquam in melancholico delirio tenebricosus fiat, ex eo manifestè patet, quoniam in animali motu cuiuscumque partis nulla læsio apparet, & nihilominùs, aut auferretur, aut imminueretur motus in eo, saltèm extremarũ partium, si spiritus animalis tenebricosus foret, nam cum ex Galeno lib. de oculis cap. 5. motiua facultas a cerebro ad musculos deferatur per irradiationem spirituum animalium, cumquè irradiatio nequaquam a nigris, atque opacis, sed a lucidis, ac splendidis prodeat corporibus, quomodò tùnc temporis fieri possit irradiatio ista, & ad extremos vsquè pedes pertingere, si animalis spiritus ater, ac tenebricosus extet? Nec respondeatis spiritus, qui sunt in ventriculis cerebri, deseruire motui, ac etiam externis sensibus, non autem, qui per cerebri substantiam disseminati sunt, & id circò hos posse obscuros esse, illos verò nitidos, & ita non impediri irradiationem istam, quod proculdubio quoquè comprobari potest ex Galeno illa Hippocratis verba sexti Epidem: interpretante, nempè si bilis atra in mentem repat, hoc est, in similarem cerebri substantiam, melancholia fit, si verò in cerebri corpus, hoc est, in organicas eius partes, nempè in ventriculos, Epilepsia oritur, nam rectè quidem procedit responsio, si de animali spiritu intelligamus, qui per atræ bilis, aut alterius nigræ materiei in cerebri medullarem substantiam irrèpentis admixtionem tenebricosus fiat, hæc enim nigra, & opaca materia potest prædictam cerebri substantiam petere, ac eius ventriculos immunes relinquere,

linquere, sed si de spiritu animali tenebricoso genito intelligamus, nulla est, etenim, tàm spiritus, qui in ventriculis, quàm qui in substantia cerebri existunt atri, & sylvestres sunt, imò & qui in ventriculis manent nigriores erunt, cum sui natura minus puri, minusquè elaborati sint; certè vt hic effugiatur scopulus, dicendum est, aut animales spiritus non generari in cerebro, sed tantummodo attemperari, & ideò esse eosdem met vitales in corde iàm genitos, quemadmodum sensit Aristoteles, & cum eo subtilissimus Argentarius, quod nos omninò negamus, nàm rectiùs cum Galeno, animales spiritus in cerebro per vlteriorem coctionem gigni sentimus, aut dicendum est, & veriùs, opacitatem spirituum animalium, qui in ventriculis continentur, non esse impedimento, quin deferatur motiua facultas etiam ad externas partes per irradiationem, nàm & si irradiatio ista turbida, & obscura sit, non ob id motum prohibet, ad peragendum enim motum, nihil facit lucidítas, aut splendor animalium spirituum, quemadmodum etiam, nec ad sensationes externas efficiendas requiritur, nisi visum excipere velimus, dequo non immeritò aliquis fortè dubitare posset, an in melancholicis à spiritù in cerebro tenebricoso genito lædatur, cui respondendum est, istam spirituum animalium opacitatem magis, ac minus suscipere, ità vt si minor sit, etiam si principibus actionibus officere possit, ac melancholicum delirium inferre, visui tamen manifestè nequeat officere, & ratio est, quia animales spiritus minori opacitate infecti possunt ab aere externo luminoso, & ipsi lumen, ac splendorem acquirere, ità vt nulla sensibilis noxa in visione succedat, at si maior sit opacitas, & impuritas prædictorum spirituum, tunc sic affecti proculdubio diminuta visione laborabunt, hinc optimè animaduertit clarissimus Eustachius Rudius in sua praxi capit. de læsa visione nihil æquè visum hebetare, & obscurare, ac melancholiam, timorem, mæroremq; ac fletum, & huiusce generis melancholica symptomata, nàm cum hęc omnia ab atra bile originem ducāt, illa quoquè pluribus numeris spiritibus animalibus obesse potest, hos enim paucos, crassos, impuros, & opacos reddit, ex quibus, & imminutio, & obscuritas visus pariter succedunt; sed iàm redeamus ad rem; Cum igitur ex aere, & vitali spiritu spiritus animales generentur, si aer turbidus, ac nebulosus fuerit, vt & animales spiritus, turbidi, ac nebulosi gignantur, ratio expostulat, & experientia confirmatur, nam homines aere nubiloso existente, ac turbido tristiores, ac magis melancholici euadunt, quàm fiunt sub hilari cælo, ac sereno aere, & non ob aliud, nisi proptèr obscuritatem illam spiritibus animalibus ab aere impertitam, quam veritatem etiam apertissimè ex Galeno colligere possumus cumm. 1. in 1. Epid. m. t. 8. Sed aliquis fortasse ità arguere posset, si tenebricosus fieret spiritus ex aere, deberet profectò tenebricosus fieri nocturno tempore, hanc ob causam omnes essent melancholici, & presertim hyeme, quo tempore tenebræ super terram longiores sunt, quam lux ipsa; Respondetur ae-

E rem

rem nocturno tempore non esse nigrum per se, & positiuè, sed priuatiuè, quià non illuminatur à radijs solaribus, aer.n. ex se est omni colore orbatus, & corpus Diaphanum, quo mediante, dummodo illuminatum sit, in omnibus visibilibus obiectis spectantur colores, absque eo quod aer cerni possit, quare non ex ipso tenebricosi redduntur spiritus animales nocturno tempore, sed si sit impurus, eosdem quoquè impuros reddet, qui si ad tantam impuritatem deuenerint, vt amittant luciditatem illam, qua donati sunt tāquàm aptissimum instrumentum ad rectè obeundas actiones principes, tunc tenebricosi, & nigri appellari possunt, non quià fortè sint coloris nigri, vt atramentum est, vel extinctus carbo, sed quià nec splendeant, nec luceant eo modo, quò ipsos rectè, & naturaliter constitutos, deceret.

An spiritus animalis fieri tenebricosus possit à vitali?
Cap. XIII.



OMnes ferè medici, & inter neotericos Capiuaccius, & Rudius viri clarissimi in eorum praxibus, proprijs de melancholia capitibus, volunt à spiritu vitali tenebricoso, & animales spiritus tenebricosos reddi; ille quià à corde refrigerato, & exsiccato spiritus vitalis tenebricosus gignatur, cum exprimātur sanguinis partes Diaphanæ, & luminosæ, è quo spiritu vitali tenebricoso generetur postea in cerebro animalis tenebricosus; hic quia omnis spiritus generetur in corde, ità vt si vitalis sit tenebricosus, & animalis quoquè ex necessitate tenebricosus extet, cum idem sit cum vitali, nec ob aliud animalis vocetur, nisi quia in cerebro exactiùs purificetur, & contemperetur, non autem quià per vlteriorem coctionem generetur, cum nullum viscus corde reperiatur calidus; Alia verò ex parte ingeniosissimus Saxonia hos omnes decipi existimauit; quià (inquit ille) etiam si vitalis spiritus sit animalis spiritus materia, non est tamen materia, quæ in animalem transeat absquè alteratione, & transmutatione, vt propterea sicuti non valet consequentia, sanguis est ruber, ergò nerui, membranæ, & ossa, quæ sunt alba, debent esse rubra, sic non valet. Consequentia, materia spiritus animalis est nigra, ergo & idem spiritus; deindè (subdit ipse) si materia spiritus animalis, quæ est spiritus vitalis, non potest vllo modo in propria substantia tenebricosa esse, quomodo tenebricosos efficiat spiritus animales? ex aduersarijs enim spiritus vitalis tenebricosus fit, aut ex cordis intemperie, aut ex materia, & vbi ex intemperie, vel calida, vel frigida, sed non ex calida intemperie fieri potest, quià hæc dum agit in spiritum vitalem, ipsum calefacit, subtiliat, rariorem reddit, at spiritus quò subtilior, & rarior, eò magis Diaphanus, diaphaneitas tenebrositati est contraria; si augeatur caliditas spiritum absumit, sed aliud est spiritus consumptio, aliud tenebrositas, & opacitas; nec item ex frigida intemperie fieri potest,

test, hæc enim aut condensat, aut extinguit, si condensat, spiritum efficit magis lucidum, nam corpus lucidum, & Diaphanum, quò magis densum est, eò quoquè lucidius est; si extinguit, tunc non erit opacitas in spiritu, sed defectus, præterquamquod in corde totius caloris fonte talis frigida intemperies adinueniri nequeat manente vita, quæ caloré innatum, & spiritum in quo positus est, extinguere valeat; Huic tamen doctissimo viro respondetur futurum fore ne producer tur ab hac intemperie, siue calida, siue frigida spiritus vitalis opacus, ac tenebricosus, si ab ipsa solum ageretur in spiritum, hoc enim pacto, quæ ipse dixit, vera essent, sed cum ab ipsa in spiritus vitalis materiam, nempe sanguinem, quoquè agatur, ipsum incrassando, & proinde nigrum reddendo, siue per adustionem, siuè per tenuium partium expressionem, hinc ille decipitur, quandoquidem talis est spiritus, qualis est eiusdémet spiritus materia; obstat tamen huic rei doctissimus vir, & hanc cósequentiam negat, nimirùm materia est malencholica, ac tenebricosa, ergo spiritus est tenebricosus, nam (ait ille) ad generationem spiritus vitalis in corde, non secùs, ac animalis in cerebro opus est alteratione, ac transmutatione, in qua quod est nigrum, potest transire in lucidum, sic carbones, & elichnium, & similia nigra, dùm flammam recipiunt, splendorem recipiunt, at spiritus est igneus, flammæ comparatur, vt propterea materia nigra accensa, & ignita lucidam possit edere flammam, quam flammam ex fuliginosæ substantię ad mixtione tenebricosam reddi concedo, sed lucidum spiritum in propria substãtia tenebrosum esse adeò absurdum existimo, perinde ac si dicamus ignem, & lumen in propria substantia tenebrosum esse; Sed tanti viri pace, & ipsũ decipi, iterũ, dixero quandoquidẽ materia crassa, tenebricosa, ac nigra, & si accensa, & ignita flammam quantumuis lucidam edat, non tamẽ ista materia diaphana erit, ità vt nec carbo, nec elichnium quamuis ignita, sint corpora diaphana, ac transparentia; sic quicumque spiritus, qui sit crassus, & tenebricosus non omninò transparens, ac diaphanus erit, quia spiritus quamuis sit igneus, & luminosus, nõ tamen est ignis, nec lumen, sed corpus spirituosum, ac vaporosum, quod generatur ex materia sanguinea, & aerea, & cui ex parte quoquè materiæ, modò magis, modò minùs igneum, & luminosum esse contingit, prout materia, ex qua generatur, modò crassior, modò tenuior, modò obscurior, modò splendidior est, ità vt si materia sit melancholica, ac tenebricosa, & spiritus quoque talis esse debeat, nec obstat ex huiusmodi materia spiritum fieri per transmutationem, siuè generationem, etenim quò magis est inopta materia, eò magis inepta quoquè, & imperfectior erit spiritus generatio, sic videmus in diuersis, quæ destillantur, materiebus, ex tenuioribus, tenuiores spiritus, ac vapores ascendere, ex crassioribus verò, crassiores; præterea si verum hoc esset, sequeretur tam ex subtilissimo, ac laudabilissimo sanguine, quàm ex crasso, & melancholico æquè perfectum, ac laudabilem spiritum gigni, quod an sit ab-

fordum, nec nè, alijs dijudicandum relinquo; nec tandem valet ſuperiùs allata ſimilitudo, quemadmodum videlicet nerui, membranæ, & offa, quæ ex rubro generantur ſanguine, ſunt alba, & non rubra, ita & ſpiritus, qui ex nigra, & melancholica producitur materia erit ſplendidus, & non niger, ſeù tenebricoſus, quià ſi de materia loquamur ex qua generantur nerui, membranæ, & offa, hæc non ſanguis, ſed ſemen ſeù ſperma eſt, quod eſt album, non rubrum, vnde, & ſpermaticæ partes dictæ ſunt, rectiùs quidem ab harum partium nutritione argumentari poſſet, quæ ſanguinem, & ſi rubrum in propriam tamen ſubſtantiã albam conuertunt, ità vt cum non inconueniens, imò naturale ſit rubrum ſanguinem in albam ſubſtantiam transmutari, ſic, & ex atro ſanguine ſplendidos ſpiritus generari poſſe non repugnet; Sed & hæc obiectio diluitur, quoniàm ex natura eſt, vt quælibet partes pro ſui nutritione ſibi eliciant, & alliciant ex ſanguine propriam magis, ac ſimiliorem partem, ad hoc vt rectè celebretur nutritio, ità vt prædictæ ſpermaticæ partes ſeligant à ſanguine partem magis frigidam, ac pituitoſam, & proindè in ſanguine albidiorem; contra verò muſculoſæ calidiorem, ac magis rubram ſeligant, nàm in habentibus ſymbolum ab vno in alterum facilior eſt tranſitus, ac tranſmutatio; ſic rationi conſonum eſt, vt ſpiritus tanquàm tenuiſſimi, atquè ſplendidi ex tenuiori quoquè, ac floridiſſimo ſanguine gignantur, qui ſi fortè ex nigro, atquè melancholico ſanguine produci debeant, vt iſti quoquè atri, atquè ſylueſtres (vt Auicennas vocat) producantur neceſſe eſt, nàm & ſimile quoddam fieri videmus in nutritione, quandoquidem, ſi muſculoſæ partes, quæ debent nutriri ex florido, ac puriori ſanguine, fortè pituitoſiori, & aquoſiori nutriantur, nequaquàm recta, ſed imperfectiſſima celebratur nutritio, cui cachexia, cui tractu temporis anaſarca hydrops ſuccedit, nec tamen hoc in caſu videmus, quod tranſmutatio ex improportionato alimento rectam valeat efficere nutritionẽ quare nec ex improportionato humore melancholico craſſo, & atro ſpiritus rectè ſplendidos efficere valebit, qua de re non eſt inculpanda cauſa tranſmutans, & generans, ſed omninò materia, ſic ex prauo chylo non poteſt generari bonus ſanguis, nec ex prauo ſanguine bonus ſpiritus vitalis, quamuis omni vitio generans cauſa careret, hinc ſancitum eſt, errata primæ coctionis non corrigi in ſecunda, ac ſimiliter ſecundæ coctionis errata nõ corrigi in tertia; Tandem Rudius vitali ſpiritu tenebricoſo exiſtente, & animalem de neceſſitate tenebricoſum eſſe aſſeuerat, vtrumq; enim vnum, & idem eſſe contendit, & ea potiſſimùm ratione ductus, quia fieri nequeat, vt vitales ſpiritus (quos animalium materiam eſſe volumus) geniti in corde calidiſſimo viſcere vlteriorem acquirant coctionẽ in cerebro, quod omniùm frigidiſſimum eſt viſcus, potiùs recrudeſcerent iſti, quàm vlteriorem poſſent acquirere coctionem: quare ſi res ità ſe habeat, ſuperuacaneum erit quærere an animalis ſpiritus tenebricoſus fiat à vitali; Si quis hanc rem exactiùs rimari velit, doctiſſimum adeat

cat Andræam Laurentium in suo opere anatomico, nobis enim ab instituto nostro de melancholia recedere non licet; tantùmmodò nostræ veritatis authorem Galenum afferamus, qui lib. 12. meth. cap. 5. animalis spiritus veluti fontem cerebrum esse statuit; rationi verò in contrarium allatæ respõdetur vitales spiritus etiam si in corde calidissimo viscere genitos, esse tenuissimę substantiæ, & ob id citissimè quamlibet alterationem recipere, ità vt, antequàm per generationem euadant animales, attemperentur, & refrigerentur in anterioribus cerebri ventriculis, vbi rudimenta coctionis accipiunt, præterquamquod, & aeri inspirato perquè nares in cerebri sinus attracto misceantur, qui calidissimus frigidissimo cerebro frigidior est teste Galeno 8. de vs. par. ca. 2. quapropter mirum non sit si vitalis spiritus à cerebro per vlteriorem coctionem, atquè ideò per generationem in animalem mutari possit.

An à sola intemperie frigida, & sicca fieri possit melancholia? Cap. XIV.



A Sola intemperie frigida, & sicca fieri melãcholiam viri grauissimi contendunt tùm authoritatibus, tùm rationibus, nã Galenus 3. de loc. aff. capit. 7. quando cerebrum redditur intemperatum, melancholiam fieri dixit, sic etiam, & in fine eiusdem capitis ait, apoplexiæ non totius substantiæ cerebri intẽperiem causam esse, veluti lethargi, phrænitidis, maniæ, melancholiæ, &c. Auicennas lib. 3. fen. 1. tr. 4. cap. 18. Melancholiæ causam afferens, ait, ipsam aut esse in cerebro, aut extra cerebrum, & illa, quæ est in ipso cerebro, aut est ex malitia complexionis frigidæ, & siccæ sine materia permutante substantiam cerebri, & complexionem spiritus luminosi ad tenebras, aut est cum materia; Alexander etiam 2. problem. 26. quærens rationem, propterquam melancholici munera naturæ rectè obeant, cum coquant cibos, & in sanguinem vertant, animi verò functiones læsas habeant, ait non ob aliud esse, nisi quià sedes cerebri occupatur ab affectu, & intemperie, quasi intemperies possit esse causa immediata læsionis operationum animæ in melãcholia; præterea si intemperies cerebri non faceret interdùm melancholiam, numquàm ab hac intemperie hauriretur curatiua indicatio, & tamen calefaciendi, & humectandi cerebrum indicationem in melancholia desumi, vt plurimùm apud omnes practicantes videbitis; At respondendum est à frigida, & sicca intemperie indicationem curatiuam desumi non quià melancholiæ sit immediata causa, sed quià excrementitium humorem frigidum, & siccum producit, qui melancholiam fouere potest, præterquamquod, & sanguinem, seù alimentum cerebri refrigerando, & exsiccando in humorem melãcholicum, & nutritioni ineptum conuertit; adde quod, & cor in consensum trahit procedente tempore, vnde postea generantur spiritus vitales frigidiores, & melancholici, qui cum sint animaliũ

materia,

m ateria, & animales tales euadere necesse est, vt in superiori quæstiũcula mo nstratum est; ad authoritates verò adductas dicitur, Galenum non nudam intemperiem, sed cum materia intellexisse, quis enim phrenitidem, aut lethargum absquè materia fieri affirmetur imò Galenus 3. de loc. aff. cit. dùm Hippocratis verba in fine 6. Epidem: relata interpretatur, ait, si materia in cerebrum irrepat, ipsiusquè temperamentũ immutet, melancholiam fieri, ex quo intemperiem cum materia ipsum intelligere manifestissimè cognoscitur; Auicennas dùm frigidam, & siccam intemperiem sine materia melancholiæ causam recenset, decipitur, nàm ab hac sola animalem spiritum tenebricosum reddi non posse iàm superiùs ostensum, imò si animalis spiritus tenebricosus ad efficiendam melancholiam requiritur, vt & ipse fatetur, & hic vt plurimũ tenebricosus fiat propter admixtionem melancholicæ materiæ, vel humoralis, vel vaporosæ, quis non videt vanum esse velle à nuda intemperie melancholiam produci, & si Principem tueri velimus, ipsum de remota causa intellexisse dicendum erit, nàm fieri potest, vt nuda intẽperies frigida, & sicca proprium cerebri alimentum per tenuium partium expressionem, & reliquarum incrassationem in atrum humorem conuertat, qui postea spiritus tenebricosos reddat, & ità melancholia succedat; imò, & prædicta intemperies, dùm proprium cerebri alimentum in atrum humorem mutauerit, non ampliùs nuda, sed cum materia appellanda erit; Alexander pro nobis est, dùm enim sedem cerebri occupari ab affectu, & intemperie ait, per affectum nihil aliud, nisi materiam intelligit, quandoquidem ibi non morbus in mala compositione, non in soluta vnitate est, & intemperiei meminit, ergo per affectũ, cum copulatiuè non disiunctiuè loquatur, morbificam materiam subaudit, imò quamuis intemperies cum materia copuletur, nõ debemus nos existimare ob id melancholiam ab intemperie fieri, sed à sola materia, quæ spiritus opacos reddit (& si intemperiem frigidam, & siccã propter allatas causas plurimum ad melancholiam conducere nõ negemus) si enim vacuetur materia melancholica, & relinquatur intemperies frigida, imaginatio non ampliùs corrumpitur, sed imminuitur, aut aufertur, vt non sit affectus melancholicus, sed potiùs fatuitas, amentia; exemplum sumatur à ventriculo frigido cum materia acri, qui ratione materiæ acris corrumpet cibos, euacuata materia acri, nõ ampliùs corrumpet, sed imminuet coctionem, frigiditatis enim est auferre, vel imminuere actiones, non deprauare, quare cum melancholia sit actio deprauata, non à frigiditate, sed à materia fit, quatenùs scilicet spiritus animales tenebricosos reddit, nec dicant isti plures esse actiones deprauatas, quæ à frigiditate fiunt, vti sunt tremor, appetitus caninus, & deprauatus in prægnantibus, ac corruptio cibi in ventriculo ad acidum, namquè appetitus ij fiunt ab humore melancholico non quatenùs frigidus, sed quatenùs acidus, vel alia qualitate indicibili præditus est; aciditas enim est illa quæ os supernum ventriculi corrugat, &

in

m explebilem famem excitat, nàm si à sola fieret frigiditate, humor vitreus non secus, ac melancholicus illos appetitus produceret; si verò de ciborum corruptione ad acidum sit sermo, sciendum est priùs illorum coctionem à frigiditate imminui, qui posteà, cum diutiùs in ventriculo inconcocti maneant, facilè acescunt, ità vt primò, & per se frigiditatem sequatur imminuta coctio, deinde ex alio corruptio ad acidū; demùm quoad tremorem attinet, non est par ratio, hic enim est affectus mixtus, ad quem agendum concurrunt tùm debilis facultas, tùm grauitas mixti, & quantum virtus attollit, tantum grauitas deprimit, quare si consideretur hic affectus, vt solummodo à facultate ob frigiditatē imbecilliori reddita proficiscitur, non deprauatus, sed imminutus est motus; Sed præter hæc Galenum adducunt, qui 3. loc. aff. cap. 7. inter melancholiæ causas, commemorat curas, sollicitudines, & inediam, quæ omnia alterant temperaturam partis, humores euacuant, corpus refrigerant, & exiccant, vt de inedia sigillatim docet 2. acut. 22. & 24. & de mærore 1. de tu. san. cap. 12. sic ex effectibus etiàm melancholię nos temperaturæ frigiditatem, & siccitatem absquè materia cognoscere posse aiunt, quià dantur melancholici ex prædictis causis perpetuò vigiles, emaciati, consumpti, oculis cauis, quæ omnia materiæ defectū ostendunt, atquè idcircò melancholici quidam sunt, qui absquè purgatione solis humectantibus tractantur; Respondetur curas, & sollicitudines, quemadmodum, & inediam non esse immediatas melancholiæ causas, quandoquidem hæc cum spirituosam sanguinis substantiam, proindequè innatum calorem dissipent, sunt in causa, vt sanguis, qui priùs laudabilis, & temperatus erat in melancholicum degeneret, sanguine autem melancholico existente, quid mirum si corpus refrigeretur, & exsiccetur, siquè animales spiritus tenebricosi reddantur, vnde postmodum melancholia? quid adhuc mirùm, si emaciatio, consumptio, & oculorum cauitas appareant, si sanguine melancholicò, & nutritioni inepto existente carnosarum partium substantia absumatur? ac tandem quid mirum, si in huiusmodi melancholicis curandis à purgātium medicamentorum vsu medici abstineant, cum in hisce casibus, in quibus calidi innati maxima penuria est, purgantia lethalia essent? Et quamuis Galenus 3. de loc. aff. iàm cit. se frequentibus balneis, & solo victu humido melancholicos curasse affirmet, qui sortè non ob animi pathemata in huiusmodi affectionem inciderint non tamen ab intēperie, sine vllo humore delirium inferri ex ipso colligimus, ibi enim scribit affectionem leniorem, nec dùm confirmatam fuisse, & ideò humorem non multum vacuationi restitisse, ex quibus liquet humorem præextitisse, paucum tamen, quem recreata natura facilè potuit euincere, ac pro rudere; Nullius adhùc roboris est argumentum illud, quo deducunt, si ex intemperie cum materia fit melancholia, ergo & ex intemperie absquè materia, quod probant, quià si per purgationem sublata materia in affectu melancholico essentiali, qui fit ab intemperie,

cum

cum materia remanet melancholia ex nuda cerebri intemperie, ergo potest dari aliquando melancholia ex intemperie sine materia, sed si talis aliquando est post purgationem, ita & talis aliquando esse potest nulla facta purgatione; at falluntur isti, dùm per purgationem sublata materia melancholiam remanere ex nuda cerebri intemperie credunt, nam in affectu melancholico essentiali difficillimum est morbificam materiam omninò educere quæ si omninò educatur, tùnc aut melancholia cessat, aut si remaneat, non ob intemperiem remanet, sed ob phantasmata profundiùs ac vehementer impressa, quod vtrumquè ex perientia commonstrauit, hoc enim nos docuit Trallianus exemplo mulieris, quæ cum in proprio ventre serpentem habere imaginaretur, solo leui vomitorio sanata fuit, quod signum euidentissimum erat, mulierem illam non ob intemperiem, nequè ob materiam, sed solum ob phantasma fortiter impressum melancholicam permanere; non quidem ob materiam, quandoquidem materia diutiùs, & essentialem melàcholiam efficiens leui vomitorio nequit euacuari; sed minùs ob intemperiem, quis enim vomitorio diuturnam cerebri intemperiem corrigi asserat? melancholiam deniquè sublata omninò morbifica materia cessare (dummodò tenebricosa phantasmata non sint profundiùs impressa) colligimus ex historia a Balduino Ronsseo descripta in suis miscellaneis Epist. 3. namquè ibi author refert mulierem, quæ cum antea sibi plura, & per longum tempus adhibita essent remedia, sed frustra, tunc a melancholia libera euasit, postquam se ab alto proiecit in pauimentũ cuius rei rationem reddens, hoc de melancholia illa intelligendũ scribit, quæ fit ex sanguine tantum iuxta cerebrum, alterato, reliquo in toto corpore illæso permanente, verisimile siquidem est violento illo, ac forti casu corporis compagem concuti, atquè melancholicum humorẽ forti illa concussione a cerebro ad partes inferiores delabi, quare sublata materia a cerebro in quo melancholia fit, & melancholiam quoq; sublatam fuisse certiores reddimur; sed non ne videmus interdùm melancholiam habere accessiones, & remissiones, momento temporis accedere, & recedere? Intemperies autem non nisi longo temporis interuallo aut generatur, aut corrigitur; prætereа deprauatæ melancholicorum imaginationes innumeræ sunt, quomodo ergo ab vna frigida, & sicca intemperatura prouenire poterunt? statutum igitur sit, intemperiem frigidam, & siccam, quemadmodum, & omnes alias, quæ melancholiam facere creduntur, esse quidem melancholiæ causas non immediatas, sed mediatas, quatenùs scilicet sanguinem nigrum, & fæculentum reddunt, nigrescit enim interdùm humor vltra modum calefactus, sæpè etiam frigefactus, sic & in externis etiam nos corpora liuida, ac nigra, a frigiditate reddi videmus; caterùm antequam sermoni de intemperie finis imponatur, non nihil de humida subiungamus.

An ab humida intemperie fieri possit melancholia? Cap. XV.



QVod superius rationibus, & experientia ostensum est, hic tanquam fundamentum supponatur, nimirum quamlibet intemperiem, quæ melancholiam efficere credatur, illius non immediatam, sed mediatã existere causam; quærentes igitur an humida intemperies melancholiam excitare possit; dicimus non esse rationi consonum, vt idem effectus prodeat à diuersis, & prorsus inter se contrarijs causis, sed frigida, & sicca, vel calida, & sicca intemperies est melancholiæ causa, quatenùs sanguinem in melancholicum succum transmutat ergo non erit humida; vniuscuiusq. enim effectus vnica tantum est immediata causa, at si iam dictæ transmutationis sanguinis in melancholicum succum est causa absumēs, & exsiccans, non ergo erit humectans; præterea melancholia est affectus, qui à causa putata nempè ab humore melancholico, à quo fit, nomen desumpsit teste Galeno lib. 2. meth. cap. 2. at nullam cum humida intemperie conuenientiam habet melancholicus humor, cum siccus sit; tandèm ab humidà cerebri intemperie homines redduntur obtusiores, stolidi, pigri, maximè somnolenti, & tamen melancholicos, callidos, solertes, impigros, maximèq; vigilijs infestari obseruamus, qui effectus cum prædictis è diametro contrarij sint, siccitatem potiùs, nullo pacto humiditatem ostendunt; Qui tamen contrarium opinantur plura afferunt ex Hippocrate, & Galeno, Hippocrates enim lib. de dieta ait, Aquam si superet ignem in humano corpore, esse fatuitatis causam, si ad huc magis superet, desipientiæ melancholiæ cum timore connexæ, sed vbi superat aqua, ibi necessitate humida prædominatur intempies, ergo ab humida intemperie melancholia; deinde cum timor, & mæror sint (vt totiès diximus) proprij melancholiæ caractheres, Galenus in 6. Epid. comm. 2. tit. 38. ait pituitæ serum timiditatem afferre, aut pituitam ipsam, si acida sit, & corrupta; Idem in arte med. c. 35. inter signa frigidi, & humidi cordis timorē reponit, argumentum sane clarissimũ, timorem posse ẽt à cerebro prouenire intẽperie frigida, & humida affecto vnde 2. de tẽperã. c. 6. pituitosos omnes esse timidos docet, Hanc ẽt sententiã confirmant exẽplo, nãm Eraclitũ, qui totã in lachrimis vitã deguit, & tanquam melancholicus ab omnibus profertur, nõ modo ex lachrimarũ copia, sed hydrope, quo interijt morbo, conijciendũ est frigida, & humida intẽperie laborasse, ex effectibus etiam innotescit, quidam enim putant se constare ex glacie, aut ex niue, aut habere clunes vitreas, vt nolint sedere, alij confectos se ex butyro, vt Marcellus Donatus refert, alij verentur mictionem, putant enim tantam esse in proprijs corporibus vrinam, vt totum terrarum orbem submergant, quæ omnia ex abundantia pituitosi seri proueniunt, hinc iure dictum est, tot esse melancholiæ species, quot sunt somniorum differentiæ, at somnia sunt varia ex humorum varietate, & qui somnia faciunt niuis, pluuiæ, glaciei, ex Aristotele lib. de

som. & vigil. & ex Galeno lib. de dignot. ex insomnijs, hæc patiuntur ob pituitam, itaq: & melancholicorum deliramenta, quando niuis aut pluuiæ, aut glaciei fuerint, in pituitam sunt referenda; sic maximè confirmat fieri ex pituitosis humoribus melancholiam hypocondriacus affectus, qui & si vel plurimum sensum habeat caloris circa ventriculi regionem, aliquando tamen nec rarò sine vllo caloris sensu reperitur, neq; aliud redolet præter pituitam, humoresq; frigidos, hinc facile videas plerosq: hypocondriacos habere vomitus pituitosos, acidos, ex ipsisq: subleuari, perpetuò expuere, flatibus abundare, omnia sanè pituitosi succi argumenta; sed hæc facilimè diluuntur, nam Hippocrates lib. de dieta per aquam potest intelligere humorem melancholicum, quemadmodum per ignem biliosum, intelligit, nam aliàs humorem melancholicum aquam vocauit, sic lib. 4. de morbis lienē, nisi ægrotet iuxta suam ipsius naturam plurimum aquæ trahere scripsit, sed cum hanc attrahat, vt nutriatur (sic enim, & cerebrum pituitam, & cor sanguinem, ex eodem Hippocrate trahunt vt in primis nutiantur) nos scimus lienem non verè aqua, sed melanchclico sanguine nutriri, quare per aquam melancholiam intellexit Hipstocrates, quandò verò Galenus in epidem. ait pituitæ serum, aut pituitam ipsā si acida sit, & corrupta, timiditatem afferre, respondendum est, non omnē timiditatē cum melancholia morbo coniūgi, & idcircò nō negatur illos humores tanquàm frigidos posse hominem timidiorem reddere, quemadmodum, & ex eodem Gal. in art. medicin. cor frigidius, & humidius hominem talem reddit, si autem Galenus per timiditatem, eam, quæ melancholicorum est, intelligat, dicemus prædictos humores non ratione humiditatis ipsam producere, sed fumosæ exhalationis, quę spiritus animales appellatos obscurat, tenebricososq; reddit, præterquam quod in dubium verti possit, an acidus humor potentia humectet, vel potiùs exsiccet; quod autem Eraclitus totam in lachrimis vitā deguerit, & hydrope perierit, qui melancholicus vixerit, non obiduolumus in eo factam fuisse melancholiam ab humida intemperie, sed à sicca potiùs, & frigida, nam quod corpus duplici intemperie, quamuis contraria eodem tempore simul laboret, nullum inconueniens est, dummodo vna sit connaturalis facta, altera ad scititia siuè vna per se, ex accidenti altera, sic Eraclitus quamuis lachrymarum copia, & aqua inter cutem laboraret, & proindè frigida, & humida intemperie, nihilominùs quo ad ipsius solidas part. s ex se, & connaturali facta, frigida, & sicca intemperie laborabat, quæ quidem frigida, & sicca intemperies pituitosos, serosos, & proinde humidos succos excrementitios producere aptissima est, quod re vera vel Galeno teste lib. 2. de temperam. cap. 2. in senibus obseruamus, Senes, enim cum temperamento frigido, & sicco sint, nihilominùs frigidis, & humidis abundant excrementitis; Tandem cum tot esse, melancholiæ species, quot sunt somniorū differētiæ dicant, & non secus insōnia, quā me-

melăcholica phantaſmata pluuiæ, niuis, glaciei, pituitā oſtĕdant, cōcedimus, non tamen ab hac melancholiam prouenire dicemus, quando quidem poteſt in cerebro melancholici humoris portiuncula reſidere, quamuis in alijs partibus; vel in vniuerſo corpore copioſius abundet pituita, imò & cum melancholico humore ſæpè admixta eſt pituita, ita vt mirum non ſit, ſi ſæpè etiam ægri circa phantaſmata delirent, quæ pituitam præſeferant, namq: pituita ex admixtione melancholici humoris nigredinem acquirit, quæ ſpiritus animales melancholiæ authores tenebricoſos reddere eſt apta; Poſtremò non ex affectu hypocondriaco confirment iſti ſententiam propriam, quoniām in eo affectu pituitæ prouentus, ex qua quidem fiunt flatus, carentia ſitis, expuitio perpetua, & hiſce ſimilia, non eſt melancholiæ cauſa præcipua, quamuis ipſam fouere poſſit, ſed potiùs ſignum, quod calidi innati penuriam oſtendit, ſiue illud à caliditate, ſiue à frigiditate depauperetur, vt ſuo loco dicemus, quamobrē ſtatutum ſit, omnes prædictas rationes concludere quidem melancholicam affectionem delirio iūctam reperiri poſſe cū humida intemperie, eam tamen ab ipſa proficiſci, nequaquam.

An propter naturam humoris melancholici ſeu proprietatem occultam fiat melancholia? Cap. XVI.



HOc vno, & ſanè forti terruit argumento Auerroes, nimirum ſi ex nigredine fit melancholia, neceſſe eſt, vt ex albedine fiat lætitia, contrariorum enim eſt eadem ratio, ſed hoc falſum, & ridiculum eſt, quoniām ex ſanguine fit lætitia, qui rubri, & non albi coloris eſt, quare referendum hoc erit in naturam humoris melancholici, ſicuti de natura ſanguinis eſt, vt ipſum ſequatur gaudium, & lætitia. Plures plura reſpondent, ſed nullo pacto argumentum ſoluere mihi videntur, nām quamuis dicat Galenus 3. de præſag. ex pulſ. cap. 5. confugere ad naturam, & proprietatem rerum non eſſe hominis philoſophi, ſed eorum, qui nihil docent (ita enim facile eſſet vnicuiq: ſe ab omni difficultate explicare) hoc verum eſt, vbi rerum cauſas inueſtigare poſſumus, ſed quo modo ex:gr: cur magnes attrahat ferrum, aut ſuccinum paleas, reddamus cauſam niſi in illorum naturam, ſeu proprietatem occultam id referamus? Reſpondent alij non tantùm ob atrum colorem fieri metum, & triſtitiam, ſed etiam ob intemperamentum frigidum, & ſiccum, quo cerebrum prædictæ melancholiæ efficiendæ redditur idoneum; eſto cerebrum frigidum, & ſiccum, ad patiendam melancholiam aptius eſſe, ſed in omni melancholia cerebrum tale eſſe debere negandum eſt, cum ex Auicenna detur melancholia, in qua cerebrum eſt humida intemperie affectum; deinde ſint exemplo, qui in ſomnijs melancholica accidentia patiuntur, non enim neceſſe eſt ipſos tunc temporis laborare frigida, & ſicca cerebri intemperie cum experrecti ſani ſint; ſi vero

dicant nigredini, seù atro colori melancholici humoris, aut spirituum non contrariari albedinem, sed lumen, quis modo affirmet, quod sãguis det lumen animæ? nàm si humor melancholicus, aut vapor melancholiam efficiat, quia obtenebret spiritus, sanguis lætitiam pariet, quià ipsos reddat nitidos, & perlucidos, sed quomodo quæsò sanguis animalibus spiritibus immixtus tales reddat, si sit illis ipse satis densior, & opacior non ex colore igitur, sed potiùs ex propria humorum natura ista prouenire cum Auerroe fatendum erit; Attamen si res intimiùs inuestigetur non ex tali propria natura, sed à manifesta causa, hæc omnia pendere intelligemus; Animales igitur spiritus tùm in cerebri ventriculis, tùm in porositatibus continentur, quare vt sãguis ipsis immisceatur, aut in cerebri ventriculos, aut in porositates effundi, extraũenariq; debet, quòd si fiat, non lætitia, sed Epilepsia, aut apoplexia à sanguine potiùs sequetur, præterquam quod sanguis extrauenatus, aut putresceret, aut concresceret, si putresceret hinc inflammatio, hinc phrenitica deliria; si concresceret, vbi spirituosa illa substantia, vbi luciditas, quæ lætitiam pariat? non igitur sanguinis propria substantia spiritibus animalibus immisceri potest, remanet ergo, vt illius vapores ipsis immisceãtur, sed sanguinis vapores (tenuis enim, & purus succus est sanguis) & si spiritibus animalibus aliquo pacto crassiores sint, non tamen eam obtinent crassiti.m, quæ valeat ipsos obscurare, & tenebricosos reddere, valent quidem vapores isti propria caliditate, & humiditate spiritus afficere, qui calidiores, & humidiores redditi, cum sat sit ipsis, quo præditi sunt, splendor, lætitiam pariunt, ità vt sanguis non albedine, non splendore, non lumine, sed caliditate, & humiditate, quam obtinet, ipsam spiritibus animalibus impartiendo producat lætitiam; certum est enim spiritus animales; quocumq; humore, aut vapore inficiantur, eiusdem etiam vaporis, aut humoris qualitate coaffici, namquè aerea, & tenuissima illorum substantia ad quascũq; alterationes recipiendas aptissima est; at aliquis fortasè obijciat, si sanguis caliditate, & humiditate lætitiam inducit, ergo melancholicus humor quatenus frigiditate, & siccitate spiritus animales afficiat, melancholiam producet; hæc consequentia negatur, nàm quamuis predicta intemperies homines ad melancholiam promptiores reddat, sola tamen, & per se melancholiam inducere non valet, frigidæ enim, & siccæ intemperiei proprium est imminuere, non deprauare actiones; nec nobis difficultatem faciat, quod eadem sit contrariorum ratio, ità vt si excedens caliditas, & humiditas deprauet, ità frigiditas, & siccitas actiones deprauare debeat, nàm si rectè consideremus, hæc propositio currit, quando quidem animalium spirituum caliditas, & humiditas augent in hoc casu actiones, quemadmodùm frigiditas, & siccitas imminuunt, lætitia enim exuperans nihil aliud est, quàm hominis aucta affectio, quas affectiones, cum naturæ limites excedant sub genere deprauatè læsarum actionum medici comprehendunt; manifestum igitur,

& ex

& ex præsenti, & ex 14. quæstiunculis, non frigiditate, & siccitate, non natura, non proprietate occulta, sed præcipuè nigredine ab atrabile melancholiam produci; Cæterum nonnulli obijcient, quod si propter nigredinem humor melancholicus timorem faceret, semper vbi reperitur in cerebro deberet inducere huiusmodi timorē, sed cum nō inducat, sequetur etiam veram timoris causam minimè nigredinem esse, & quod melancholicus humor in cerebro existens non faciat timorem, apparet ex maniacis, qui cum habeant humorem atrum perpetuò in cerebro, tantum abest eos quicquā timere, vt potiùs quidlibet audeāt; vnum tamen verissimum supponendum est, antequàm responsio afferatur, nimirùm ad animales, & præsertim principes perfectè edendas actiones non solùm requiri spirituum temperiem, sed etiam temperiē consequentia, vt luciditatem, motum conuenientem, & mediocrem substantiam; & quemadmodùm ex his alia ad hanc, vel illam actionem magis faciunt, ità præternaturam cōstituta hanc, vel illam magis lædunt; his ità se se habentibus respondetur plus posse in maniacis caliditatem, siccitatem ad furorem, & audaciam, quàm nigredinem ad timorem, vbi enim simùl hæc insunt, & vna longè superat aliam, superantis tantummodò apparent effectus, sed iam an alius humor à melancholico melancholiam inducere possit perquiramus.

An humor melancholiam efficiens sit calidus, vel frigidus. *Cap. XVII*

HVcusq; totiès decantatum est ab vnico animali spiritu tenebricoso reddito melancholiam excitari, vt nihil magis; quare hoc iacto fundamento, & eamdem à quocumq; humore, produci posse, siuè calido, siuè frigido, arbitrari possumus, dummodo hic animales spiritus opacos, ac nigros reddere sit potens; quare, & superuacanea omnino foret quæstincula, nisi nobis porrigeretur occasio Galeni nonnulla loca explicandi, quæ inter se contrarietatem præseferre videntur. Interim si quis argueret, melancholicos nunquam deseri à timore, & tristitia, sed hæc frigidos, non calidos insequuntur humores, ergo melancholia, à frigido humore producitur, neganda est consequentia, quià etiam si timor naturaliter frigidius hominum temperamentum, ac proinde frigidiores humores comonstre, contra quā faciat audacia, timor iste morbosorū melāncholicorū, de quo loquimur, non immediatè temperaturas, aut humores, sed terrificū, seù tenebricosum phantasma sequitur, circa quod imaginatrix, vel etiam ratiocinatrix facultas deprauatur, ità vt ex hoc nō possimus inferre melancholiam fieri ab humore frigido; sic lycantropias, & chynantropias melancholiæ species, in quibus, & timor, & tristitia reperiuntur, ab humore excalefacto prodire omnibus in confesso est. Imò viri grauissimi extant, qui à Galeni placitis apertissimè recedentes melancholiam

omninò ab humore excalefacto, nequaquàm autem frigido fieri autumant; per humorem verò excalefactum non nigram bilem,seu sanguinis fæcem adustam,superassatam, atq: retorridam(ab hac enim maniaca,atq:phrænitidis deliramenta potiùs suscitantur)sed eam aliquo pacto accensam, atq: incalescentem magis quàm propriæ illius naturæ, seù naturali temperamento conueniat, intelligunt, atq: propriam sententiam rationibus corroborant, & primò sic; Si melancholicus humor naturalis melancholici delirij causa foret caloris nulla præcedente opera, frequentissimus esset affectus, cum tamen vix millesimus quisq: melancholia corripiatur; secundò si melancholicus succus, & atra sanguinis fex à quibus melancholicas dementias prouenire sancitum est,aliqua de causa non incalescant nulla melancholiæ rudimenta apparebunt, sed stupiditatis potiùs, & fatuitatis. Tandem si melãcholicus humor quando copiosior abundat melãcholias excitare possit, & tunc copiosior redundet,vbi hepar calidiori temperatura donatur, quis incalescentiam melancholici humoris, quam diximus, melãcholiæ concausam esse repugnet? Ego certè huiusmodi incalescentiam humoris ad promouendum delirium non parùm posse existimo, quasi calor quiescentem, ac tardi motus sua natura humorem commoueat, & exagitet,& ità fit in causa,vt ab enarrato humore promptiùs,ac magis melancholia inducatur, eam tamen ad omnem melancholiam excitandam prorsùs necessariam esse minimè puto, quod idem, & Galenum sensisse fatendum est, dùm in comm. Aph. 11. sect. 6. laudat hæmorroidas in melancholia, quià ipsa sanetur ad euacuationem crassi sanguinis, qui est veluti fæx in vinis; hunc autem frigidiorem succum esse pluribus in locis edocuit,& idcircò lib. de succ. bon. & vit. c. 10. scripsit,quod quicumq: sanguinem habent plus iusto melancholicum, his alimentis opus est temperamento calidis, & humidis,imò Galenus apertè opponit hunc humorem melancholicum tanquam frigidum atræ bili tanquàm calidæ, dum 14. meth. c. 9. ait,quod hic cum in cerebri corpore abundat, eam insaniæ speciem quam Græci melancholiã vocant,efficit,quemadmodum alter atræ bilis succus,qui præassata flaua bile nascitur, ferina deliramenta inducit, modò cum febre, modò sine febre in cerebri corpore abundans; & tandem apertissimè hoc idẽ efficit in lib. 3. de sympt. caus. c. 7. hæc ad litteram proferens. „ Mania verò interdùm mordaces sequitur succos, qualis est præcipue flaua bilis, interim verò à calidiori cerebri temperatura nascitur, sola autẽ melancholica (vt vocant) dementia a frigidiori succo, vt causa, euenire solet,quapropter ex his Galeni locis non est necessaria incalescentia aliqua melancholici humoris ad melancholicam dementiam excitandam, hinc mirum non est si ferè omnes medicinæ scriptores cũ Galeno in primo de temperam. c. 3. statuant melancholiam esse morbum frigidum,& siccum; Cæterum neq: incalescentiam illam reijcere videtur Galenus 3. de loc. aff. c. 7. tùm in melancholia, quæ fit per consensum

sensum à toto, tùm in ea, quam hypocondriacum, flatuosumq; morbum nominant; de illa enim loquens ait, quod maghri, & nigri, & hirsuti, & quibus latæ sunt venæ, aptissimi sunt, vt huiusmodi in ipsis humor cumuletur; fitq: interdùm (subdil 4.) vt prærubro colore homines affatim in melancholicam temperiem decidant, atq: post hos flaui, idq; maximè, quando, & vigilijs, & multis laboribus, & sollicitudine, & tenui victu fuerint educati; quæ quidem omnia totum corpus excalefacere, atq: exsiccare possunt, vnde non mirum etiam si in his curandis vel vsq: ad animi defectum, interdùm fiat sanguinis euacuatio; Sic & de hypocondriaca loquens melancholia assentitur Diocli scribenti flatuosos vocatos plus caloris, quàm decet habere in ijs venis, quæ alimentum, à ventriculo excipiunt, sanguinemq: in ipsis (nempe ob eumdem calorem) crassiorem factum; Tandem & in melancholia, quæ per essentiam in capite fit, huiusmodi calorem posse contingere neq: negauit Galenus eodem 3. de loc. aff. iàm cit. non tamen audiendi sunt qui Galenū sibimet ipsi contradicere affirmare audent, inter quos est modernus, & elegantissimus Scriptor Curtius Marinellus Venetus in suis controuersijs, in const. atq: admirat in Galeni dictis, hic autem totam vim contradictionis ponit in verbis Galeni 3. de loc. aff. c. 7. quæ sunt ista. ,, Cerebro accidit, vt nō nunquam vniuerso in venis sanguine melancholico effecto ob commune vitium ipsum quoq; lædatur nō numquàm verò reliqui corporis sanguine prorsus innocuo solus is, qui in cerebro contentus est, alteretur, idq: bifariam fit, aut enim aliunde in ipsum deriuatur, aut in ipsomet melancholicus humor genitus est, cum videlicet (notentur hęc verba) multus eius loci calor, aut flauam bilem aut crassum, atrumq: sanguinem superassauit; En Galeni (infert ille) contradictio apparens dum superioribus locis pronunciat bilē præassatam ferina deliramenta suscitare, cum in cerebro continetur. Sed pace tanti viri ego contradictionem hanc non reperio, quandoquidem sententia Galeni est, vt melancholia fiat ab humore melancholico cerebrum occupante, qui humor sicuti superioribus in locis asseruit, frigidus, & siccus est; imò & in eodem 3. de loc. aff. iàm cit. vt excellentissimus Marinellus refert Galeno melancholiā ab humore frigido, & crasso initium suæ generationis ducere memoriæ tradidit, dum impulsore Hippocrate decreuit melancholicum succum melancholiā gignere cum repit in mentem, seu temperiem cerebri transmutat, ac cum in corpus, scilicet in ventriculos, Epilepsiam, quando tam immemor sui sit Galenus, vt in eodem capitulo essent alē melancholiā fieri a præassatis, ac feruidioribus humoribus scribat? hoc qui credunt, certo decipiuntur, & deceptio à verbis superius notatis, ac malè intellectis exoritur, putant enim tunc flauam bilem, ac crassum, atrumq: sanguinem superassari, dum melancholica fit dementia, quod ne quidem somniauit Galenus, imò si rectè ipsius verba perpendantur, inuenietis melancholiam fieri tunc, quando melancholicus humor frigidus in cerebro con-

tinetur

tinetur, nàm dùm sanguis in cerebro contentus alteratur(inquit Galenus)ideſt conſpurcatur à melanchòlico humore tūc melancholia exoritur,idq: bifariam fit,aut enim aliunde in cerebrum deriuatur melancholicus humor(& eſt vnus modus, quo melancholia producitur) aut in ipſomet cerebro genitus eſt, non inquit Galenus gen ratur, ſed genitus eſt, & quando genitus eſt? quando calor cerebri multus aut flauā bilem, aut craſſum ſanguinem ſuperaſſauit ; non inquit Galenus ſuperaſſat,ſed ſuperaſſauit, ita vt tempus iàm longè elapſum, & præteritum inſinuet,quo tunc tempore,& multus calor cerebrum detinebat,& humores in eo contenti feruidiores erant,tuncq; ſi quod delirium excitabatur illud certè non melancholicum, ſed ferinum, ſeù maniacum potiùs deliriū erat,nàm flaua bilis, & ſanguis craſſus ſuperaſſati, quouſq: feruorem retinent,nequaquàm melancholici humoris,ſed atræ bilis de nominationem,atq:vnà cum eadem atræ bilis effectus retinent , ſed ab atra propriè dicta bile melancholiam excitari nullibi faſſus eſt Galenus,qui ab eadem ferina deliramenta induci ſcripſit , imò & à proprio melancholico humore naturali exuſto maniam excitari non ignorauit vel Marinello teſte dùm in 6.aph.comm.56. ſic loquitur „ Mania ſemper ab humore ſtimulante atq:mordente,talis autem ſemper flaua bilis aut melancholicus humor cum malignam acquiſiuerit qualitatem. Verùm & ab atra bile tractu temporis iàm feruore illius euaneſcente, & eadem ad frigiditatem declinante(tunc enim atra bilis exquiſita nō eſt amplius,ſed ad melancholici humoris naturam accedit)melancholiam produci,& non aliud Galenus nos docet in verbis ſupra notatis , vnde rectè dixit non atram bilem,ſed melancholicum humorem,& hūc non gigni,ſed genitum fuiſſe,vt oſtenderet in eo feruorem non ampliùs conſiſtere,ſed iàm euanuiſſe; Atq:hæc ex eo confirmari videntur,quod rarò admodum eſſentialem in cerebro melancholiam primò oriri videmus,quemadmodum ſæpiſſimè hāc ipſam à maniaco delirio ortum trahere non ignoramus . Ampliùs niſi Galenus loco citato flauæ bilis meminiſſet , ſed dumtaxat de ſanguinis craſſi ſuperaſſatione loquutus fuiſſet,aliam pro ipſo,& ex eodem elicitam poſſemus adducere interpretationem,nimirùm illum per ſuperaſſationem ſanguinis non eam ſuperaſſationem intellexiſſe,quæ ſanguinem in atram propriè dictam bilem tranſmutat,ſed eam,quæ illum in melancholicum ſanguinē tranſmutat,is enim non atram bilem,ſed melancholicum ſanguinem fuiſſe apertiſſimis verbis ſcripſit,& quod ex ſanguinis ſuperāſſatione melancholicus humor,& nō atra bilis generari poſſit,nos docet Galenus lib. 2.de ſympt.cauſ.c.9.ſic inquiens,„ Quod ſi ſanguis ſupra modum aſſatus fuerit, pars eius quidem ſubtilior, ac pinguior omninò in flauam conuertitur bilem,quæ autem eſt craſſior in atram, quod in his tumoribus,qui carbunculi appellantur,contingit, nàm in his ex ſanguine, ſupra modum efferueſcente ad melancholicum humorem,vt qui nondum exquiſite in atræ bilis naturam tranſierit , ſed in quodam et confinio


finio constitutus. Ex his igitur concludendum erit Galenum non semper necessariam existimasse incalescentiam in melancholica dementia,& præsertim quando fit ab humore propriè melancholico appellato in cerebro abundanti, neq; etiam eamdem negasse, dùm melancholiam fieri ab humore melancholico per sanguinis superassationem genito concedit, si quidem hic nihil aliud est, nisi melancholicus ille humor, qui in confinio atræ bilis est positus; Tandem si illam in melancholia à toto, & in ea quam hypochondriacam vocamus, concedit Galenus, eamdem,& in hac concedere nullum erit incōueniens. Remanet vt nonnullæ dubitationes adductæ soluantur,& primò quando dicebatur melancholiam frequentissimam fore, si ab humore melāncholico nulla præcedente caloris opera produceretur: Respondetur quod quemadmodum rarò peccat melancholicus humor qualitate, ità & quantitate, & præsertim in cerebro parte tùm humidiori, quæ pro sui nutritione ficciorem humorem non trahit, tum sublimiori ad quam non facile est transmittere terreum, atque grauem humorem,tandem præcipua, præcipuas .n. partes tamquàm maximè necessarias natura magis tuetur, Secundò quando dicebatur, nullà melancholiæ rudimenta se manifestatura nisi melancholicus humor incalescat, sed stupiditatis potiùs; Respondetur a melancholico humore frigido & sicco, si cerebrum ad similem intemperiem producatur, stupiditatem quidem prouenire, si verò animales spiritus obscurentur melancholiam excitari, si verò vtrumque simul succedat, & melancholiam cum stupiditate coniugi; non rarò .n. & præsertim hoc dominante humore melancholicos, stupidos ac fatuos simul obseruamus. Tertia tandem ratio melancholicum humorem frigidum non excludit, sed ab eo incalescente melancholiam magis excitari ostendit,nihilominus pro maiori dilucidatione non erit incongruum examinare an melancholicus humor propriè dictus, non qui in confinio atræ bilis est positus, sed qui sanguinis fex appellatur à caliditate, vel à frigiditate producatur.

Cur atra bilis, quæ in cerebro melancholicorum ab exurente caliditate progenita fuit, dùm adhùc feruorem retinebat, ipsum nōn exederit, cum hæc si in mammam, aut crus decumbat exesionem faciat. Cap. XVIII.

NON solùm melancholias, quas ferinas appellant, sed & maniam, imò & phrenitidē quoque ab atra, exurentèque bile fieri apud grauissimos authores comperimus, hinc Galenus (vt Auicennam taceam) 3. de loc. aff. c. 7. dixit eam phrenitidem mitiorem esse, quæ à pallida bile ortum contraxit, vehementiorem, quam flaua bilis peperit, tandem ferinam, & melancholicam,quæ à præassata flaua bile ortum habuit; sed quid aliud est præ-

assata bilis, nisi atra bilis? cur ergo ista tandiù in cerebro persistens ipsius substantiam non exedat, quemadmodum in mammam, aut in crus, aut in aliam partem decumbens ipsam exedit? Duas huius rei affert rationes Alexander Aphrod. lib. 1. Probl. 92. & prior est atræ bilis paucitas, quæ in cerebrum propter venas tenues, & ascensum difficilem effertur (in mammas .n. & crura, cum venæ amplæ, per multeque coeant, illò atra bilis copiosa confluit) altera est cerebri frigidum, & humidum temperamentum, quod aliqua ex parte atræ bilis naturæ repugnat, & mitigat, neutra tamen ratio vndequaque arridet, non .n. semper ad cerebrum, quæ in eo est, atra bilis delata fuit, sed in eodem ab exurente caliditate sui generationem habuisse potest, quo casu non pauca, sed copiosa atra bilis esse potest, & eo magis quò non solùm bilis, & naturalis melancholicus humor, sed etiam sanguis per exustionem in atram vertitur bilem, vt in superioribus dictum est; & quamuis in cerebro tenues sint venæ, nec multæ, nihilominùs in eo capacitas quædam ex tunicis venarum in latitudinem auctarum constructa reperitur, quæ multum sanguinis continet, itàut & multa quòq; atra bilis in eodem existere possit; potior est ratio de frigido, & humido cerebri temperamento, verum hec ipsa concludit, dum ab exustione producatur atra bilis, tunc.n. ad calidum, & siccum conuersum est cerebri temperamentũ, itàut potiùs foueat, quàm repugnet, potiùs acuat, quàm mitiget atræ bilis naturam, Veram ego causam censerem esse cerebri substantiam laxam, ac raram ob plura, innumeraq; foramina peruiam, itàut atra bilis huc, illuc facile permeet, nec figi possit; nequè mammarum obstat laxa, spongiosaq; substantia, quandoquidem, vti cerebri, foraminulenta non est; Huic subnectenda est pituitosa materia, qua cerebrum scatere solet, hæc.n. frigida, & humida atræ bilis exedentem qualitatem frenat, ac mulcet, nec obstat cerebri temperies ad calidum & siccum iàm mutata, siquidem illius innata facultas proprium attrahendi humorem, quo alatur, mutari nequit, sed iàm cõpertum est maxima ex parte cerebrum pituita nutriri, quæ ab ipso attracta dictæ bilis acrimoniam compescere valet, & quamuis hæc à nimia cerebri caliditate exuri possit, nihilominus successiuè attracta successiuè compescit, itàut atra bilis cerebri substantiam nunquàm exedere queat; tandem eam addere possumus rationem quam peritissimi scriptores de allio afferunt, quæritur.n. cur allium contusum, & exteriùs applicatum vesicas attollendi atq; cutim exulcerandi vim obtineat, interiùs verò assumptum ventriculum, aut alias internas partes non exulceret; Respondent ab ipso internas partes non lædi, non tantùm ob humiditates, quibus scatent, allij causticam vim obtundentes verùm etiam ob maiorem calidi innati abundantiam, qua internæ partes præditæ sunt, quæ responsio, & nostro quæsito apprimè facit, cum vbera, & crura sint externæ partes, cerebrum verò interna, & internarum quoq; nobilissima pars extet.

An humor melancholicus propriè dictus, seu fæx sanguinis generetur à caliditate, vel à frigiditate? Cap. XVIIII.



Iuersas esse melancholici homoris species, nullus, est quĩ ignoret, sed quotquot veliut, alij statuant, nos tres præcipuas cum Galeno, ac alijs doctissimis viris adinuenimus, Vnam, quæ est omninò naturalis, & sanguinis fæx seù subsidentia extat, aciditatis nihil, aut minimum habens, humorq; est frigidus, & siccus, qui partim cum sanguine per venas permeat, & alimentalis diciur, partim verò ad lienem transmittur, & excrementitius est; quem si velimus exquisitè loqui dicebat Galenus in 6. aph: 53. humorem melancholicum appellamus, interdùm verò nominibus abutentes atram bilem vocamus; Alteram quæ præter naturam omninò est, & atra bilis dicitur, acidissima prorsus, & quæ ex Galeno 3. de loc: aff: c. 7. terrã radit, attollit, & f rmentat atq; ãpullas, quales feruētibus iusculis supernatare videmus, excitat, Tertiam demùm, quæ inter vtramq; media est, cum non adeò mitis sit vt naturalis melancholia, neq; adeò acida, atq; sæua vt atra bilis extet, & à Galeno non dicitùr propriè atra bilis sed in confinio posita atræ bilis, postremas duas à calore fieri nullus in dubĩum reuocat, nàm propriè atra bilis aut naturalis melãcholiæ sanguinis fęcis appellatæ, aut flauæ deniq; bilis exustione fit, quemadmodum scripsit Galenus in comm: supracit. aph. & lib. de atra bile, itaut citra controuersiam ex calore, & excedenti fieri constet; de ea verò, quæ in confinio atræ bilis propriè dictæ posita est, loquutus est Galenus 2. de diff. febr. c. 9. dicens ex sanguine superassato fieri melancholicum humorem, vt qui non dùm exquisitè in atræ bilis naturam transierit, sed in quodam sit confinio constitutus. an verò & atra bilis à pituita fiat, iàm superiùs quæstiuncula 20. disputatũ fuit, Quoad naturalem verò melancholiam, seù fæcem sanguinis, spectat, hæc neq; ex frigore, neq; ex calore excedenti fit, sed eodem prorsus calore, quò sanguis, ex dispositione tamen materiæ, itaut si materia crassior, ac terrestior sit, copiosior generetur, si verò tenuior, nec adeò terrea extet in minori copia fiat, hæc autem melancholia, nullo pacto frigiditatem, & siccitatem, quamuis frigida, & sicca sit, sui efficientem causam agnoscet, namq; si illius maior, copiosiorq; prouentus est, quò sanguinis maior vbertas gignitur (siquidem ad pensum, & proportionem sanguinis libranda est quoq; melancholiæ seù fæcis eius quantitas, mensurata cuiusq; ad alterum debita proportione) siq; in corporibus sanguineis, & vere ineunte maior quoq; ipsius prouentus est, quis nõ videt ab hæpatis plurimo cum humiditate calore copiosum sanguinẽ gigni, quis sanguinea corpora calida non noscat, ac quis tandem temperate calidum, & humidum ver esse non assentiatur? hinc Albertus Magnus de animal. lib: 3. tr: 2. c. 13. scripsit melancoliam esse hu-

morem, qui boni sanguinis fæx, siue turbulentia, vel hypostasis est, ab eo separata per residentiam turbulentiæ in profundo, & non per infrigidationem, vel adustionem, & c. Doctissimus tamen Ludouicus Mercatùs tomo 1. lib. 1. quæst. 90. à frigiditate, seù imminuto secundum naturam tùm hepatis, tùm totius corporis calore generari melnacholiã autumat, nam dùm iecur (inquit ipse) ex natiua sorte frigidius, sicciusq; existit, succi huius vel ex temperato, & mediocri alimento magnam generat copiam, qnia corpus vniuersũ copiosiorem expostulet; id autem comprobat ex eo quod in inclinanti ætate vbi iàm corpus refrigescere cœpit, huius succi copisior prouentus succrescat sic senũ corpora hoc succo ob inclinantem calorem abundant, tùm quia Iecur, licet parum sanguinis generet plus tamen huius progignit ob frigidiorem, & sicciorem temperiem, siuè hæc innata sit, siuè ætatis progressus acquisita, tùm quia reliquos humores iàm genitos, & in vasis immorantes refrigeret, exiccet, & ad melancholiæ naturam ferè adducat; Respondetur Mercato, quod vbi vniuersum corpus ad melancholicum vergit, & illius partes sunt frigidæ, & siccæ, minus etiam ex ipsis deperditur, & effluit, & ideò minori etiam egent restauratione, quare pro melancholico, & ex consequenti frigido, & sicco corpore nutriendo, sat erit melancholia illa, quæ generabitur ad proportionem sanguinis, itaut necesse non sit ab hæpate, atquè corpore frigidis & siccis copiosiorem melancholiam produci, non nego tamen à venis totius corporis frigidioribus, ac siccioribus factis posse humores in hæpate genitos magis exiccari, & exprimi, & ità in crassiorem consistentiam reddi, sed isti non erunt vera, & exquisita melancholia, sed qui illam æmulentur, prætèrea sciunt omnes in frigidiori atq; sicciori hæpate coctionem non adeò rectè celebrari, vt in calido, ac benè temperato, malè autem celebrata coctione crudi potiùs, & inconcocti prodeunt humores, & quià prædominio pituitosi sunt, nàm à frigiditate, & siccitate partium pituitam generari non ignoramus, vnde Galenus. 5. de san. tu. c. 9. & in 3. Epidem: com. 2. part: 22. senes superfluas semper humiditates coaceruare scripsit, & hoc siuè ob naturæ imbecillitatem siuè ob imminutum calorem natiuũ, siuè ob eorumdem corporis frigidum, & siccum temperamentum dixeris, idem per diuersas voces non malè dixeris; hoc autem apertius declarat Galenus comm. in lib. Hipp. de sal. diæta part. 7. vbi ait. „ Senes solidis corporis partibus declarauimus esse siccos, sed quia excrementorum, temperamenti frigiditate, copia abvndant, hactenus dicuntur humidi; si igitur pituitosi humores in frigidioribus, ac siccioribus venis exprimantur, conuertẽtur ne in melancholiam? nequaquam certe, nisi eo quo diximus modo, malancholiam subaudiri velimus, qua quidem melancholia in primo senio constitutos abundare non negamus, & hoc etiam fatetur doctissimus Mercatus, dum ait, huiusmodi melancholiam nullum præstare melancholicis particulis alimentum, sed eam solum, quę in sanguinis

con-

confectione est, eius veluti subsidentia; quoad inclinantem verò ętatem spectat in hac humor verè melancholicus abundat, tùm ob calorem precedentis ętatis, quemadmodum docuit Galenus in 3. aph. 30. tùm quia calor, & si languescere incipiat, magis in alijs corporis partibus, quam in hepate, tamquam in membro principali languescit, itaut hepar adhuc sui caliditate copiosam melancholiam generare possit, quę postea cum à reliquis membris refrigeratis, & ex ccatis non tam benè, quam antea dissipatur, & absumatur, hinc est quod copiosior in inclinanti ętate abundet melancholia, & ea non per generationem quidem, sed per collectionem; His ita prehabitis facile diluantur quęcumq; in contrarium adduci possunt, nam si obijciat aliquis, finem agētis naturalis esse quātū potest assimilare passū, ergo hepar frigidū, & siccū agens in chylum, ipsum conuertet in humorem melanlacholicum qui frigidus, & siccus est, Respondetur hæpar frigidum, & siccum refrigerare, & exiccare chylum, quantum potest, hinc quò frigidus, & siccius erit, cò in frigidiorem, & crassiorem humorem chylū conuertet, tenuiores ipsius partes exprimendo, iste tamen humor non erit verè melancholia, sed qui melancholiam æmuletur (spuriam melancholiam liceat appellare) quià cum melancholia sit fæx sanguinis, quò paucior sanguis generabitur, eò paucior quoq; fæx, sed ab hæpate frigido paucus sanguis producitur, ergo pauca quoq; fæx, quæ verè melancholia est; volunt prætereà alij humorem melancholicum, quia frigidus, & siccus sit, ab hæpate frigido, & sicco, cum effectus similis sit suæ causæ, sed effectum suæ causæ similem tunc dicimus, quandò à simili causa tùm materiali, tum efficienti producitur, verùm melancholicus humor, & si producatur à simili causa materiali, ex parte scilicet chyli frigida, & sicca, & proinde terrestiori, non tamen producitur à causa simili agente, quià cum omnes humores, excepta pituita, quæ semicocta est, generentur in hæpate per omnimodam coctionem, & coctio indigeat calore, hinc, & melancholia generatur à calore, nisi. n. chylus in hæpate haberet calorem, quo satis coqui posset ob sui trāsmutationem in alios humores, nemini dubium est, quod aut crudus remaneret, aut semicoctus, si crudus, nihil aliud esset nisi Chylus, aut humor crudus excrementitius, semicoctus, esset totus pituita, quià alimentalis pituita est sanguis semicoctus, ergo eum caloris gradum requirit in sui generatione melancholia, sub quo non potest hæpar appellari frigidum, sed aut temperatum, aut calidius; & quamuis per hepatis frigiditatem diminutum intelligant calorem, non ob id sequitur diminuto hæpatis calore copisiorem melancholiam produci, sed copiosiorem pituitam quia ab imminuto calore, imminuta procedit coctio, humor autem diminutè coctus; non melancholia, sed pituita est; tandem frigida, & sicca est naturalis melancholia, quià ex parte terrestriori, ac frigidiori ipsius chyli generatur; Addunt tamen isti, si cæteri humores ab hæpate geniti per omnimodam coctionem vt sanguis, & bilis

bilis calorem retinent,cur non etiam melancholia, & præsertim cum fit humor crassior, & densior? densior.n. substantia calefacta magis retinet calorem, quam rarior, Respondetur quod non constat melancholia naturalis eadem materia,qua sanguis, & bilis,nempe tenuiori, magis aerea,& magis ignea,& per consequens magis calida (hinc actu,& potentia calidi sũt sanguis, & bilis) sed frigidiori,& terrestriori constat,itàut iàm pateat potentia calorem retinere non posse, nec actu etiam retinet tantũ,quanto bilis,& sanguis abundant quia ob sui crassitiem difficiliùs incalescit, nisi sit calor excedens,vt in hæpate humores adustos generante,tunc.n. actuali,ac potẽtiali calore maximè excellit,sed iàm non ampliùs naturalis melancholia, sed verè atra bilis appellatur.

An alius humor præter melancholicum melancholiam inducere possit?
Cap. XX.


Vltiplicem esse humorem melancholicum, & ab omni melancholiam produci posse non reclamandum,nàm si ratione nigredinis in spiritibus animalibus conceptæ deprauata phãtasma, cum tristitia, ac timiditate exoriri statutum est quotiescumq; humor,quicùmq; fuerit, adeò niger euadet, vt & animales spiritus exobscurare possit,melancholia exorietur,vnicam tamen atrã bilem excipere oportet,quæ vel ex adustione flauę bilis, vel naturalis melancholiæ vel etiam sanguinis fit, hac enim in caput,irrepente maniacum excitatur delirium,& quamuis illa sua nigredine opacos animales spiritus reddere queat,nihilominus suo feruore illos adeò exagitat, vt pro metu quamlibet audaciam inducat, si tamen, & ipsa deferbuerit melancholiam in lucere valebit,itaut omnis melancholicus humor, siue naturalis sit, qui est illa fæx quæ in sanguinis generatione subsid t,siue præternaturalis, vt paulò superius prædicta bilis, dummodo efferuescentiam hæc deposuerit, melancholiam producat, nec minus producit eam melancholicus humor exquisitus, qui generatur vitio,vel alimenti,vel agentis,nempe caloris intẽsi,itaut dissipatis partibus tenuioribus materia reddatur crassa,& nigra, vti ex Gal. 2. de temperam; cap. vlt. colligi potest, quàm faciat melancholicus humor nothus seù spurius qui melancholicus ratione tantùm nigredinis appellatur,&hic generatur a causa refrigerãte,vti A Etius,& Auicẽnas tradiderunt,hoc fortè sumentes à Galeno 3.de sympt.caus.cap.2.dicente sanguinem nigrescere à frigiditate,partes enim Diaphanæ, & luminosæ exprimuntur,vt sanguis magis reddatur opacus, ac melancholicus; de sanguine autem contro iersum est, an ab ipso melancholia produci possit,& hoc fieri posse ex vna parte probatur,quandoquidem sanguinei melancholici sant,vnde Galenus 3.de loc aff. cap.7.ità scripsit. „ Fitq;interdùm,vt prærubro colore homines affatim in melancholicam tem-

temperiem decidant,hinc etiam ex suppressa quacumq; sanguinis cõsueta euacuatione,siuè per hemmorides,siuè per nares, aut vterum, melancholiam succedere habemus exHippocrate lib.de morbis Virg. Horum tamen nullum obstat,nàm sanguineos,ac rubros ad melancholiam propensos esse ob id dicimus, quià cum ipsis hæpar suo moderato calore plus sanguinis progignat, quam valeant ipsi assumere, necesse est,vt in dies magis, ac magis accumuletur, & ex ipso tenuior portio tamquàm dissipatu facilior absumatur,ac crassior, magisq; terrestris relinquatur, quæ ad melancholiam producendam aptissima materia est, quod idem, & rationi ex suppressa aliqua sanguinis euacuatione desumptæ satisfacit,fortiùs instant alij ex quibusdam melancholiæ differentijs, quæ in alium humorem referri non possunt, quam in sanguinem, quales sunt illæ, in quibus patientes putant se reges,Cardinales, Pontifices esse,delirant cum risu, vnde Auicennas proponit differentiam melancholiæ sanguineam, quam inquit non fieri ex vstione sanguinis (potuisset enim quisdicere fieri melancholiam ex sanguine quatenus exustus transit in melancholiam) sed fieri ex sanguine per concoctionem quasi dicat in istis reddi quidem sanguinem calidiorem,non tamen exuri, idcircò curatur hęc species etiam sola sãguinis missione ad animi defectum,sic scriptum est in lib.de melãcholia Galeno adscripto, quod non decet facere nisi in melãcholia sãguinea, & propterea natura ipsa aliquando, & mulieres, & viros menstrua, & hæmoroidali purgatione á melancholia liberauit; Respondetur hasce melancholiæ differentias,quæ cũ risu sunt,aut timori,& mæstitiæ per mixtas esse,aut omninò à timore, & mestitia liberas solo cum risu extare,quo postremo modo si extent,re uera melancholiæ species appellari non possunt,nisi impropriè, cũ verus melancholiæ caracther sit cum mestitia timor,cumq; a proprio humore, nempe a melancholico à quo producitur nomen desumpserit melancholia, quam appellat Auicennas melancholiam sanguineam,magis propriè delirij,quàm melancholiæ est species, & insania potiùs, quam melãcholia appellanda est,insania enim propriè dicta est cum risu, delirium est cum stultitia,hinc Clarissimus Ludouicus Mercatus lib.1.de intern. morb. curat. cap.18. ait latinos gręcorum maniam non rectè appellare insaniam ex Cicerone 4.Tuscul.quię pe insaniã, quod stultitia sit iuncta, incontinentiam esse sanitate vacantem arbritratur, maniam verò mẽtis adomnia cęcitatem,&ob id maius quid quàm insania &c.sed quià, vt toties repetit Galenus, de nominibus his non est habenda, hinc prędictã insaniã,seu cũ risu deliriũ melancholię speciẽ,impropriè tamẽ vt diximus,appellari non perturbemur, si verò prędictę differẽtię,timori,& mæstitiæ permixte sint,& sanguinem delirij cum risu causam melancholico humori permixtum esse dicimus, Quod magis difficultatem auget, sunt verba Galeni in 6. Epidem:comm.2. t. 38. prolata ibi enim hęc habet „ Omninò quidem pauidos, hoc est cum terrore,

per-

perturbatos, preterea etiam vigiles ichoroides sanguis efficiet: sed & ista difficultas ex ipsomet Galeno tollitur, dum in principio textus ait, non simpliciter tenuem, & aqueum, sanguinem ab ipso nempè Hippocrate, ichoroida vocari suspicandum est, sed eum, qui venenosa aliqua, & maligna facultate preditus sit, sed quisnamquæso humor huiusmodi qualitate facilius afficitur, quàm melancholicus sanguis? non ergo tenuis sanguis simpliciter; sed tenuis sanguis melancholicus, seu ichor melancholici sanguinis erit ille, qui omninò pauidos, terroreq; perturbatos homines reddet; sed nec sanguinis propriè sumpti ichorem esse docet Galenus paulò inferiùs dum ita ratiocinatur. „ Differt. autem inter se, secundum eorum scilicet humorum naturas, quorum serum esse dicetur, & erit infestissimum atræ bilis serum, minus infestum flauæ, minus item quàm hoc pituitę, sed omnium mitissimum est sanguinis serum, & ichor, nihil enim in presentia refert hoc, aut illo modo dicere; Verum quoniam bifariam sanguinem appellamus, interdum cum à nuper dictis humoribus distinguentes, interdum à superante omnes in vasculis succos sanguinem vocantes, ichoroides sanguis nunc in secunda significatione accipiendus est; Ceterum ex semine quoqué melancholiam fieri colligitur ex Galeno 6. de loc. aff cap. 5. vbi apertè docet ex retento semine in his qui deliciosè viuunt, & ociosè, si ad venerem fuerint assueti timorem, & mestitiam citra omnem causam in melancholicorum modum cõtingere posse, imò retento semini maiorem, quam menstruis, esse vim ad noxam vniuerso corpori inferendam asserit, idcircò illius viduę historiam profert, quę post partium attrectationem factam multo effuso semine à symptomatibus fuit liberata, Et Christophorus a Vega 3. de art. medendi cap. 14. se mulierem vidisse melancholicam ex vasis seminarijs scribit; in cuius confirmationem Vassalius lib. 5. sue anat. cap. 15. testatur se in duabus puellis à prefocatione vterina extinctis omnium malorum causam inuenisse semen, in vasis seminarijs corruptum, sed quomodo semen alioquin prealbum, quod in seminarijs vasis continetur, poterit in cerebrũ tetros, nigrosq. vapores effumare, itaut animales spiritus obtenebrando melancholiã inducat? Sciendum igitur est, semen, quod melancholiam efficit, non amplius esse semen, nisi equiuocè, sed quid corruptum, ac vitiatum, verum enim semen plurimo spiritu, ac naturali calore refertum est, corruptum verò viuifico, vt ita dicam, spiritu, ac natiuo calore omninò priuatum est, quare aut frigidum remanet, aut extraneum concipit calorem, qui quidem extraneus, ac preternaturalis calor ipsum in virulentam veluti, sed crassam saniem commutat, quę liuescentes, atrosq; colores suscipere est apta, exemplo sit pus, quod album, & omninò laudabile erit, si ipsius efficiens causa naturalis calor predominetur, contra vero viridiscens, liuescens, fuscum nigricansq; erit, si in ipso efficiendo preternaturalis calor preualuerit, quare non mirum sit, si à vitiato, ac corrupto semine vapores, qui spiritus animales tenebricosos reddant,

ele-

eleuentur,quod, & innuere videtur Galenus loco iam citato, dum ait, hoc euenire præsertim in ijs,in quibus semen suapte natura prauioris est succi,ac copiosius,sed quinam melancholico prauior est succus in humano corpore? præterea hæc difficultas melius extricari posse mihi videtur, si seminis corrupti,ac animalium spirituum naturam contemplemur,quandoquidem, cũ optimi cuiusq; corruptio sit pessima, corruptum semen,non secus,ac venenum,eadem,quę, & assumptum venenum,in humano corpore accidentia prodere natum est aptum, quod concedit Galenus loco citato; Alia verò ex parte spiritus animales ad hoc vt sint animę facultatum accomodatum instrumentum, rectèq; suas prodeant operationes,debent esse tenues,lucidi,ac copiosi, modò cum proprium sit veneni è diametro naturę humanę, ac proindè calido innato ipsius pręcipuo instrumento aduersari, hinc est, quod vapores à corrupto semine elati, si in animales spiritus irrepãt, ipsorum temperiem, calidumq;innatum extinguunt,vnde ipsi veluti, quod molestat, aufugientes, imminuuntur, ac proinde luciditatem ammittunt, nec non crassa euaporatione circũfusa, simulq;ad mixta crassescunt, obtenębranturq;

An à pituita fiat melancholia? Cap. XXI.


DE pituita similiter cõtrouersũ est,an ab ipsa melãcholia producatur,& produci quidẽ plures tradiderunt, quos inter est Auicennas tractatu proprio,& ex neoteribus clarissimus Rudius lib.4.de morb. ocult. cap.13.imò & Galenus ipse comm.2. in 6. Epidem: t.38. huius autem rei causam refert Mercatus in pituitæ crassitiem, ait enim cap.de Melancholia, quod præter melancholicum succum pituita crassior facta mestitiam, sicuti eius serum timiditatem affert, nec alia de causa hoc pituita facere potest, nisi quià dum crassior fit, opacitatem, ac proinde nigredinem acquirat, vel hoc fiat à causa exprimente frigida scilicet, & sicca, vel fiat ab assatione, ità vt pituita per incinerationem in atram bilem vertatur: Alia tamen ex parte Galenus contrarius esse videtur lib.3. de loc. aff. cap.7. de morbo comitiali pertractans sic scribit, Igitur is (nempe comitialis morbus) quem melancholicus succus constituit, in melancholiam transit, qui verò à pituitoso partus est in aliam affectionem permutatur, melancholiam verò haud quaquam efficit, sed pręterea neque èx causa frigida, neque ex causa calida pituitam in atram bilem, seu melancholicum humorem conuerti posse acriter pugnat in Auicennam elegantissimus Valleriola lib.6.enarrat., t.1. nam si per incinerationem,inquit ille, ex pituita gigni posset atra bilis, id non pręt.rmisisset Galenus, & præsertim in lib.de atra bile, Idẽ 2. præsag. de Pituita exassata in pectore loquens, fieri ex ea sputum album, tenax, & rotundum, non nigrum affirmauit: deinde cum plurimùm

pituit a ab atra bile, & calore, & substantia distet; magnas, variasque fieri in ea trasmutatione alterationes tùm in colore, tùm in substantia oporteret (vti enim bilis flua in atram degenerans per varias atquè multas id nacifcitur transmutationes, primùm enim vitellinam, deindè porraceam, mox æruginosam, ac tandèm in atram vertitur) sic & pituita in varios gradus, variasque substantias permutari opus esset, ad hoc vt in atram bilem degeneraret, at vbi iàm mutatus esset illius albus calor, non iàm perfectò pituita ampliùs, sed alius quispiam humor dicenda esset; tandem nunquàm, quantumuis, vel per assationem, vel per congelationem crassescat pituita à sui ipsius natura, & forma degenerat, hic Galenus lib. de tumoribus præter naturam scyrrhos à crassa, & tenaci pituita factos, ab ijs disiunxit, qui à succo melancholico fiunt, quasi sentire voluisse id sit visus, à pituita quantumuis crassa scyrrhos melancholicos numquàm fieri, sed sui generis, hoc est pituitos; addamus & nos in huius rei confirmationem experientiam, quia pituita, in articuli detenta longissimo tempore, ità crassescit, vt tophos efficiat, qui tamen tophi non nigri, sed albi remanent; sic pari ratione pituita, quæ in renibus feruentioribus per assationem in lapillos conuertitur, lapillos non nigros, sed albicantes producit, imò a albedo signum est, interstingnuimus lapillos hosce à pituita generari, quare neque per congelationem nequè per assationem pituita degenerat vnquàm in Melancholiam; His omnibus tamen non obstantibus, si res intimiùs perscutetur, & ex pituita nigram bilem fieri posse videbimus, ac proindè ex ea nigra bile iam factam melancholicum induci posse delirium non deoegabimus; destinguendum igitur est plegma in naturale, & preternaturale, quousque phlegma naturale perstiterit, nequaquàm nigredinem accipiet, aut melancholiam inducet, si verò preternaturale euadat, tunc & nigredinem accipere, & melancholiam inducere potest, ad hoc autem vt præternaturale euadat omninò vitiari debet, & acidum, aut salsum euadere; hinc Galenus in 6. Epid. comm. 2. t. 38. ait, „Timiditatem quidèm pituitæ ferum facere par est, non tamen vigiliam, aut perturbationem, aut animi motum cum terrore, torpor enim ipsi, & frigus inest solùm, non mordacitas, atque malignitas (subdit autem) nisi fortè, & ipsa planè vitiata acida, aut salsa euaserit, his postremis verbis innuens, quod pituita, si talis euaserit, potest non solùm timiditatem, sed etiam animi perturbationem, ac motum cum terrore inducere, nempè melancholiam, quod idem, & doctissimus Rudius confirmat loco superiùs iàm cit. his verbis „ Omnia verò excrementa propter corruptelam, & caloris extinctionem nigra fiunt, etiam si sui natura pituitosa sint, quo circa in praxi obseruauimus non rarò pituitæ huius acidæ, & opacæ ratione fieri delirium melancholicum cum quadam pigritia, & ad actiones tarditate, & solitudine, & quadam somni delectatione, in quo functio imaginatrix non ita insigniter ledebatur: hactenus vir doctissimus;

ctissimus; Caterùm vt rationibus in contrarium adductis pateat responsio, dicimus Galenum in 3. de loc.aff. de pituitoso humore naturaliter se habente, nequaquàm autem corrupto loquutum fuisse; neque hac in re de Auicenna victoriam tulit Valleriola, nàm dicere quod non prætermissum fuisse à Galeno, si ex pituitæ cinere gigneretur atra bilis, necessario non concludit; plura enim inuestigauit Auicennas, quæ à Galeno prodita non fuerunt: pręterea de vera atra bile loquutus est Galenus lib. de atra bile, non autem de ea, quæ non verè quidem melancholica est, sed quę melancholiam æmulatur, quam clarissimus Mercurialis in sua praxi scripsit fieri posse in cerebro, tuncque generari, cũ ex sanguine crasso, & ex pituita partes tenuiores absumuntur, & dumtaxat crassiores remanent; Cum verò Galenus 2. Præsag. ex pituita in pectore exassata non nigrum, sed album, tenax, & rotundum fieri sputum affirmauit, per pituitam exassatam non cinefactam, aut omni humiditate priuatam subaudiuit, sed incrassatam, & glutinosam redditam, veluti per elixationem concoctam, à naturali calore prędominante, vnde coctio procedit incrassando, nam si assata fuisset, vt omnis humiditas absumpta, &, vt ait Auicennas, in cinerem conuersa foret, non tenax subsequutum fuisset sputum, tenacitas enim quid humidum viscidum supponit, pręterea à naturali calore prædominante addidimus, vt significaremus istam pituitam non fuisse corruptam, quod & in sputo albedo commonstrat, vnde non mirum si sputum illud nigredinem non acceperit, at vbi præter naturalis calor prædominatur non ne toties ex eadem pituita corrupta, aut putrescente liuidum, fusc m, ac nigricans subsequi sputum obseruamus? Quod autem plurimùm pituita ab atra bile, & colore, & substantia distet, verissimùm est, tamen difficile est ingenti calori ipsam incrassare, assare, & in nigrum colorem reducere absque tot alterationibus, seu potiùs figmentis, nàm quemadmodùm summus calor potest flauam bilem in atram cõuertere absque varijs trasmutationibus, sic & pituitam corrumpendo potest ipsam immediatè trasmutare in nigrum humorem, qui melancholiam æmuletur, non enim verum est, quod calor, qui ex flaua bile atram producit, debeat priùs efficere vitellinam, deindè porraceam, mox eruginosam ac tandem atram; verũ quidem est quod minor calor agens in flauam bilem ipsam in vitellinam conuertet, si verò fuerit maior in porraceam, si adhùc vehementior in ęruginosam, si tandem summus, ac vehementissimus fuerit ipsam in atram conu rtet, ità vt si exemp. gratia ad hoc vt flaua bilis reducatur in atram requiritur præternaturalis calor vt octo, ad hoc verò vt reducatur in vitellinam requiritur vt duo, dummodò calor vt octo aderit suam inte grè perficiet actionem, neć erit necesse, vt omnes illę, variæq. fiant transmutationes; Tandem verissimum, est neque per assationem neque per congelationem, quantumuis crassescat pituita, à sui ipsius natura, & forma degenerare, nisi calor assans, aut frigus

congelans ipsam corrumpat, vnde non mirum est si pituitosi scyrrhi eamdem crassefactæ pituitæ retineant naturam, cum pituita, & si crassescat, non corrumpatur, quod idem, & in tophis, & in albicantibus renum lapillis contingere dicendum est, sed si à calore, vel frigore pituita currumpatur, necessariò à sui ipsius natura, ac forma degenerat, ac proinde in spurium, vt ità dicam, melancholicum humorem, seù qui melancholiam æmuletur conuerti potest, nec non eadem deprauata symptomata, quę, & melancholicus humor producere, quod apertissimè confessus est Galenus his verbis, nimirùm, Si pituita planè vitiata, hoc est corrupta, acida, aut salsa euaserit, & hoc magis confirmatur, si salsedinis, & aciditatis generationem inuestigemus, nàm quoad salsedinem spectat, hæc non solùm per putredinem in pituita contingit, sed etiam quià terreum adustum humido aqueo commisceatur, sicut colligi potest ex Aristotele 2. metheor. cap. 3. modò qui nàm est humori melancholico magis adustus, qui nàm magis terreus inullus profectò, si igitur iste humidæ, & aqueæ pituitę immisceatur ipsā planè vitiabit, salsamque efficiet, & si quæ certè salsa pituita est, quæ melancholicos producere valcat affectus, hec sola est, nō enim reuera omnis salsa pituita melancholiam producit, cum neque omnis nigredinem concipiat, quemadmodum hæc ex nigra ad mixta bile; idem meo iudicio, & dè acida pituita dicēdū est, nā quomodo aciditas in pituita cōtingat optimè explicauit Auicennas l. 1. fen. 1. doctr. 4. c. 1. sic scribens „ Et ex phlegmate est, quod acetosū, & quemadmodū dulce est secundū duos modos, dulce per suam essentiam, & aliud propter rem extraneam, quę ei admixta fuit, similiter acredo phlegmatis acetosi secundum duos contingit modos, vno, ideò quia res extranea ei admixta fuit, quæ est cholera nigra acris, quam in subsequentin uominabimus, altero, propter causam, quæ in ipsomet contingit, & illud quidem est, vt phlegmati dulci quod diximus, accidit, sicut accidit alijs succis dulcibus, priùs bulliunt, & posteà acescunt, quare qui priori acida pituita scatent, melancholicis affectionibus valdè propensos esse censemus, qui verò, acida non eo modo reddita nequaquàm, aut non ità saltem existimamus.

An ab animi passionibus melancholia immediatè produci possit? Cap. XXII



VLLVS in dubium reuocauit posse ab animi passionibus seu affectibus melancholiam produci, non proximè quidem, & immediatè, sed mediantè generatione humoris, melancholici, nàm cū ad animi grauia pathemata corpus vel refrigeretur, & exsiccetur, vel etiam calefiat, vtroque modo melancholici humoris productioni, aut collectioni ansa prębetur, & ita melancholia suboritur; dubium est, an immediatè ab aliqua animi passione melancholica af-

affectio producatur,& quòd hoc contingat, illud commonstrare videtur,nempè aliquos statim ab allato nuncio tristi, vel delectabili in delirium cecidisse,nonautem tam breui morbosi humores, aut intemperies aliqua produci potest; exemplum mirum habeo de nobili quodã Polono.Bononiæ commorante, qui cum ad instantiam D. Ioannis Baptistæ Bertolani lucensis alioquin pręclari Iuuenis ob es alienum ludo paruæ pilæ contractũ à satellitibus in carceres deductus esset(quod apud Polonos valdè ignominiosum est) tàm graui animi affectu prehensus ac perculsus fuit, vt in melancholicum delirium,& essentiale incidèrit,nec multis remedijs à doctissimis illius celeberrimæ Academiæ viris,& præsertim ab Excellentissimo Iulio Cæsare Claudino mei præceptore amantissimo adhibitis vnquam curationem recipere potuerit,itá vt in Patriam ipsum deuinctum mittere operę pretium duxerint alij nobiles Poloni eius socij, præterea si curatio morbum ostendit,habemus apud Trallianum mulierem illam, quæ cum se in ventre serpẽtem habere praue imaginaretur, deiecto,qui iniectus fuerat,clystere, perspectoque in vase serpente (in eodem enim vase ipsa nesciente à proprijs domesticis impositus fuerat serpens) ab illa praua imaginatione, ac proinde à melancholia libera euasit, imaginabatur enim se, quem in corpore detinebat, serpentem deiecisse, quare si ex sola imaginatione à melancholia libera euasit,ergo & à sola quoque imaginatione melãcholiam oriri posse credendum est;imò,vt doctissimus refert Mercatus cap.de melancholia, interdùm in nonnullis tantùm potest imaginatio,quæ aliquando(vt fertur)casum faciat, in cuius rei confirmationem refert historiam his verbis „ Quippè cũ Iuuenem corripuisset causus qui frequẽti delirio obnixè postularet concedi sibi natationem in stagno illo (commonstrabat autem pauimentum)constare enim sibiaiebat,statim conualiturum,tandèm consulente medico permissum est ægro supra pauimentum natare , & postmodum retulit iàm sibiaquam accedere ad genua , & paulo post inquit, iam attingit inguina, itá crescente iuxta imaginationis conceptũ vsq; aqua,hilari facie gestiebat.pronunciabatq. se sanum iàm factum & accedente Medico reperit Iuuenem sanum,febreq. liberũ, talis igitur est imaginationis vis,& efficaciain laborãtibus,licet nõ sẽper huiusmodi sortiatur vires;Cęterum veritatis potiùs speciẽ , quàm veritatem proposite rationes habent , nàm si modum , quò animi affectus corpora immutant,inspiciamus,ab ipsis immediatè melancholiã produci haud quaquàm posse videbimus;per animi autem affectus,seu passiones,nõ solum motiones vitalis facultatis,vt spem,timorem,gaudium, & similia,sed etiam quæcumq. in cerebro animalis facultas concipit, imaginans,memorans, aut cogitans, subaudiri volumus,modò ad harum potentiarum motiones corpus alteratur,alteratio enim (vt optimè etiam notat Mercatus , sequitur ad spirituum,& sanguinis motum,quo vel intra corpus se recipiunt in tristibus perceptis, vel extra feruntur in

letis

lætis cor enim innatam habet ab ortu propensionem expandēdi ad familiaria spiritū, & retrahendi à noxijs; pari ratione dùm irascitur homo bilem auget ob sanguinis feruorem, & dum meditatur corpus refrigerat, & melancholiam auget; sic lætitia concepta, humores, & spiritus extra mouentur tenuiores, clariores, & ex motu calidiores facti, subindeq. caput incalescit natura spirituum calore, & humores, ac cerebri substantia temperatiores fiunt; quare si quis vxoris, aut natorum morte audita, aut facultatibus amissis, vel alio deniq. tristi nuncio percepto in melancholiam incidat, hoc euenit propter spirituum, ac proindè natiui caloris retractionem in cor, tùnc enim non solum cerebri substantia refrigeratur, sed etiam tota massa sanguinea, quę sui tenuiori parte, ac spiritibus derelicta veluti concrescit, ac in humorem melancholicum degenerat, ac præsertim si perseueret tristitia, quæ interdùm tantæ est efficaciæ, vt etiam statim melācholiam producere possit, in quibus precipuè maxima ad ipsam sit dispositio, & aptitudo; Saxonia inter celeberrimos patauinos vir doctissimus, qui ad tria capita immediatas melancholiæ causas redigebat, nempè ad operationes, & actus, ad instrumentum, quod est spiritus animalis, & ad facultatem, quæ est temperies substantię calidæ cerebri, subdebat melancholicos propter operationes, & actus animæ nō curari medicamentis, sed potiùs deceptionibus quibusdam, & prudētia quadam medici; hinc si quis exemp. gr. philosophiæ studijs deditus, & sedulò illis incumbens eò deueniat, vt iam indiscretè de philosophicis disserat, & domi, & foris, & cum doctis, & cum indoctis, hunc dicimus melancholicum non ex alia causa, quàm ex frequenti actu, & operatione mentis, sic ille; cui respondetur, certe negandum non esse sedulum, ac assiduum philosophię studium posse melancholiæ esse præcipuam causam, & quæ magis quàm immediata ad se curationem trahat, quàndoquidem hac perseuerante causa, & immediata causa perseuerat, sicuti hac ablata, facile, & immediata causa euanescit, ac superatur; ob prędictum enim studium, adeò caput incalescit (omnis enim calor, vt animæ se se exercēti inseruiat, illùc tāquam proprium instrumeutum conuertitur ac reliquas corporis partes ferè deserit) vt cerebri humores quasi præassentur, ex qua incalescentia, & vstione vapor ater, & obscurus consurgit, qui spiritibus animalibus immixtus eos tenebricosos reddit, præterquam quòd plures ex prędicta capitis incalescentia humores à subiectis partibus attrahāntur, hinc qui plurimum aliquo mentis studio defatigati, cum cessant ab opere, capitis grauitatem, ac veluti quoddam pondus cum calore in ipso persentiunt.

An lætitia possit esse melancholiæ remota causa? Cap. XXIII.

HINTER res, quas non naturales Medici appellant, animi pathemata reponi non est qui ignoret, & ideò cum lætitia sit animi motus, & affectus, ipsa quoque inter res non naturales collocatur; res autem non naturales appellantur à medicis, quia cum vtiles, & noxię hominibus esse possint, quatenus vtiles sunt non sunt præter naturam dicendę, quatenus verò noxiæ naturales appellari nequeunt, & propterea ab ipsis veluti quodam in medio constitutæ sunt, lætitia igitur si modū excesserit, poterit sanè, dicet aliquis, & animi defectum, & mortē ipsam afferre, melancholiam verò nequaquam, legitur quidem apud Galenum 1. de arte cur. ad Glauc. in calce 14. cap. non solùm ex tristitia & timore, sed etiam ex gaudio homines exolui, & 2. de sympt cauſ. cap. 5. nonnullos ex ingenti gaudio perijsse, sed quod melancholiam inducat, quis, nisi fortè melancholicus, dicat, cum lætitia melancholię potissimùm aduerſetur? imò obiter de ea verba faciēs Galenus in libello de lusu paruę pilæ, dixit animę motionem in humanis corporibus tantùm posse, vt multi præ sola lætitia morbos euaserint, multi etiam præ mærore ægrotauerint, hinc mirum non est, si omni studio, & arte, vt læto sint animo melancholia laborantes, procuremus, melancholici enim assiduo conficiuntur mærore, qui lætitię è diametro contrarius est, imò si lętitię, ac mæroris generationis modum examinemus, videbimus lætitiam nullo modo melancholiæ causam esse posse, sed sanationem potiùs, nàm cum mæror sit caloris, & spiritus retractio in cor, sāguis spiritibus, ac calore orbatus crassescit, & ater, ac melancholicus euadit, ità vt ex mærore melancholicus sanguis efficiatur, & vice versa ex melancholico sanguine mœror, ac melācholia, in quibus ad patiendum sit dispositum cerebrum; sic lętitia, cū contrariorum eadem sit ratio, est caloris & spiritus foras expansio, in qua sanguis attenuatur, ac clarior euadit, ità vt si sanguis ad melāncholicum tendat, ob lętitiam veluti corrigatur, & laudabilior euadat, sicuti vicissim ex tali sanguine lætitia prodit; His tamen non obstātibus, & lætitiam melancholię causam remotam esse posse non repugnat; rem ipsam explicemus; nuper dictum lætitiam esse caloris, & spiritus ad exteriora expansionem, quæ expansio latitudinem quandam habere potest prout maior, vel minor extiterit, quare si maxima fuerit, animi deliquium, syncopis, & in nonnullis mors ipsa succedet; si parum minor fuerit, siccitas subsequitur, & hæc si in solidis, ità, & in humoribus fieri rationabile est, nàm cum natiuus calor, & spiritus valde imminuantur, sanguinea massa tenuiori euaporata portione crassescit, ac terrestior, & melancholica fit, vnde si cerebri dispositio ad recipiendum pateat, facile melancholia subsequitur; neque hoc mirum videri debet, cum nulla alia ratione, nisi, quià nimis exiccant, & curæ, & mærores, ac vigiliæ sint melan-

melancholiæ cauſę, Et ſi fortè hæc opinio alicui nimis erronea videatur,ſciat,quod patrocinio non caret;hæc habet ad litteram acutiſſimus Argenterius in lib.2.de cauſ.morb.cap.4.„ At vbi lætitia homo afficitur,fit quędam veluti ebullitio potiſsimùm circa Hępar & cor, ex qua pariter ſanguis,& ſpiritus extenuantur,vniuerſumq. corpus expanditur,atq.ità reſoluta humida ſubſtantia,ſubita nonnũquam mors, vel alioqui ſiccitas ſubſequitur,& ſi diceret aliquis cum ſiccitate frigiditatem coniungi,faceret nobis, quandoquidem frigidus, & ſiccus eſt autumnus,in quo melancholię pręcipuè inſurgunt.& Galenus 2.de tem. per.cap.6. melancholicum appellat eum,qui in frigidum, & ſiccum temperamentum ex habitus mutatione deuenerit; Sed quomodo pugnantia tuemur? quandoquidem ſuperiùs ſanguinem in lętitia attenuari ſcribimus,& modò vna cum Argenterio concedimus, quem tamen paulò antea in eadem craſſeſcere , & melancholicum fieri dicebamus; Reſpondetur in lętitia eo tempore, quo expanduntur ſpiritus , ſanguinem attenuari,ſed vbi iam facta eſt expanſio, & ſpiritus imminuti ſunt,ſanguis illis orbatus craſsior euadit , quod in ingenti ac immoderata contingit lætitia,nam niſi ingens adeò fuerit lætitia,ſed moderata,in ea fit ſpirituum mediocris expanſio, in qua ipſi non extra feruntur,nêque imminuuntur,& idcircò remanet ſanguis tenuis,ac clarus,neq, ſiccitas ſubſequitur,vnde etiam reſpõſio patet rationibus ſuperiùs allatis lætitiam melancholiæ aduerſari probantibus.

An mala capitis conformatio inter melancholiæ cauſas ſtatui poſsit?
Cap. XXIV.

SI animalis ſpiritus opacus, ac tenebricoſus appellatus eſt cauſa hucuſque melancholiæ adducta,ad quid malam cerebri conformationem in medium afferre? imò nec ex cerebri mala conformatione animalis ſpiritus obtenebrari poteſt , vnde veluti quędam antecedens cauſa vocanda veniat hæc mala conformatio; prçterea cerebrum vel quoad ſubſtantiam, vel quoad figurã malè conformatum erit; ſi quoad ſubſtãtiam,hæc vel nimis mollis, vel nimis eſto dura,ſi durior ſit,tardiùs ac difficiliùs apprehendẽt,ſi mollior,citiùs obliuiſcentur homines , ſed neutra ad principum actionum deprauationem facit;ſi verò quoad figuram male conformatum ſit cerebrum,hęc ſequitur cranij ſtructuram , ſub quo continetur , ſed quid oſſi commune ſit cum animæ actionibus?Tãdem nullum inuenias authorem,qui inter melancholiæ cauſas hanc malam cerebri conformationem poſuerit,hæc ergo fruſtra ponitur quęſtiuncula,dùm inter nullas melancolię cauſas mala cerebri conformatio recenſeri queat;Attamen ſi res ipſa intimiùs rimetur,non ſolùm malam cerebri conformationem inter malẽcholiæ cauſás reponẽdam,ſed,& oſſi,caluariæ nempè,aliquid ineſſe ad animę actiones fatendum erit; quod breuiter mo-

dò

do tùm rationibus, tùm authoritatibus comprobare aggrediamur: Quemadmodum in capite sapere ipsum situm est, & ea animę pars, quæ ratiocinatur (vti cum Galeno in lib. Hipp. de morb. acut. comm. 3. part. 41. omnes medici testantur) cui memoria, & imaginatio apprimè famulantur, sic & in cerebro benè conformato se rectè habebunt, ac in eo proprias actiones rectas, & inculpatas edent, in malè autem conformato contrarium eueniet, siquidem & simile euenire in alijs partibus obseruamus, in quibus naturales actiones edũtur; Hinc Cassius Medicus in problematibus quærens cur prodigiosæ formę homines plerumq; etiam emota sint mente, respondet, quia corpori cõsẽtit anima, vt animę corpus; sed & Galenus in 6. Hipp. de morb. vulg. comm. 1. part. 3. scripsit vim cogitandi ijs, qui aut nimis magna capita aut nimis exigua euidenter possident, oblæsam esse, quare & hos quoquè non raro melancholicos esse concludas, cum melancholia sit lęsio principum actionum deprauata (interquas imaginatio recensetur) & actio læsa non tantùm diminutam & ablatam, sed etiam deprauatã comprehẽdat actionem; Verùm quomodò in magna nimis, & exigua nimis capita habẽtibus deprauata Imaginatio, ac proinde melancholia succedat, explicare opus est; si igitur de magnis capitib. sit fermo, argumentarer ego, quod quemadmodum virtus vnita fortior est, ità & disgregata imbecillior fit, quare & naturale robur in nimis magnis capitibus ob disgregationem imbecillum essę, imbecilliori autem capite, seù cerebro stante in eo plura excrementa produci, ac cocernari necesse est, quę tractu temporis cum ob eamdem imbecillitatẽ non rectè expuergẽtur, & ad cerebrũ, tãquã ad caminũ quotidiè cuiuscũq; generis vapores effument, illamet excrementa, aut computrescunt, aut incalescũnt aut torresiunt, & ità quocunq; modo terrestrem, ac feculẽtam materiam suppeditant, quæ animales spiritus conspurcando, ac denigrando melancholię est in causa; si verò ad exigua nimis capita habentes dirigatur oratio, ego hos sæpè in maniacum furorem incidisse cognoui, & ratio est in promptu, quia ex assiduis effumationibus, quę, à subiectis partibus vel naturaliter fiunt ad caput, & animales spiritus & cerebrum valdè incalescunt prohibita, vel saltem impedita ob loci angustiam sufficienti, ac naturali ventilatione, manię autem præcedenti ob exustorum humorum productionem aut melancholiam succedere aut coniungi interdùm, & ratio ipsa expostulat, & experientia comprobat. sed de capitum paruitate agentes cuidam, ex Aristotelis dictis contradictioni, quam quis posset obijcere, obiter occurrere operæ precium est. Asserit philosophus in Physiogn. quod qui habent caput paruum insensati sunt, eosq; ad asinos refert; in Problem. verò 3 sect. 30. ait hominem omnium animantium prudentissimum esse, non solum quia minimo capite est. sed & inter homines ipsos, qui minori sunt capite, prudentiores nasci, quàm qui grandiori, testatur; Respondetur Aristotelem in Problem. loqui de ea capitum paruitate, quę naturæ

I leges,

leges, seu limites non excedit, neq; ob id preternaturalis appellari potest, quemadmodum ea, de qua in physiogn. scribit; Ceterùm quod mala capitis conformatio, quę propter excessum, vel defectum nobis conspicua, ac manifesta est, possit melancholiæ esse con causa, non audeat negare ill , qui & malam capitis conformationem non apparentem & conspicuam, melancholiæ causam similiter esse posse cognouerit, namq, dari potest, qui sit sine cranij suturis, hic mala capitis conformatione nobis incospicua prędit us erit, hic in melancholiam facillimè incidet, ergo vera sunt, quæ attestamur, sed hæc adhuc comprobemus, & primò quod homo sine cranij suturis dari possit, recensentur plures fide dignæ medicorum obseruationes, & inter neotericos diligentissimus vir Gabriel Faloppius in suis anatom. obseruat. asserit se vidisse capita sine vlla penitus sutura, quod etiam ante ipsum Aristoteles scripsit 3. de Hist. animal. c. 7. Hoc igitur stante Galenum adeamus, atq; suturarum vsu & vtilitate animaduersis, animaduertamus etiam quid inde mali homini ijsdem orbato faciliùs contingat; ille lib. 9. de vs. part. c. 1. hęc ipsa scribit „ In cranio conspicuas, ac sensiles vias natura vaporosis his, ac fuliginosis excrementis secuit, non modo propter causā prædictam, quæ sanè particulis omnibus est communis, verùm etiam ob priuatam, quę sibi è situ ipso accedit, nàm partibus corporis omnibus caput velut tectum quoddam calidę domui est superpositum, quo fit vt cum omnia, quæ à partibus subiectis sursū efferuntur, fuliginosa, ac vaporosa excrementa, caput excipiat, largiore egeat vacuatione. Modò hac vaporum, atq; fuliginum vacuatione impedita, quis non fateatur aimales spiritus inficiari, & obscurari, & sic melancholiam facillimè consequi? quis non audierit intensissimos capitis dolores suboriri? at ob intensum dolorem humores in caput attrahi, atq; attractos discussionem aut vacuationem recipere nequeuntes quęcumq, deliria excitare posse nemo inficias ibit; Verùm non miremur hęc ex mala capitis conformatione prodire posse, & foraminula ipsius cutis capitis quoquo modo ad melancholiæ causam facere videantur. dùm homines ad eam dispositos reddunt, hoc depromite ex Aristotele in physiogn. c. 10. dicente, quod qui capillos multùm crispos habent, tim di sunt, nàm referuntur ad Aethiopas, hi. n. capillos habēt crispos, & timidiores esse solent, quod præcipuratione clymatis calidioris, nec non quoquo pacto ratione prędictorum foraminum contingit, nàm cum capilli multum crispi obliquitatem, seu potius tortuositatem (vt ità loquar) ipsius cutis meatuum supponant, certe fuliginosa excrementa, quę capillorum materialis causa existunt, & quę insensibiliter excerni solent, nec rectè, nec facilè per obliquas, ac tortuosas vias exire valent, qua de causa secundum crassiores sui partes retenta (hinc Aethiopum capilli tenuissimi apparent) internas cerebri partes ac proinde animales spiritus veluti offuscāt, vnde quædam timiditas, vnde ad melancholiam enarrata dispositio.

Anà

An à Dæmone melancholia fieri possit? Cap. XXV.


Nter externas adhuc melancholiæ causas,non solũ Dæmon, sed & Veneficium,astra ac morsus Canis, vel alterius rabidi animalis recensentur; Quoad Demonem spectat,cum & in bonum,& in malum diuidatur,nos de malo cacodęmone dicto intelligimus,qui certè melancholię causa nullo modo erit ex Aristotele, ac alijs ipsum seqnentibus peripateticis,dæmones .n.non dari opinatus est ipse,& ob id de illis nullibi verba facit,imò 3.de an. tex.66.eos reijcit,dùm nullum animal,vel ex aere,vel ex igne,vel alio simplici corpore constare posse affirmat,cum tamen Academici aereũ, & quodammodo igneum putarint esse dęmonum corpus;hoc autem ex eo magis manifestum fit, quia omnia quę communiter iudicantur opera dęmonum,ab Aristotele in alias causas,numquam in dæmones referuntur,nàm ea,quæ veteres philosophos excitarunt ad excogitandos Dæmones,pręsertim fuerunt diuinationes per somnia (quas Aristoteles ad naturam refert) species varię furorum (quas Aristoteles refert ad variam atrę bilis constitutionem) responsa oraculorum, & hæc ad qualitates,seù conditiones nonnullorum halituum,ex terrę cauitatibus exalantium,hinc Plutarchus lib.de Oraculis hęc referebat in halitum terræ,qui mentem occupet,Enunciatio carminum à viro ignaro quã similiter Aristoteles ad atrã bilẽ refert,vt patet ex 7.Nichomach.c 3. ex 30. part.problem.1.nec non ex lib.de mundo ad Alex.in quo legitur,quod exhalationum quædam diuinum furorem pariunt in accedentibus,alię cibi odium,nonnullæ faciunt vaticinari, vt oraculũ delphicum,& id quod in lebaida Hinc,& Cicero lib. primo de diuinat scripsit,quod terræ vis Pythiã delphis incitabat;sed in hoc deceptum fuisse Aristotelem quisq; videt,dæmones.n.dari certò scimus,ac quotidiè in demoniacis,qui exorcizantur, experimur,qui dęmones.non aere,non igne,vt voluerunt Academici, sed incorporea constant substantia; sed præterea deceptus est Aristoteles dùm diuinare,aut enunciari carmina ab ignaro virò in atram bilem retulit, hæc.n.illius succi vires excedunt.præterquamquod non obseruentur hodiè inter tot melãcholicos,qui diuinentur,nisi fortè dæmone obsideantur,vel casu interdùm id contingat;Quod de halitu terre inquit, vanum quoq; esse,docet vanitas vaticinij,siuè prædictionis istorum antiquorum vatum,qui in antris degebant,& ibi responsa dabant,quos non modò sacrarum litterarum scriptores,vt Clemens Alexandrinus,& Lactantius Firmianus,irrident,sed ipse Cicero 2.de Diuinat.ad Appollinem Phythium cõuersus illum falsitatis manifestè arguit,quem,inquit,prædictionibus vsum fuisse obscuris verbis,perplexis,flexiloquis,quæ in vtramq; partem intelligi poterant,vt fũt illa,quæ Pyrrhus accepit,, Aio te Acacida Romanos vincere posse,ex vario quidem terræ sitù, quemadmodũ,& ex

clymatum varietate, hominum ingeniosiores, ac prudentiores alij, alij obtusiores produci possunt, vnde, & ipsemet Cicero eiusdē operis lib. primo optimè enunciauit, Agrorum partes alias pestilentes, alias salubres esse, alias quæ acuta ingenia gignant, alias, quæ retusa, quæ omnia fiunt ex cęli varietate, & ex dispariliˈ aspiratione terrarum; sed ad rem, ad dæmonem inquam, à quo dùm quęrit Auicennas an fieri possit melancholia, ait hoc non esse medici considerare, cum phisicę doctrinæ, quam profitetur terminos pertranseat, & tandem, si id dæmones efficiant, concludit non alia ratione efficere, quàm mediante generatione humoris melancholici causæ huius morbi præcipuæ, quod idem asserit Valesius c. 28. sacrę philosophiæ; Alij tamen senserunt non esse dæmones, qui melancholicum morbū inferant, sed hos potiùs ad melancholicum morbum sequi, quos inter author est elegantissimus Rodericus - Castro 2. de morb. mulier. in c. 3. scholio, nàm potiùs dæmon (inquit ipse) non quidem pręcedit illam melancholię agitationem, sed sequitur, nec semper, aut qualemqumq; sed immoderatam, nec in quibuslibet, sed in ijs tantùm, qui dimissi sunt animi, perturbati aut inconstantis, vt vetulis, puellis, & viris timidioribus, cuius dęmonis potissima signa sunt responsiones ad recondita, & diuersitas idiomatum quę numquàm didicerunt, hinc melancholia communiter dici solet esse balneum Diaboli, cuius dicti ratio est, quia ad abundantiam atri illius succi mens deprimitur, & conturbatur, ad quam conturbationem, & deprauatum ratiocinium dęmon sequitur, quippe cui minimè aptum domicilium sit perlucida habitatio, lux pura, tranquilla mēs, constās, & à perturbationibus aliena. Hanc eamdem ferè sententiam obiter habuisse visus est clarissimus vir franciscus Piccolomineus in lib. de rerum definitionibus, vbi de dæmone, scribit. n. laruas esse lares prauos, nos turbantes, decipientes, & vexantes, quod frequenter nobis competit ob bilem atram, hinc viros furentes etiàm laruatos dici; & Cęlius Rhodiginus lib. primo antiq; lect. c. 34. quos facile arripiant Dæmones pertractans, hęc habet „ Nempe vbi per atram bilem, vel alio quopiā eiusmodi imaginationi prorsum mancipatur animus, facile tunc immundorum spirituum fit conceptaculum, à quibus insigniter vexatus debachari non desinat, sed cur dęmones, si nihil habent commune cū vllo corpore, melancholicos homines magna ex parte inuadant? non videtur ad eorum nequitiam referendum, non ad naturam, nimirū melancholicus succus, maximè omnium paratus est in insaniam, & desperationem adigere, quæ illi nequam maximè exoptant; sed nec morbos à dęmone excitari posse negandum est, nàm ex his, quæ homines fide digni (vt Valesius loco supra cit. scribit) & verbis, & scriptis testantur, facile indicatur non nullorum morborum, & presertim melancholicorum causas esse immundos spiritus, nàm ferunt horum multos respondere, appositissimè loqui linguis alioqui ignorantissimi, vt rusticum, & ignorantissimum latinè, gręcè, aut chaldaicè, preterea ips-


sos,

ſos,ac coactos ab exorciſtis ſignificationes de ſe euidentes præbere immundos ſpiritus,& homines ab eis detentos multa diuinare,& nar rare, quæ in remotiſſimis mundi partibus agantur,quæ ſanè conſtat nullatenus habere poſſe phyſicam cauſam nàm (vt ait Ariſtoteles) in tellectus hominis non poteſt aliter intelligere,quàm phantaſmata ſpe culando,atq; adeò nihil in eo eſſe poteſt,quod non priùs fuerit in ſen ſu,cum igitur anima ruſtici nullum ne minimum vnquàm conceperit greci ſermonis phantaſma,vnde poſſit eius intellectus nùnc abſtruſiſſi mas phraſes eius idiomatis haurire? neq; valet hæc conſequentia,poteſt melancholia, vt quiuis alius morbus citra dæmonem fieri ob ſuc cos ità,aut aliter motos,aut vitiatos,ergo nō poteſt fieri per dæmonē; neq; hæc quoq; valet,quiuis talis morbus fit ab humore,& cauſa natu rali,ergo nullus fit à dæmone, quandoquidem morbi,qui fiunt a dęmo ne,fiunt per cauſam naturalem, ſi dæmon (vt Auicennas ait) non aliter, quàm per ipſos humores infert tales morbos,in hoc tamen Auicē nas defecit,dùm nihil ad curationem referre vult,ſiuè dęmon ſit, qui melancholica inferat accidentia,ſiuè non,& ratio ipſius Auicennæ eſt, quià dæmon cum non aliter ea poſſit inferre,quàm per melancholicos ſuccos,cumq; ablata cauſa proxima,nempè ſucco melancholico neceſ ſe ſit tolli morbum,vtentibus nobis naturalibus auxilijs,& cauſam tol lentibus,putat neceſſe tolli morbum,etiam ſi dæmon eum excitauerit, ſed re vera decipitur,nàm ſicuti morbus, qui pendet ex cauſa,niſi ſublatione cauſę proximæ non tollitur, ità neq, ipſa cauſa proxima niſi ſublatione prioris,quam antecedentem appellant, etiam ſi externa ſit, ſic & de dæmone diſſerendum,namq; ſi ipſe qui melancholicum ſuccum agitando,& augendo melancholica intulit accidentia, iàm receſſerit,ſolum ſupereſt,vt naturalibus agatur auxilijs aduerſus morbum, & cauſam humoralem,ſi verō adhuc immanet,neceſſe ſit ſimul vti remedijs,quæ dæmonem abigant, & quæ melancholicum ſuccum euacuent,& compeſcant; neq; repugnans eſt philoſophorum placitis,poſſe fieri,vt dęmonis præſentia morbos excitet, cum non negetur eum poſſe mouere ſuccos, ſed neq; Ariſtoteles, qui de dæmonibus minimè philoſophatus eſt,negauerit,moueri corpora à ſimplicibus ſubſtantijs ille .n. 8. phyſ. cauſas omnes corporum motrices reducit vſq; ad indiuiſibilem,& incorpoream; Dęmon igitur cauſa eſt externa morborū, non .n. intra corpus latenter naſcitur,ſed extrinſecùs accedit morbos illaturus,eos igitur, qui pendent ex materia,aliter infert,quàm aliæ cauſæ procatarticę, puta mouendo internas, vt melancholiam morbū, augendo melancholicum ſuccum, & eum,qui inerat commouendo, deferendoq; in cerebrum,& internorum ſenſuū ſedes vapores nigros; augere verò poteſt melancholicum humorem, qui naturaliter generatur,detinendo,ne expurgetur,aut quaſcumq; exurentes cauſas admouendo, imò & alios morbos per ſe dęmon excitare poteſt, vt exempli gratia cæcitatem,& ſurditatem,viſorios & auditorios neruos comprimendo;quò minùs fa-

cultas

cultas sentiendi per eos transmittatur, qua propter ad tollendum, seù potiùs precauendum ea mala, quę per se se faciet, solis exorcismis sit satis vti, ad ea verò, quę per internas causas, medicinalibus pariter auxilijs vtẽdũ erit nõ ergo erit sẽper satis fugasse dęmonẽ, nisi morbũ etiã cures, neq; vnquàm satis sit naturalibus instare remdeijs, nisi dæmonẽ fuges, quò fortasse respiciens Hippocrates in prognost. dixit „ Si quid etiam est in morbis diuinum, illius quoq, oportet discere prouidentiã; Cęterum hic reticere nolo modũ nostro proposito valdè oportunum, quo dęmon nòs obsidet, descriptum à B. Hildegardo i n suis reuelationibus, vt testatur omnium doctrinarum peritissimus vir Martinus Del rius Disquis. Magic. lib. 3. ità loquitur B. Hildegardus de quadam muliere „ Hæc permissione Dei, quadã nigredine, & fumo diabolicę conglobositatis obsessa erat, & obumbrata, quæ totam rationalis animę illius vim opprimebat, nec eam eleuato intellectu suspirare permittebat, velut vmbra hominis, aut alterius rei, vel fumus opposita obtegit, & perfundit, vnde hęc rectos sensus, & actus perdebat, & incouenienter sepiùs clamabat, ac faciebat. Et me cogitante, & scire volente, quomodo diabolica forma (idest substantia) hominem intraret, vidi, & responsum habui, quod diabolus in sua forma, vt est) hominẽ nõ intraret sed eum vmbra, & fumo suę nigredinis obumbrat, & obtegit, si. n. forma illius hominem intraret, citius membra illius soluerentur, quàm stipula à vento dispergatur, sed supradictis perfundens ad insaniam, & inconuenientia euertit, & per eum quasi per fenestram vociferatur, & membra illius, exteriùs mouet, cum tamen in eis in forma sua interius nõ sit, anima interim, quasi sopita, & ignorante, quid caro corpus faciat. Hactenùs beatus ille; sed quid plura de Dæmone? ipse à verbo, *δαίμων* quod est deterreo, & pauefacio nomen deducit, non ergo mirum, si sæpiùs ab eo morbus inducatur, qui est cum timore, & mœrore; tandèm ipsum tùm naturaliter tum supernaturaliter agere posse cõcludendum, sicq. ab eo nos varijs modis, permittente Deo, torqueri asserendum est.

An à veneficijs, & incantationibus melancholia induci possit? *Cap. XXVI.*


Vb Veneficij nomine ob faciliorem huius operis tractationem in præsentia comprehendi volumus tùm maleficia, & fascinationes, tùm philtra, seu venenatas potiones, nec non incantationes, atq; caractheres, addo, & sigilla; quod igitur ad maleficia attinet, atq. fascinationes, nulli dubium sit, quod quemadmodum dęmon morbos, & melancholiam excitat, ità & ista, nec nõ quæcumque huius generis alia, quę cacodæmone inuocato, aut ipso duce fiunt, melancholiam inducere valebunt, hinc ob maleficia varię melancholicorum species obseruatę sunt, & ego non infimam mulierem cognoui, quę proprium virum pręsentem maximo odio, absentem au-

tem maximo amore prosequebatur,itá vt semper in fletu, lacrimis, ac suspirijs versaretur,ob quod melancholica habita fuit á medicis,&tanquam melancholica curabatur, sed frustra, ita.n. maleficiata ad bienniam vixit,quo transacto tempore prestantissima mulier,quod erat,suspicans,minis quasdam veneficias perterruit,ex quo ab eis soluto maleficio & ipsa á melancholia,lacrimis,coactoq. odio,& amore immunis euasit,ac nullis medicis remedijs,quam antea pluribus non potuit,sanitatem recuperauit,quare non est vt in his immoremur; De philtris veró seù venenatis potionibus breuiter dixero hæc posse etiam absq. dæmone melancholiam inducere,itá plura philtra apud Cardanum de subtilit. videre est,ac pariter plures potiones, vel ex naturalibus simplicibus solis,vel simul admistis,ac destillatis paratas recenset in sua naturali Magia Io. Baptista Porta, quæ quidem dementare faciunt, ac insanire á quadam potiùs occulta proprietate, quam secus , sic & apud Dioscor.dem c.78.l.4.habemus mandragoram illam,quæ in antris, ac opacis nascitur ocis ad vnius dracmæ pondus bibitam, aut in ciborijs commestam delirium inducere,quamuis hæc omnia non sine spirituum animalium denigratione contingere non absq. ratione suspicari possumus,nàm & mandragora,& ea quæ docet Porta ad has potiones parandas non parum in caput euaporent,ipsumq. repleant obscuris exalationibus;sed quid de incantationibus,ac caractheribus?ferunt,quod quemadmodùm sunt nonnullę voces,ac nomina,quæ prolata vim habent aliquid boni faciendi,itá & inscripta idem possint, & quemadmodum reperiuntur,quæ bonum importent, itá & quę malū, & ob id melancholia,ac alij morbi ab ipsis induci possint,sic ex iucundis verbis, ac læto sermone melancholici subleuantur, quemadmodum vice versa ex tristi ratiocinatione ipsorum affectiones manifeste augentur,preterea omnes homines videntur naturaliter timere maledictiones,& imprecationes;Ampliùs vti nonnulli etiam ex doctioribus, & antiquioribus Medicis vsi sunt verbis salutaribus,ac benedictionibus, non minus quàm pharmacis ad morborum curationes,quid obstat,quin malefici ac venefici homines vtantur diris carminibus,multosq. morbos per imprecationes, caractheres,ac venefica verba inferant?nec negandum est, verbis seù nominibus,sic &caractheribus vim aliquā inesse aliquid boni,vel mali inferendi,hoc.n.cōfessus est Aetius l.8.c.50.& Trallianus lib.6. c.4.suam sententiam Galeni authoritate confirmans,sic& Quintus Serenus;Plinius quoq. lib.28. Nat. Hist.c.2 multa narrat de hac re,siq.(vt ex Atali sententia idem narrat) prolata hac voce „ Duo,visus scorpio cohibetur,ne vibrare ictus possit,siq. (vt Poeta ait) frigidus in campis cantando rumpitur anguis, qui possit negari naturalis verborum vis?

Ex alia parte arguitur,quod si verba vim haberent efficiendi quidpiam,velut ignis vrendi,non essent tantum ex colloquentium placito significantia id quod quispiam cogitet,sed naturam quampiam haberent

rent communem cum ipsis rebus, ob quam, & ipsis natu taliter congruerent, sed verbis nihil est commune cum rebus neq. ipsa quidpiam sunt aliud, quàm ità diuerberatus aer, neq. alia causa est, qua hęc has illa illas res significent, quàm hominum ab eorumdem voluntate profecta consuetudo, ergo nulla vis esse potest nominibus per se; idem & de scripturis dicendum, quia dum sermo haberi non possit nisi ad pręsentes, atq. statim ac emissus est, effluat, excogitata scriptura est, quasi verba missilia, & permanentia, quibus, & cum absentibus, & cum porsteritate loqui contingeret, at verò scribendi nullam rationem constasse natura, sed vsu, & arte manifestum est; Quare cum ad corporis aut sanitatem, aut ęgritudinem inferendam necesse sit sensum tactus immutari, fatendum erit solam verborum prolationem, vel scriptionem nihil onferre, cum neutrum ipsorum sit talis sensus obiectum. Respondet Pomponatius verbis primò, & per se dumtaxat auditum, affectionibus deinde animi immutatis, per accidens tactum quoq. immutari, sicut vid=> demus (ait) fieri ab oratoribus facultate Rethoricæ, & à peritis musicis vi harmoniæ, sed hallucinatur ille, namq. oratores non verbis nudis, sed pondere sententiarum, ac rationum momentis persuadent, In musicis ipsa concentus suauitas, & harmonica modulatio distrahit animum à doloris cogitatione, & ad lętitiam prouocans lenit, & contēperat humores; cui quid simile in horrificis, ac stridulis sibilis, atq; susurris magorum? Hęc videns Pomponatius ad fidem vehementem incantatoris, & incantati cofugit, sed ità non ne omnem vim verbis detrahit, si totum illud credulitas, quam fidem vocat, operatur? verùm ista fides, seù fiducia, seu confidentia Incantatoris quicquam ne operari potest in ęgroti imaginationem, corpus, vel animam? hoc asserere ridiculum est, etiam si non defuerint viri grauissimi, & Auicennas etiā lib. de an. sect. 4. c. 4. qui censent imaginationis vim se longissimè porrigere, adeò vt possit etiam remotiores fascinare, vel sanare, & res locò mouere, & fulgura, & pluuias cælo deducere; nihilominus in corpus alienum disiunctum, ac separatum ab imaginante, non hęc mirifica potest efficere anima humana siue per imaginationem, siue per aliam potētiā, quādoquidē imaginatio est actio immanens, & ideò anima imaginans nullam realem qualitatem potest imprimere rei disiūctę, quod vt in eam agat foret necessarium; sed de hac re fusiùs, ac doctiùs Martinus Delrius lib. 1. Disquis. Magic. quæst. 3. nos de fiducia incantati infra loquemur. Incantationes igitur vanę sunt, ac superstitiosę, quęq. de illis narrantur falsa, aut maligna, maligna dico, quę cacodæmonis interuentu fiunt, falsa, quę cū non fiant, delusa sibi persuadet vulgi credulitas, falsum est igitur cantando rumpi angues, falsum quoq. eos sibi obturare aures ne audiant, quod vel Plinius per derisum narrat, dicēs non paucos etiam credere serpentes ipsas incantari, & hunc vnum illis esse intellectum, contraiq. marsorum cantu: Hic autem obiter notandum est (quod non parùm faciet ad rem nostram) inter alios philosophandi

fophandi modos, quibus antiquitas ad notandum hominum mores, vſa eſt,non fuiſſe in poſtremis,qui per confictas quaſdam fabellas,aliud quiddam allegoricè ſignificabat,quem multi Philoſophi, & ſapientes,& Poetę tenuerunt,multa verò quę ab antiquiſſimis illis ad innuēdum figuratè aliud aliquid conficta ſunt,incautè ſunt accepta à poſteris,& eorum ſanè nonnullis eruditiſſimis,quaſi ſimpliciter,ac ſine vlla figura dicerentur,quod factum eſt in fabula de ſerpente,& Incantatore,cum.n. antiquitus conficta eſſet ad arguendam impietatem eorum, qui à veritate auditum auertunt, nolentes neq. conſilijs neq. exortationibus,ac multò minùs reprhēſionibus aures præbere,nō defuerūt qui opinarentur,id quoq. eſſe verum,eamq.eſſe ſerpentis naturalem verſutiem,ſed & in ſacris literis etiam huiuſmodi fabellę reperiuntur vt allegoricè aliud denotetur,& hæc præſertim ſerpentis,vnde Regius Vates pſalm.57.ſic dixit „ furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis,ſicut aſpidis ſurdę,& obturantis aures ſuas quæ non exaudiet vocē incantantium,& incantatoris incantantis ſapienter,nimirùm(vt moralis fabulę interpretatio elicitur) intemperantes homines, ſunt ſimles ſerpentibus,quia obturant aures ſuas,ne audiant voces incantatoris ſapienter incantantis,hoc eſt concionatoris,qui docet veram ſapiētiam,& per hanc incantationem incantat morbos animi;Tandem aliquis afferre poſſet exorciſtarum verba,cātiones, horarias præces,hymnos,& ſanctiſſimum nomen (Ieſu) quod ad omnia efficaciſſimum eſt; Reſpondetur,hęc non eam vim materialiter habere,ſed quia Deum,& res Dei ſignificant,ſic in exorciſtarum verbis non eſt vis fugandi Dæmones, quia res quędā ſunt, aut ità ſonant,aut talibus deſcripta figuris,ſed quia ità ſignificāt,nec eadem verba vi vlla naturali agunt, ſed Dei concurſu,cui placuit in bonum hominum ad fugandam hanc peſtem ità inuocari, & vim talem illis impertiri, ſic etiam permittente Deo de impræcationibus ac veneficis incantationibus dicendum eſt, in noſtro .n. ſcelerum flagitiū permittit altiſſimus Deus;quod cacodęmones illis mediantibus morbos, ac perniciem hominibus inferant; Ad tot verò doctos medicos,qui incantationibus vſi ſunt, dicendum eſt,quod ex ignoratione moralium incantationum,quas fabulis obumbrauerant antiquiſſimi ſapientes,retenta tantum nominis memoria natæ ſunt iſtæ ſuperſtitioſæ incantationes,atq. hoc cum alijs multis errore diſſeminato vſi ſunt homines ſæpè incantationibus aduerſus morbos. adde quod hi ſolis adhęrent experimentis,& quæ fieri vident, leuiter nimis illis ipſis, quæ cernunt adhiberi,medijs adſcribunt, de ijs, quę non vident,nihil cogitantes;Accedit quod aliquando hominibus leuiſſimis,& qui admittunt incantatores vtilis quodammodo eſt ſua credulitas, quia ex Authore libelli de Incantatione Galeno adſcripti, quando mens humana rem amat aliquam,licet naturaliter non iuuantem,ſibi eam prodeſſe certificat,ex ſola autem mentis intentione corpus res illa iuuat;ver.gr. ſi quis incantationem ſibi prodeſſe confidat,

qualiscunq. sit, cum tamen iuuat, vnde ob confidentiam infirmi incantationes aliquando prodesse ad depellendos morbos innuit, nimirùm (& hinc facillima responsio patet ijs quæ diximus, de iucunda, ac tristi rócinatione) vt timor, & mæstitia, ac desperatio plurimos morbos augent, ac egrotos ledunt, ità confidentia, ac alacritas plurimos subleuant, & ipsa imaginatio per eos animi motus morbos tollit, aut saltem minuit, aut cum minimè, in eis qui vehementissimè confidunt, opinionem efficit sanitatis; verum hanc incantationum vtilitatem constat ex accidenti esse, ob affectus animi eius, qui curatur, non per naturalem verborum potentiam; imò ad vehementem imaginationem, & egroti cõfidentiam, seù credulitatem, humorum alteratio oriri potest, ex qua sanitas subsequatur, quo casu sanitas incantationibus, ac verbis dumtaxat adscribenda est, vt occasioni cuidam, non vt causę.

An mediantibus sigillis, & imaginibus homines in melancholiam abigi possint? Cap. XXVII.



Vam vim naturaliter agendi tribuamus sigillis, caractheribus, annulis, imaginibus, alijsq. similibus, si ea verbis denegata fuerit in superiori quæstiuncula, cum tñ verba animi arcana viuaciùs exprimant, & dũ proferũtur aerem diuerberent, & ità motũ aliquẽ obtineãt, vel efficiant, quorũ nihil obtinẽt, & sigilla, & Imagines? Non defuere tamen, qui ad inferendam sanitatem, & ad depellẽdos morbos, sigillis, caractheribus, imaginibus collo appensis, & annulis digito gestatis vsi fuerint, sed si ad morbos fugandos talia vim obtineant, ergo, & ex his alia extent, quæ morbos inferant. Matthiolus in. 6. lib. Dioscorid. in præfat. refert Albertum Magnum in lib. de Imaginibus asserere, quod si insculpatur in preciosis lapidibus serpentarij figura, eadem gestata valdè efficax sit aduersus omnia venena, & serpentum pręcipuè, sic & Petrum Aponum dixisse, quod si insculpatur in hematitæo lapide vir genuflexus serpẽte præcintus, cuius caput dextera, caudam verò sinistra manu apprehendat, lapisq. dein insculptus in annulo purissimi auri deligetur, huiusmodi annulum reddere immunes gestantes à quocunq. lethali veneno, Dubitansquè Matthiolus vnde nàm tales effectus (si modo sortiantur) emanere possint, ait se re vera existimare quod necesse sit, tempore, quo talia insculpantur, obseruare quasdam syderum constellationes, à quibus in subiectas imagines tales influant vires. De imaginibus, cereis præsertim, quibus mediantibus malefici varijs morbis, quos odio habent, & inimicos affligunt, dũm eas acubus pungunt, aut igne liquant, aut cõfringunt, dubitandum non est, cum huiusce rei plura extent exempla, tùm antiqua, tùm recentia, hinc Ouidius in Epist. Hypsipiles ad Iasonem sic cecinit de Medæa.

Deuouet absentes, simulacraq. cerea fingit,
Et miserum tenus in iecur vrget acus.

Sic

Sic referente Martino Delrio ex Zaccaria Vicecomite p. 1. complem. art. exorcist. doctr. 5. legere est exemplum his verbis relatum. Romæ accidit, vt quidam fullo maleficiatus veniret ad me ad petendum auxilium, cuius domum ego vna cum eius familiaribus ingressus, cum subuertissem, inueni in quodam tincturæ vase fæce pleno figuram cereã clauo ferreo à capite vsq. ad anum transfixam, brachia, crura, ac totũ deniq. corpus clauis refertum, qui claui ipsum maleficiatum in cunctis partibus affligebant eo modo, quo in figura cerea collocati erant. Item eodem 3. lib. Disquisit. Magic. addit eruditissimus Delrius exẽplum honestę mulieris à Sprengero collectum, quę grauissimis doloribus affligebatur in vtroq. latere nec priùs illis libera euasit, quam imago quędam cerea inuenta fuerit, & erepta ex fouea sub limine in longitudine vnius palmę vndiq. perforata habẽs duas acus ex aduerso per latera, sed ista (subdit Delrius) lædunt secundum malefici intentionẽ actione illa externa, ex pacto cum dęmone inito manifestatam, quare cum hæ imagines ope dæmonum vim supernaturalem habeant morbos inferendi, & in deliria homines abigendi, non est, vt in illis immoremur; redeuntes igitur ad sigilla, quærimus an hæc re vera naturaliter habeant vim aliquam boni, vel mali inferendi in homines, quemadmodum nonnulli opinati sunt; & credulis, aut potius proteruis, ac superstitiosis hominibus hoc opinandi ansam dedit axioma quoddam Ptolomæi, nempè vultus inferiores cælo, subiectos esse vultibus cęlestibus, hinc intulere scorpios omnes terrestres regi à scorpio cælesti, piscesq. omnes fluuiatiles à cælestibus piscibus, quare, & effectus, quos per hæc sigilla ipsi perficiunt, eos produci volunt à virtute ijs figuris communicata ab alijs figuris sublimioribus ex sympathia quadam naturali rerum inter se similium, quatenus hę figuræ adamussim inuicem coaptantur, & hoc cõfirmant similitudinibus, & primò, sicut Echo ex opposito pariete causatur; sęcũdò, sicut in concauo speculo collecti radij oppositum corpus repercussu inflammant; tertio, sicut cythara eodem modo, quo alia tensis fidibus, si ferias, alteram tinnitu suo cogit concinere, sic istas imaginum, caractherumq. similitudines efficientiam miram contendunt habere, sed ista omnia friuola esse conuincitur; primò quia similes illæ quas in cęlo comminiscuntur imagines, prorsus sũt fictitię, & quædam (vt philosophi vocant) entia rationis; quis.n. nescit in cęlo nullas esse veras vrsas, angues, leones, crateres, naues, pegasos? fictitię verò figuræ nulla potest esse efficientia, qua talis est, nec cum vera figura sympathia vel amor naturalis, id.n. quod non est, quem effectum in eo quod est, queat producere? deinde comparationes, quas attulerunt, nihil prorsus ad rẽ faciunt; in Echo cuncta sunt realia entia, homo loquens, vox repercussa, paries, nec tamen vlla parietis cum homine similitudo, vt illarum ipsi dicunt esse imaginum; in speculis quoque illis incendiarijs omnia ponuntur re ipsa consistentia, nihil configitur, nec vlla quoq. figuræ similitudo inter terminos extremos,

Solem vrentem,& lignum quod vritur;in cytharis tandem euidens requiritur à parte rei conuenientia,intentionis modus idem,fidium con cinnitus,cytharum debita propinquitas,similis aeris crispatio,quæ so nitum quasi plectro eliciat; Nec tandē me mouet,quod caractheribus, atq. sigillis vim imprimat anima rationalis cælum informans , cum.n. absurdum,atq. falsissimum sit,cælum ab hac anima informari,quomodo ex falsis præmissis veram conclusionem colligere velimus ? sed si tàm potens est illa correspondentia imaginariç figuræ superioris in hanc veram figuram inferiorem,cur adiunguntritus quosdam superstitiosos?v.g. vt si talem expectas effectum,in tergó figurç eum debeas inscribere,si contrariū,in fronte,idq. faciendum aliquando manu dextra, aliquando leua, sigillum modò fodiendum capite sursum &c. de hoc genere,quç omnia cum Gersone, & Vvimpina (referente Delrio) hanc sigillorum speciem superstitiosam esse ostendunt,& proindè meritò damnatam esse,& eò magis,quò hæc omnia in aphorismo magico libri impij fundantur,qui inscribitur Arbaghthel in septena 2. vbi traditur,quod quando Deus nomina rebus,vel personis imposuit, simul cum nominibus vires,& officia quædam illis distribuit,& ità caractheres,ac nomina constellata,sic & imagines sub certa constellatione formatæ & nominatæ habent vim non ratione figurç,vel pronunciationis sed ratione virtutis,seù officij illius,quod Deus ad tale nomen,vel caractherem ordinauit;sed hoc totum est mēdacium confictum ad stabiliendam hanc superstitionem; Nomina quidem Deus in scripturis imposuit sanctis quibusdam,mysterij significandi causa , & officio eorū, quo isti functuri conueniebant,sed ipsi nomini Deus vim effectiuam nullam indidit;Animantibus verò cunctis Adam nomina indidit, non Deus . Porrò vt nugacitas horum vel leuium, vel impiorum hominū depræhendatur,nonnulla decerpsit Delrius ex Italico libro Ludouici Dulcis,qui fictitij Salomonis,& Hermetis sigilla in lucem edidit, vbi de Zodiaci signorum atq. Planetarum in gemmis insculptorū viribus agitur,quid multa?nulla est imago stellç,cui non peculiaris efficacitas inhereat, mitto stellas; Draconis figura lçtum facit,& diuitem,astrolabij fatidicum,idem asini,si chrysolito insculpta,ranç inimicos ad pacē, amicos ad odium impellit,cameli dæmones cogit &c. hec Dulcis, qui si nugabatur,certè crassè ridet Prælatum illum,vnū ex Ecclesiç Cardinibus,cui opus inscribit;si seriò, non habeo (subdit Delrius) quì excu sem,cum ea quæ solius Dei sunt,infundere prophetiam,& religionis ac fidei amorem, tenacitatemq. & similia tribuit asinorum, & syderum figuris, non nè hoc est suadere, vt relictis bonis artibus,& studijs ethicis demergat se humana curiositas in barathrum superstitionum, & facere,vt cuiq.sit Deus annulus sculptus,quem dextra gerit?At insuper negocium facessunt Pomponatius,& Caietanus, nàm dùm sigillis nullā vim inesse dicimus, obijcentes pētagonos,circulos,& alia huiusmodi signa, aut caractheres dum taxat esse qualitates quasdam quantitatis,

tis,ipſam verò figuram non eſſe principium operationis,ſed tamen ad operationem plurimum conferre,ſic.n. deformem materię figuram hominis animo triſtitiam,ſpecioſam verò gaudium eidem adferre, quod ſine ratione ab eo dicitur,quia tales ſuperſtitioſi caractheres nihil neque pulchritudinis,neq. deformitat s notatu dignæ, aut idoneę ad has paſſiones gignendas habent;quod videns ipſemet , tandem confugit ad credulitatem ijs vtentium : verum credulitatis non maior eſt vis , quàm imaginationis,de qua in ſuperiori quęſtiuncula dictū fuit. Caietanus ſic inſtat, figura licèt non ſitipſum principium operationis, eſt tamen comprincipium,ergo vt eſt figura habet peculiarem effectum; Antecedens probat,tùm quia in artificium inſtrumentis efficit figuræ vt illa ſic vel ſic operentur,tùm quia ferrum latum ſuper aquas,fertur, quod ſi formam aliam contrahas,demergetur;Reſpondet Delrius figuram eſſe comprincipium in motu locali,& operationibus quę per hūc motum fiunt vt ſunt variæ diuiſiones continui per dolabram, per malleum,per ſerram,non verò in operationibus quę fiunt per alteratione, nec valet confirmatio ex ferro petita,vix.n. ferrum in tantam latitudinem queat extenuari,vt poroſum fiat, & aquis immerſabile ; ſed eſto, fiat,erit non ratione figurę,ſed ratione quantitatis ,quę re non differt ab ipſa ſubſtantia ſecūdùm multos,quęro.n.(ſubdit ille) qua figura velit eſſe ferrum circulari,quadra,an pentagona ? ſi dicat hac, vel illa,inferam idē fore,ſi alia ſit formata lamina æquè tenui,& lata figura,quod indicium eſt nihil operari figuram; ſi dicat qualibet in figura ſufficere illam extentionem,& deductionē ferri,certè fateatur neceſſe eſt à figura hoc non pendere,non minùs.n. differunt extenſio quantitatis,& figura quantitati extēſæ impreſſa,quàm albedo à ſuperficie parietis dealbati; Tandem addit Caietanus videri durum, & difficile eos omnes damnare,qui talibus vtantur imaginibus; Reſpondetur ſtultorum eſſe numerum infinitum,ideò ſufficere,quod re vera res ſit mala,ac ſuperſtitioſa; non igitur immeritò ſigilla hęc, ſimiliaq. omnia damnata eſſe videmus,nam cum niſi inuocato Dæmone non operentur, ea omninò vana,ac futilia eſſe cēſemus,quam.n.vim naturaliter imprimat huius, vel illius animalis impreſſa effigies in aliquo ex metallis, vel ex lapidibus precioſis ſub hac,vel illa conſtellatione, in hoc,vel alio Zodiaci ſigno,ſi impreſſio iſta res omninò artificialis,non autem naturalis extet?ſi quis id opinaretur,a noſtris arbitrarijs actionibus cęlum, ac ſydera cogi ad talia efficienda opinaretur,qua re certè nil ſtultius,aut riſu magis dignum excogitari poſſet.

An ab Astris melancholia inducatur?
Cap. XXVIII.


DE sigillis sermo nimis fortè curiosius nos præter institutum quodammodo longiores esse, & externas melancholiæ causas protrahere, & protrahendo quasi deser re co gir; at modò ipsas astris mediantibus, tanquam luminibus proprium nobis iter commonstrantibus prosequi facilè fuerit; Cum igitur à nonnullis inter prædictas melancholiæ causas astra recenseri viderim; & de ipsis quæstiunculam conscribere mihi necessè fuit; certè nimis alta petij, ita vt in præceps me ruiturum agnoscam, nec deerunt, qui dicant; & iure optimo de coloribus cæco iudicandum non esse, & proprium nesciolorum fore, quæ non callent, aspernere, ac reprobare; Cuique tamen liberum est in varijs rerum opinionibus eas dimittere, quæ sibi mentem quietam non reddunt, & eas amplecti, quibus intellectus magis acquiescit, ac rationabiliorem de se præbent certitudinem, eoque magis, quò pluribus, ijsq; summis fautoribus non destituuntur illæ; sed ad rem; ex varijs astrorum aspectibus varios morbos prodire autumant Astrologi, quos inter Ptolomæus lib. 3. quadrip. cap. 17. fieri qualitates morborum, aut læsionum varias iuxta signorum rationem, quæ sunt in duobus cardinibus scripsit, & inter libros Galeni spurios extat, qui Prognostica de decubitu ex Mathematica scientia inscribitur, cuius in 3. cap. hæc ad litteram habentur " Si verò Luna configuretur Marti, vel Soli numeris addens, vel etiam lumini, inducet ea in capite alienationes mentis, phranitides, circumdolentias &c. & ex Plutarcho in Virginibus Milesijs epidemicam melancholiam extitisse legimus, vt susius in quæstiuncula secundæ partis huius operis recensentur; sed ab Hippocrate lib. 2. de nat. hum. docemur, quod quando ab vno morbo plures homines corripiuntur eodem tempore, causam ad id, quod communissimum est, & quo maximè omnes vtimur, referre oportet, est autem hoc spiritus, & aer, quem inspirando attrahimus; & paulo post, " Cum vnius popularis morbi grassatio constitit manifestum est diætam non esse culpabilem, sed quem trahimus aerem in causa esse; Modò subdas aeris varias constitutiones ab astris, & syderum concursu pendere, ergo prædictam epidemicam melancholiam ab astris dependentiam mediatè habuisse, ergo à primo ad vltimum astra posse esse extrinsecas, & antecedentes melancholiæ causas concludendum erit, Ego omnibus hucusq; enarratis libentissimè subscribo, nam fateor ex varijs syderum aspectibus, ex Luna, atq; Solis varijs in varia Zodiaci signa ingressibus aerem variè alterari, modò pluuias, modò siccitates adduci, atq; ita in subiectis humanis corporibus vario, fluxiliq; humore compactis, & educatis varios morbos excitari, vnde Hippocrates in aph. 19. sect. 3. dixit, omnes quidem morbos in omni-

omnibus temporibus fieri, sed quosdam magis in quibusdam ipsorum, & fieri, & excitari, & hoc sanè propter aerem, tunc talia corpora ad tales morbos magis disponentem; Sed si velint Astrologi, quod quispiā sub tali constellatione natus, aut melancholiam morbum sit incursurus, aut delirio melancholico oppressus interire debeat, hoc fateri nec possum, nec debeo, nam quomodo deserere possim proximas, & satis perspectas causas, & ad remotissimas, ignotissimasq; confugere? sit exempli gratia Saturnus, qui octauam domum teneat, dum infans in lucem editur, & ab alijs planetis maleuolis, *vt vocant*, aspiciatur certè hic planeta secundùm eos, maleficus, frigidus, ac siccus natum melancholicum timidum, atq; infelicem reddet, sed dum hæc longinquiota quærimus, quid proximiora omittimus? si huius eiusdem nati parentes hilares sunt, optimaq; sanitate præditi, & proinde infans in vtero laudabili, optimoq; sanguine connutritus fuerit, siq. hilaris etiam inculpabiliq. valetudine prædita nutrix accesserit, cur non idem natus optima sanitate fruatur, felicemq. vitam degat? præterea si omnes, qui sub eadem constellatione nascuntur, obseruari possent, porrò eas varias naturas, variosq. mores sortiri cognosceremus: (Equidem in præsentia mores hominum, fortunas, dignitates, atq. similia, quæ ex illorum studijs, arte, atq. libero arbitrio dependent, omitto; hæc enim nullo pacto ab astris effici posse certior sum, atq. dum hæc Astrologi contendunt, meras nugas effutiunt) sed ad rem nostram; conclusio sit non posse Astrologos ex syderum positu, atq. constellationibus particulares hominū morbos conijcere hoc .n. dū tentāt necesse est vt particulares causas, atq. proximiores deserant, cum hæ tamen, nequaquam astra, sint, quæ particularium hominum particulares morbos re vera excitant, etenim si modum, quo astra in hæc inferiora agunt perpendamus, certè nullus alius esse potest, quàm per mediam aeris alterationem, ex qua humores nostri corporis alterati, ipsi tandem morbum inferant; His ita se habentibus quomodo possit constellatio quædam Petro, vel Ioanni melancholiam afferre, non alterato aere? nam si tanta aeris alteratio fieret, quæ corporis humores intemperatos redderet, aeris sanè alterationem illam, non tantùm Petrus, ac Ioannes, sed alij plures etiā persentirent; hinc iure meritò in optima Peripatheticorum schola, habemus nullo alio modo in hæc inferiora agere, quàm solo motu, ac lumine quod cætera astra ab ipso Sole mutuarunt, & lumine quidem per se agunt (hoc enim propter quam ad ipsum ignis analogiam habet, calefacit, vt optimè nobis aperuit Franciscus Valesius in sua sacra Philosophia) motu verò ex accidenti agunt, nam quatenus accedunt, vel recedunt, eò magis, minusq. excalefaciunt, neq. aliam manifestam qualitatē syderibus attribui posse arbitramur, quandoquidem cęlestia corpora, cum materia ab hac sublunari diuersa cōstent, neq. frigida, neq. calida sunt, non grauitant, non leuitant, neq. aliqua alia qualitate afficiuntur; non ergo manifesta qualitate, neq. alia

ab

semper ostendere, si eas ex quacunq. terra conspexeris. Secundo si tam paruum, atque rapidum est momentum temporis, in quo homo nascens fatum accipit, vt ex ipsis in eodem illo puncto sub eodem circulo cęli plures simul ad eadem competentiam nasci non queant, & si idci cò gemini quòq. non eadem vitę sorte sunt, quoniam non eodem temporis puncto æditi sunt; peto (inquit) respondeant. cursum illum temporis transuolantis, qui vix cogitatione animi comprehendi potest, quonā pacto, aut consulto assequi queant aut ipsi perspicere, & deprehendere, cum in tam præcipite dierum noctiumq. vertigine minima momenta ingentes facere dicant mutationes? Tertiò cur fit quod homines vtriusque sexus, omnium ætatum diuersis stellarum motibus in vitam editi, regionibus, sub quibus ęditi sunt longe distantibus, omnes tamen isti auhiantibus terris, aut labentibus tectis, aut oppidorum expugnationibus, aut in naui eodem fluctu obruti, eodemq. genere mortis, eodemq. ictu tempor.s interirent? Hoc certé numquàm eueniret, si momenta nascendi singulis attributa, suas vnumquodque leges haberent; Quod si quædam (subdit) in hominum morte, atque vita etiam diuersis temporibus editorum per stellarum pares quosdam postea conuentus paria nonnulla, & consimilia posse dicuntur obtingere, cur non aliquandò possint omnia quoquè paria vsu venire, vt existant huiuscemodi stellarum concursiones, & similitudines Socrates simul, & Aristones, & Platones multi genere, forma, ingenio, moribus, vita omni, & morte pari? quod nequaquàm prorsus fieri potest: non igitur hac causa propè vti queunt aduersum hominum impares ortus interitus pares. Hinc non sine ratione sapiens iste vir astrologos non esse consulendos suadebat; nàm (inquiebat) aut aduersa euentura dicunt, aut prospera, si dicunt prospera, & fallunt miser fies frustra expectando; si aduersa dicunt & mentiuntur miser fies frustra timendo; si vera respondent, eaq sunt non prospera, iam inde ex animo miser fies, antequàm è fato fias; si felicia promittūt eaq. euentura sunt, tum plané duo erunt incommoda, & expectatio te spei suspensum fatigabit, & futurum gaudii fructum spes tibi iam deflorauerit, sed quid ad auctoritatem Ptolomæi, atq. authoris libelli de decubitu ex mathematica scientia? iam superius, innuimus eorum placita de frequentioribus morbis, ex uniuersalibus aeris tempestatibus prodeuntibus verificari, non autem de aliis; hic autem addimus posse contingere, & frequenter, vt melancholiæ, & mentis alienationes fiant, dū luna in ariete existens configuratur soli lumini addens nàm cum astra, mediante lumine in hæc inferiora agere dixerimus, nulli dubium est quod luna tunc temporis soli configurata, & lumini addens magis calefaciet, ac proinde in hæc inferiora magis aget unde adinuento patiente, cuius in capite atrabilarii humores redūdent vel alii quoquo modo peccantes, facile fundentur illi humores, qui prius quieti manebant, atq.

per cerebrum irrepentes induce nt prædictas affectiones, & luna præsertim in ariete existente, quoniam quemadmodùm sol luminare maius in ariete existens ver affert, ita & luna luminare minus in ariete existens nobis veluti ver affert, quamuis longe satis obscurius, longeq. breuius. Vere aũt facilius funduntur humores, qui ab hyeme prius veluti cógelati manebant, & ita non ab occulta syderum, aut planetarum vi, sed à qualitate manifesta, qua mediante lumine in nos agunt producuntur affectiones istæ, vnde & recte Ptolomæus de stellarum errantium potestate agens in 5. Quadrip. c. 3. dixit Saturni, & aliarum stellarum vires constitui pro uarietate aspectuum solis, & lunæ, & lunam addidit, quia cum hæc terræ proxima sit, & humidis vaporibus vicina ab ipsa reddi corpora mollia voluit, & aliquantulum etiam calefieri, propterea quod à sole lumen accipiat; & sane si res examinetur, videmus à modico calore, quem ob módicum mutuatum lumen luna præbere potest, corpora mollia reddi, atq. laxari.

An à morsu canis vel alterius rabidi animalis melancholia inducatur? Cap. XXVIIII.



Rosectò non solum canes, vt voluit Galenus 6. de loc. aff. c. 5. sed & alia plura ex animantibus rabie tentari certissimũ est, apud Aristotelem n. 8 de hist. animal. Camelos & equos in rabiem agi testatum videmus, mulos, vulpes, atq. mustelas apud Auicẽnam, & C. Aurelianus vrsos, leopardos, & asinos eadẽ calamitate affligi scripsit, sed & hominem quoq. à nullo rabiente animali commorsum hanc in se labem contrahere non docuerunt viri doctissimi, qui scriptis mandarunt, inter quos fuit Petrus Salius Diuersus plura huiusce rei adducens experimenta, ac ipsemet C. Aurelianus l. 3. acut. affect. c. 9. hoc malum sponte sua in nonnullis ortum adnotauit quemamodum autem hoc rarissime contingit, & in aliis animantibus etiam, ita in canibus frequentissime, & vt plurimum experimur: His igitur ita se habentibus, dùm quęritur an à rabido cane homo commorsus melancholiam incurrat, sciendum est hoc virus à cane prodire non ratione morsus, sed ratione ipsius, spumæ, contagioſęq. saliuę commorso homini communicatæ, hinc Iulianus Palmarius vir doctus duo proponit exempla, quibus probare vult non morsu dumtaxat, sed solo contactu (rabidi canis saliuæ rabiem excitari posse; Rusticus quidam (inquit) rabie correptus, cum sibi è viuis migrandum esse intelligeret assidentes rogauit, vt quos mox deserturus esset, liberos, sibi deosculari liceret quod cum ei concessum fuisset, ecce septimo post die liberi eodem morbo correpti breui vitam cum morte commutarunt; Vidi etiã (subdit) ex straminis, in quo rabidi sues decubuerãt, esu equos, boues, oues & quotquot stramentum degustassent rabie periisse; sic et

Car-

Cardanus de quodam Patritio Veneto testatur, qui, se nescio, ex osculato dumtaxat rabiente catulo, in eumdem incurrit morbum; Hinc verissima erit Aureliani sententia, nempe labem ab ea corporis parte exoriri, quam primùm læthifera vis attigerit, illinc intrò subeuntem spiritus humores, partisq. ipsius ictæ, demorsęque substantiam contagione inquinare, exin sensim in principes partes longiùs serpere, totumq. demum permutare corpus. Hoc autem virus in humano corpore interdū à morsu per mensem, interdùm per anni dimidium, imò & per integrum annum latitat, antequàm suos prodeat effectus, quo tempore nullo pacto hominē melancholicū dicendum esse certiores sumus; Prætereà cū aliç sint melancholiæ species, in quibus ægri circa plura obiecta, seù phantasmata, aliæ verò in quibus circa vnicum tantum, obiectum deprauatam habent imaginationem, huius sortis melancholiam patientur à rabido cane commorsi, quandoquidem circa metum aquæ tantummodò est ipsorum deprauata imaginatio, aquam. n. videntes, aut ipsam currentem, vel præcipitem cadentem audientes, aut denique imaginantes summoperè expauescunt, torquentur, cruciantur, contremiscuntq. hinc huiuscemodi affectio à græcis hydrophobia, hoc est aquæ metus appellata fuit, insuper cogitabundi ac pauidi fiūt aliorumq. ac domesticorum quoq. commercia deuitant, solitudinem expetunt & lucem, atq. perspicua odio habent, verissimum quidem est ab hoc veneno in humoribus corruptionem, & magnam ex Galeno excitari 6. loc. aff. c. 5. corrupti autem humores, aut mediantibus nigris vaporibus in cerebrum delatis, aut quia ipsi cerebrum occupent cum animales spiritus obtenebrant & offuscant, melancholicas inducunt affectiones, quemadmodum superius de pituita corrupta ex eodemmet Galeno probatum fuit quod & in pręsenti affectu contingere credendum est; attamen quia in commorsis à rabido cane semper aquę metus contingit, ac circa ipsum deprauatur imaginatio hinc non simpliciter à spiritu animali tenebricoso reddito, sed à tali humorū corruptela, ac contagio tenebricoso reddito iste aquæ metus, istaq. melancholiæ species exoritur, cur autem hoc fiat suo loco explicare tentabimus; sed contra eam, quam proponimus sententiam argui posset ex Galeno lib. de Theriaca ad Pis. de hydrophobia .n. laborantibus loquens, ait, non solum corpus ipsis inarescere, & conuelli interdum febriq. acri vri, sed animū etiam delirare, & grauissimum ipsis afferre symptoma, quippe aquam timent, ac propter multam siccitatem humidi tenentur desiderio, & à potu abstinent, quia mente alienati id, quod auxiliari possit, non considerant, fugientes .n. aquam pauentesq. miserrimo mortis genere intereunt, ex quibus Gal ni verbis non melancholiam, sed phrenitidem potius esse huiusmodi affectionem colligimus, cum corpus acri febri exuratur, & inarescat, nàm ex ipsomet lib. 2. de sympt. caus. c. 7. fe-

bris & præsertim acuta, est signum, quo phræniticum delirium à melancholico distinguimus, quod idem videtur confirmare 2. in 1. Prhorr.t: 17. dum ait in hydrophobia medicis omnibus summa in solidis animalis partibus siccitas fieri videri, atq. vnà adaucta naturalis caliditas in igneam conuersa. Amplius veneni æstum demorsorum symptomata tibi indicabunt, nàm anxii loco stare nesciunt, indignantur, furor, oculus toruus, & aspectus horrendus conspicitur; quæ omnia nó melancholiã, sed maniacum potius, aut phræniticum si febris adsit, repræsentant delirium; hinc plures, & antiquiores, & recentiores rabiem ipsam inter maniæ species connumerarunt, quod & author definitionum medicarum fecit; Alii verò aiunt in hydrophobia adesse quidem ingentem totius corporis caliditatem & siccitatem, non tamen deprauari ullo pacto imaginationem, vel etiam principem actionem, & ratio inde petitur, quod virulentia ista cor petit, cum in demorsis (inquiunt ipsi) non alia de causa appareat spuma, nisi quia corde liquescant, cor autem non principum actionum est organum, sed cerebrum quare affecto corde in ipsis non contingit læsio, ergo neq. melancholia fieri poterit; si verò quæramus causam, cur isti metuant aquam, respondent, non ob deprauatam imaginationem, sed quia caliditas, & siccitas totius corporis iam habituata sit, & in adscititiam veluti naturam abierit; aquam .n. tãquam eorum aduentitiæ naturę contrariã perhorrescunt, & Petrus Salius hos aquæ metu vexari scripsit, non quia eorum imaginatio aliqua ex parte deprauata sit, & quia mens ipsis non cõstet, sed quia ab aqua, & aliis liquidis maxime lædantur, quam læsionem cum prima vice experti fuerint, nolunt postea, nec possunt propter ventriculi subuersionẽ siue resupinationem liquida assumere, hoc autem referebat Petrus Salius in occultã veneni qualitatem, vtraq. tamen sententia non omninò rationi consentanea esse videtur, nam & si canina rabies formam, & proprietatem habeat quæ nos latet, & hæc subinde solis præsidiis experientia adinuentis superari possit ex Galeno 11. lib. de simpl. med. fac. sermone de Carcinis, nihilominus ratione temperamenti & apertarum qualitatum, quibus virulentia hęc prædita est, indicationes curatorias valde vtiles nobis patefacere potest. hinc Galenus lib. 13. meth. c. 6. & 5. simpl. c. 18. venenorum manifestas qualitates semper contrariis præsidiis frangendas, superandasq. esse scriptum reliquit; quare si caninam virulentiam, ipsiusq. manifestas qualitates expẽdere velimus, ipsã ingenti potius humiditate præditam esse comperiemus, sed cũ hoc à nobis propositũ scopũ transcendat, illi sequentem quæstiunculam dicauimus; Ad rem igitur redeuntes dicimus hallucinari eos, qui nullo pacto imaginationem in commorsis à rabido cane deprauari aiunt, nã si à sola aquæ præsentia, imo à sola ipsius recordatione, & quod magis est, ab ipsius aquæ solo sonitu ægri tanto timore percutiantur, clamitent,
con-

contremiscāt, & adeó excrucientur, necesse est vt in eis aliquo modo sit deprauata, ac peruersa imaginatio, alias. n. neq. si cęlum rueret ita exagitari deberent; præterea cum à pituita corrupta, ac cerebrum obsidente procreetur hoc vitium. vt infra ostendetur, non negabit melācholiam fieri, ac proinde imaginationem deprauatam esse qui Galenū perlegerit 2. in 5. Epid. t. 38. Quando autem dicunt illi, cor affici, non cerebrum, quia spuma corde liquescente appareat maxime aberrant, quoniam & in causonide, & in torrido marasmo spuma appareret, sed quid plura? obseruatū est circa os hydrophobicorū, vt plurimū nullā apparere spumam, vt doctissimus vir Eustachius Rudius testatur lib. 4. de morb. venen. & occ. c. 13. quomodo igitur corde liquescunt? quod si spuma appareat in hidrophobicis, ea solum in vltimis horis, & dum sunt propè mortem, apparere solet, quo tempore cum maximè agitentur isti, & copiosa cerebri scateant humiditate, mirum non est, si circa os spuma contingat, non secus ac epilepticis per essentiam à pituitoso humore contingit, sed neq. cor affici in hoc affectu ratio suadet, quoniam cum maxima adsit humorum corruptio, quomodo posset cor illam perferre absq. quod nullum animi deliquium nulla syncopes, nulla palpitatio succederet? Cor .n. ingentem labem diutius perferre nequit, statutum igitur sit non cor, sed cerebrum affici tum ex melancholicis symptomatibus, ac præsertim ex aquæ metu, tum ex eo, quod in subsequenti quęstiuncula dicetur, sed contra hoc, quod ex aquę metu comprobamus, excellentissimi viri Iosephi de Aromatariis noua insurgit, & ab eodem inuenta opinio, de qua in lucem editus extat liber, cui titulus est Disputatio de rabie contagiosa, in quo ostendit diffuse ac perdocte. non ob deprauatam imaginationem fieri aquę metum, sed ob anginosum affectum, imo plures adstruit adesse hydrophobicos qui nullo pacto mente alienati sunt, sed inculpatas habent principes actiones; Ego qui tanti amici, ac Domini mei sententiam plurimi facio (Condiscipulos .n. & commensales etiam nos fecerunt Patauina gymnasia) nolo, nec possum re vera à doctissimi viri doctrina recedere, etiam si pro meę opinionis tutela à nonnullis deflectere cogar, sed de his cap 32. Remanet modo vt authoritatibus ex Galeno, & aliis in contrarium adductis satisfaciamus, & quoad locum illum ex lib de theriaca ad Pis. excerptum, dicimus, non absq. ratione nonnullos existimasse libellum non esse Gal. legittimum, quemadmodum, & alii ab eo, dum esset iunior, conscriptū fuisse asserunt, & ob id in antiquorum, ac pręceptoris sui potissimum opinionem lapsum fuisse, sed iam prouectior ætate factus Galenus solum quidquid alii senserint, cómemorauit, neq. id propria assertione confirmauit, vti apertissime videre est 2. in 5. Proreth. t. 17. ibi. n. commemoratæ omnium medicorum sententię non ita adstipulari videtur Galenus, cū dicat omnibus quidé medicis, non tamen sibi, ita visum esse

hæc

hæc autem facile confirmari possunt, quia cum in lib. de Theriaca cit. habeamus corpus inarescere febriq. acri vri, experientia manifestum est, neq. inarescere corpus, neque febre vlla tentari, quemadmodum inter recentiores Rudius, & Merenda ex doctissimi Simonis nostri commentariis qui in scribendo inter Lucenses Medicos lauream repor tauit, fidissime testantur, imo Cęl. Aur. c 12. lib. suprac. hac vna nota, febris dico absentia à phrenitide discernit hydrophobiam, si verò rabien tes nonnumquam febricitasse contigerit, id potius ex corporis appa. ratu, & pręuia dispositione contigisse credendum est, quoniam vt verum fatear demorsorum symptoma ex Merenda, vno, aut altero excepto, nempe anxietate quadam interna, cum abiectione quadam animi, & aquæ metu, ita incerta sunt, ac varia, vt eandem illorum faciem rarò in duobus eo malo correptis deprehendas, videtur .n. venenum illud caninum, vt & atra bilis, & vinum laborantium moribus & pręsenti constitutioni se se accomodare; quod deniq. definitionum medicarum author, atq. alii inter maniaca deliria hydrophobiam reposuerint propter apparentia symptomata, nihil est, quandoquidem de varietate, atq. incertitudine symptomatum audiuistis, hęc .n. omnia, vt de febre diximus determinatum quemdam corporis subsequuntur apparatum, sed nonne sęp· insuper melancholię maniam, & manię melancholiam permixtam esse videmus? ampliùs nonne etiam interdùm pręter timorem, ac tristitiam in ipsa melancholia indignatio, furor, oculus toruus & horrendus aspectus cernuntur, quę symptomata in maniacis semper extant? Indignatio ex molestia & vellicatione intus percepta nascitur, quo etiam fit, vt anxii stare loco nesciant, neq. quiescere possint, furor ex indignatione, oculus toruus, & aspectus horrendus ex tristi cogitatione, mærore, inedia ac vigiliis, amplius in obuios interdùm irruunt, quia ipsorum conspectus ipsis molestus est, aut suspectus etiam, ne si bi iam satis afflictis molesti quocumq. modo sint, quare non est vt ob id hydrophobiam int r melancholiæ species recensere desistamus; Hinc audiatis quę profert Merenda ex doctissimo Simonio nostro eius pr æceptore libello de spuma canis rabidi, Vnde namq (inquit ipse) hydrophobia illa, nisi a læsa phantasia? an non & quos melancholicos vocamus corũ nonnulli alia, atq. alia citra manifestam causam timent? Hùc accedit conuulsio illa corporis, latratus, impetus in alios, quæ omnia insaniæ, & melancholię certissima indicia sunt, & sanè ego quoq. Eud emi sententię adhęreo, qui censuit hanc esse melancholię speciem cuius peculiaris sit illa proprietas, abhorrere ab aqua; quam ratione vestigare non magis possimus, quàm cur alius acrophobus, alius pan'aphobus sit alius item ruituum cęlum opinetur, vel aliud huiusmodi absurdum, longeq; à ratione alienum, cum metu, et mestitia cogitet, atque loquatur; Hactenus ex Merenda, sed iam ad manifestum huius veneni excessum descendamus.

An

An siccum vel humidum sit in rabientibus venenum? Cap. XXX.

PRæter allatas superius rationes, & authoritates, quę maximã caliditatem, ac siccitatem in hoc veneno adesse testabantur non desunt alię et plures, quandoquidem ferè omnes Medici, qui de rabie scripserunt, huiuscemodi venenum siccum esse statuerunt, vndè fortasse meliùs esset cum multis errare, quàm velle cum paucis sapere; verum .n. vero sola ob oculos veritas est habenda, namq. amicus Plato, amicus Socrates, at magis amica hęc, et idcirco quicquid pro veritate sentiemus ac quę illi magis consona fore adinuenerimus, liberè adducemus, etiam si nobis ab Hippocratis, et Galeni placitis recedendum foret; Doctissimus Capiuaccius hoc venenum igneum esse, et ob id summè calidum et siccum lib. de Venen. c. 12. scripsit, atq ad huius sententię confirmationem adducit histotiam cuiusdam dissecti cadaueris, in quo tria notanda apparuerunt, nàm primo nulla aderat humiditas aquosa in pericardio, tota erat consumpta ab hoc igneo veneno; secundò sinus cordis conspiciebantur aridi, et sanguine prorsus destituti: tertio in pericardio portio quædam obseruata fuit fermé combusta, et in puluerem redacta. Alii etiam siccum esse venenum ex eo commonstrant, quod nullum animal huic vitio magis obnoxium sit, quàm canis, hic. n. vt refert Galenus 1. de temperam. c. 5. cum calidus, et siccus sit ad hominem collatus, façile in calidum, et siccum quoq. morbosum affectum incidit, hinc etiam Galenus lib. 6. de loc. aff. sub canicula canes maxime in furorem agi scripsit. Huic quoq. opiuioni fauet Auic. lib. 4. fen. 6. tr. 4. c. 5. vbi hæc habet,, Accidit cani rabies, quę est conuersio suæ complexionis ad malitiam malã (alii legũt ad melancholiã) malignã, venenosam, et accidit ei hæc conuersio, aut ex aere, aut ex cibis, et potibus, ex aere verò, quoniã calor vehemens adurit humores eius, quare fit rabiosus in autumno, aut congelat frigus vehemens sanguniem eius, faciens ipsum decliuẽ ad melancholicitatem, quare fit rabiosus in vere, ita vt ex Auicenna hoc venenum fiat ex sanguine, aut per summum calorem, aut per sũmum frigus iam melancholico reddito, sed melancholicus sanguis siccus est, ergo et siccũ venenum erit; sed re vera nõ admodum sibi constans videtur Auic., quoniam (prætereo modo canes rabiosos etiam fieri hyeme, et estate inchoantibus, quæ tempora neq. magnus calor neq. summum frigus præcessit) subdens cibos, et potus rabiem inducentes ait esse sanguinem interfectorum, cadauera corrupta, putridas aquas, quæ omnia cum corrupta sint, ac superflua difiluant humiditate necesse est, vt canis sanguinem, ipsiusq. temperamentum, dùm ipsis propriam corruptionem impartiuntur, ad nimiam humiditatem alterẽt

atq.

atq. commutent, ac proinde in ipso non siccum, sed humidum producatur venenum, ad Galenum verò dicentem sub canicula maxime canes in furorem agi, iam responsum est, ęque .n. per brumę frigora, et per solstitia, atq. per æstatis ardores morbo istiúsmodi corripiuntur canes, hoc asserunt venatores, et qui canes multos ad venationis voluptatem alunt, qn̄ vero dicunt nullum animal magis tentari rabie, morboso affectu calido, et sicco quā canis, quia tēperamento calidus, et siccus sit, forte non omnia vere prolata sunt, quoniā, et si concedamus canem aliis animantibus sępius hoc affectu vexari, quod in ipsius inexplicabilem, occultamq. naturam referendum est potius, non tamen opinamur rabiem esse calidum, et siccum affectum, quemadmodum neq. calidum, et siccum canis temperamentum esse, ita pro certo habendum est, nàm si de cane sermo sit, nullum ex domesticis animalibus hoc frigidius, nullum animal celerius friget, aut tremit, nullum libentius apricatur, nullum freq entius loca ignis petit, prope ignem iacet, propè fornacem dormit, atq. vbi hęc deficiant, super calentibus ipsis, cineribus, tanquam super stragula cubat, vbi solis, aut ęstum perferre nequiuerit, atq. paulisper vmbram, et frigidiorem auram captarit, continuò redit eodem, vnde discesserat, ad radios dico, focúmq. id quod vel sub ipsa canicula canes indiscriminatim omnes facere videmus, sed concedatur Galeno canes calido, et sicco temperamento donatos esse, quid inde? non ne leones, et alia plura animantia extant, quę in collatione ad humanum temperamentum canibus ipsis longè calidiora et ficciora sunt, quæ hoc vitio tentari deberent, cum tamen nunquàm, aut rarissime tententur? Capiuaccio tandē respondetur pericardium omni humiditate priuatum, et sinus cordis omni sanguine destitutos, nec non pericardii portionem ferme combustam fuisse in illo à canina rabie extincto, non quidem propter veneni vim exurentem, sed propter alias causas, quarum potissime sunt omnimoda, atq. diutina ab omni liquidorū potu abstinentia, necnō cordis feruens natiua caliditas, atq. dilatationis & cōstrictionis assiduus motus, cuius gratia humiditas illa in pericardio continetur, nàm prouida natura hanc aquam in pericardio generauit, ne cor ob perennes motus assiduo ardore torreretur; Cæterum humidum esse caninum virus ex eo coniicitur, quod sola rabidorum canum saliua hominem contanges, rabiem excitet, sicuti lib. 6. de loc. aff: Galenus adnotauit ita vt contagiosum sit hoc venenum, quod magis confirmat Aurelianus lib. 3. acut. affect: c. 9 dum scribit, quosdam sola inspiratione odoris ex rabido cane rabidos factos, contagiosum autem venenum quis siccum appelletur. nullus certe nàm siccitas contagioni aduersissima est, quemadmodum humiditas illi ancillatur, hinc videmus variolas, scabiem, phtisim, pestem aliosq. contagiosos morbos, omnes humidos esse, quare et rabies humidus erit affectus, verum hoc etiam

con-

confirmatur, quia cũ segniùs diffundatur hoc venenũ, crassiorem habere substãtiam, & eam lentoris cuiusdam participẽ ostendit, prætcrea si calidum, & siccũ esset hoc venenum, nonne confestim in demorsis, sicut in alijs venenatis ictibus, vehemẽs perciperetur dolor, proptereaq; pars icta certissimè inflãmaretur, aliaq; perniciosa suborirẽtur symptomata, cum tñ à rabido cane demorsos nullus prorsus ardoris sensus tot queat, nec aliud ipsos tunc tẽporis manifestè lædat, nisi à veluti simplici quouis alio vulnere illatus dolor, prætcrea cum præceptũ sit Galeni lib. 13. meth. oportere nedum in deleterijs alijs, sed etiã in omni venenatarum ferarũ morsu qualitates manifestas, quas in demorsis corporibus inferunt perpendere, & eas contrarijs præsidijs curare, modò si quis diligenter ea remedia perpenderit, quę ab ipso Galen. & alijs ferè omnib. in demorsis à cane rabido maximè probãtur, illa omnia ficciora esse comperiet; hinc Gal. & ante ipsum Dioscor. cancrorum fluuiatilium cinerẽ, qui exiccatorius est, tum solum, tum magis cum gentiana, & thure lib. 11. simpl. probabat, & AEtius lib. 2. & 6. bitumen iudaicum extollit quod non modò hydrophobiam arcere, sed quos timor iamprimùm inuaserit aquæ, ẽt sanare inquit, ab alijs alia plurima proponũtur, vt allium, centauræa minor, aristolochia, scordium, chamedrys, quibus omnibus non parua exiccandi vis inest; Tandem cum virulentia hęc si vllam principum partiũ occupet, ea cerebrũ sit, quod semper humidũ sui natura est, non erit præter rationem existimare, & illam humidã esse; cur aũt cerebro plus negocij, quàm cordi facessat pernicies ista, pręter aquę metum, abiectionem, męroremq; animi, cuius propriũ domicilium in cerebri substantia residere medicorum omnium consensus est, ratio quoq; afferri potest, quandoquidem cum venenum hoc à rabiẽtis animalis ore proficiscatur cerebrum à noxijs excrementis præsertim per os expurgatur, & cerebri excrementa semper à prædominio pituitosa sunt, vnde Diosc. lib. 6. c. 39. à rabido cane largã, spumãtemq; pituitam naribus, & ore proijci testatus est, hæc aũt excrementa cum corruptelam, ac venenositatẽ in canis corpore conceperint, dum morsu homini cõicantur, conuertũt, quicquid tangunt, quod dispositũ, aptumq; sit in sui naturam mutari, sed cum in habentibus symboleitatem facilior fiat transmutatio, rationi consonum est vt non spirituosam substantiam, neq; calidiores, & tenuiores humores quemadmodum in aspidũ, viperarum, & similium animalium virulentia fit, sed potius pituitosum sanguinem, tanquam sibi similem succum inuadant, & lensim inficiãt, cum autem cor biliosо potiùs, & puriore alatur sanguine, & omnium membrorum sit robustissimum, cerebrum contra laxum, molle, & imbecillum sit, vti quod frigidius, humidius, & maximum est, & pituitoso sanguine, eoq. copiosissimo nutriatur, facile est, vt vna cum copioso alimento, ac sanguine pituitoso venenum quoq. in cerebrũ trahatur. &c.


Cur aquam metuant, qui rabie iam manifesta detinentur?
Cap. X X X I.


Oc non in occultam aquę naturam referendum est, quoniam cum ęquè metuāt, si ipsis offerantur iura, vinum, & alia potabilia, ac liquida, ista quoq; necesse esset, vt eandem occultam haberent naturam, quam aqua, quod tamen dicere maximè absurdum est; Duplicem ex alijs superius tetigimus causam, Prior est, quia in hoc veneno affectis totius corporis caliditas, & siccitas habituata sit, & in adscititiam veluti naturam abierit, vnde aquam perhorrescant isti, tanquam eorum aduentitiæ naturæ contrariam; Altera est Petri Salij dicentis ab his aquā, & alia liquida metui, & abhorreri, quia ex illorum assumptione maximè lędantur, quam insignem lęsionē prima vice, qua assumunt, experiuntur maximam ventriculi subuersionē, & internum cruciatum persentientes; Hoc aūt propter veneni peculiarem naturam, & antipathiā ad omnia liquida habentis fieri dixit, per quā ita à liquidis exasperatur, & efferatur, vt inde maiori feritate exultans internas partes sæpiùs perat, ac cruciet; cum itaq. & priori potu iam primam perceperint læsionem, deinceps ex sola ipsius inspectione aut imaginatione odium, & auersio subsequitur propter maximū consensum, quē habet ventriculus cūm rebus, vel visis, vel imaginatis, sępè námq. videmus ob res visas, quæ sunt abominabiles, plerosq; vomitum incurrere, sicuti, & alios ex sola earum imaginatione in eundem incidere; prætereo quod addit Sal. de læsa deglutitione propter aliquā virosam qualitatem, vt hinc difficilius liquida, quàm solida deglutiantur, à rabidis, quandoquidem hoc à ratione alienissimum est, si verò de alia ab ipso allata causa loquamur, hęc certè nonnulla, quę vera sunt cōtinet, quadā tn̄ ex parte suspecta est; nam quod à liquidis assumptis hydrophobici lædantur, quia ab illis venenū magis exasperetur, propter ad ea, quam habet anthipathiam, hoc suspectum facilè redditur, dum quis obijciat, alimenta actu, & aspectu quidem solida, sed tn̄ potestate humidiora, & in quibus plurimus succus liquidus actu cōtinetur, dum primum .n. in ore tenētur, ac manduntur, statim in succum pro maiori parte liquescunt, vt sunt pepones, anguriæ, pruna, & alij horarij fructus, neq; ista tamen hydrophobici auersantur, aut perhorrescunt, neq. ab illis assumptis sensibilem læsionem sentiunt; Ab ijs verò qui caliditatem, & siccitatem in adscititiam naturam commutatam statuunt recedēdum est, quandoquidem, vt superiùs ostensum est; nequaquam calidum, & siccum est huiuscemodi venenum, sed & hac eadem ratione, qui torrido marasmo affecti sunt, omnes aquā, nisi ex pauescerēt saltem abhorrerent in potu, sed nōne diximus etiam hosce non solùm aquā, sed oīa liquida metuere? modò si aquā quia illorum aduentitię naturæ calidę, & siccæ sit contraria, metuūt vinum quod calidum, & siccum est, expauescere non deberent; Prętereunda quoq; esset Actij sententia dicentis hoc cōtingere, quia patētes in aqua rabidi canis imaginē videre imaginentur,

ginentur, cuius speciem recolentes protinus ingenti terrore corripiũtur; necnon ea prætereunda esset opinio, quam alij excogitarunt, dicẽtes à rabie affectis aquam metui, quia propriam speciem, seu faciẽ iratam, & à naturali valdè immutatã intueantur; certè nugantur isti, nam cum rabientes non solùm aquam, sed liquida omnia metuant, multa ex ijs offerri possunt, quę turbida cum sint, nullum imaginis reflexũ admittent, & tñ hæc quoq. perhorrescent rabie detenti. Sed omnium aliorum prætermissa opinione ad Gal. vel authorẽ, quisquis fuerit, libri de Ther. ad Pis. deueniamus, à quo habemus hydrophobicos propter multam siccitatem humidi teneri desiderio, sed à potu abstinere, quia mẽte alienati id quod auxiliari possit, non cõsiderant; Sed iam patet hydrophobicos mente quidem nõ esse alienatos, & si quodammodo in ipsis depranata sit imaginatio, at esto eos mente omninò esse alienatos, cur semper, cur omnes, quamuis à medicis obnoxie rogati aquam non bibunt, sed ipsam detestantur, abominantur, expauescunt? nonne phrænitici, ac maniaci, etiã si mente non constent, ex calido, ac sicco teneantur affectu, nisi semper rogati, saltem interdum bibunt, & potũ nonnunquam expetunt? præterea qua siccitate tenẽtur hydrophobici si multa abundent humiditate, humidi desiderio non tenentur neq; de necessitate sitiunt, neq; tandem ipsis aqua vllum potest afferre auxilium, sed si ex Gal. mẽte afferebat auxilium aqua cur ipsam aut interiùs, aut exteriùs nunquam proposuit? non proposuit, dices, quia illam nimis expauescunt ægri, hoc verissimum est, dum principẽ partem, nempè cerebrum, occupauit venenum, ac suas vires prodidit, sed dũ latitat, cur saltem ad præseruationem non proposuit Gal. cum calido, & sicco affectui secundum ambas qualitates mirificè aduersetur? hoc certè, & si quid aliud, non esse Gal. legitimum librũ illum, prodit. Cæterùm cum iam in longius excreuerit problemma, decernẽdum est, quòd superiùs sancitum fuit, caninum virus substantia corruptũ, viscidum, atq. temperatura humidissimum esse, & ideo rabientes omnia liquida, quę sola actu humida sunt, abominari, atq. expauescere, quoniã virus sui natura humidissimum fouere, & adaugere valent, hoc aũt vlterius confirmatur, si duo ab omnib. recepta, ac veluti fundamẽta supponamus, quorum vnum est circa ventriculi appetitum, alterum verò circa mutuum ventriculi, ac cerebri consensum; & quoad ventriculi spectat appetentiam, omnes sciunt, (& est Gal. præceptum lib. de arte parua) quod ille, dum naturaliter constitutus est, similia appetit, & contraria respuit, ita dum præter naturam se habet, ea, quæ proprijs vitijs contraria sunt, expetit, tanquam eorũ medicamina, ea verò, quæ eosdẽ affectus præter naturã fouere, & augere possunt, abhorret, & aufugit; exẽplo sint prægnãtes, quæ interdũ abhorrẽt alimenta sui natura optima, & alia praua, ac vitiosa appetũt, neq. ab eis lædũtur, quia prauos, & corruptos humores in ventriculo, ac potissimùm circa os superius illius existentes cõtraria qualitate frangunt, discutiunt, edomant, vnde & optimè cõsuluit

Auic. de Pica tractans, vt hæc alioquin absurda ab ijs expetita, aliqua ex parte concedantur, quia ab ipsis mirum in modum iuuantur, sicut ab his, quæ fastidiunt, adeò nonnunquam læduntur prægnantes; vt ex sola horum oblatione in animi defectum incidant; Mutuum verò cerebri, ac ventriculi consensum 3. de loc. aff. c. 7. declarauit Gal. nam cerebrum (scripsit ille) ventriculo, & ventriculus cerebro suas affectiones transmittit, idq; propter neruorũ à cerebro ad os ventriculi descendentium magnitudinem, propter quos etiam sensus huic particulæ, quàm vlli reliquarum corporis partiũ acutior est; Hoc igitur stante cum summis tum medicis, tum philosophis in confesso sit, & ab humoribus, & omninò à corporis temperatura animæ actiones alterari, quis miretur r. bientes quoq; à corrupta, insigniq; humiditate penes eiusdem cerebri substant. ã obsessos, cuius vi, & os ipsum ventriculi compatiens maximè subuertitur, ac resupinatur, aquam, & omnia liquida, quæ actu illam humiditatem fouere, & augere possunt, adeò perhorrescere? Hinc dicebat doctissimus Rud. constare experientia, quod hydrophobici, si sæpiùs liquida deglutire cogantur, aut eadem ipsis sæpiùs offerãtur, maximam noxam incurrunt, vnde non parum hallucinati sunt ex antiquioribus, qui ea, à quibus maximè iuuarentur, ipsos auersari putarunt, & hęc proposito problẽmati satisfaciant, prout ex manifestis qualitatibus hau rire, ac probabiliter veritatẽ ostendere licuit, nam & ante oculos nobis quoq; hujus veneni proprietatem proponimus, tanquam huius rei certiorem, sed abditam causam, vnde fortasse ex doctiss. Simonio nr̃o (referente Merẽda) tutius fuisset hic sobriè philosophari quàm velle id scire, quod demonstrari nequit, nàm sua veneno canis, vt & veneno phalãgij atq; aliorũ peculiaris est proprietas. Hęc sunt ea, quę veluti cũalij; sceeutiens scripsi, antequã veniret ad manus eruditiss. excellentiss. Arom. opus de rabie contagiosa, quo perspecto subsequens caput adnexi.

Quod senserit Author circa superius problemma perlecto Excellentissimi Aromatarij opere. Cap. XXXII.


Profectò ex noui operis, operis verè aurei lectione, non secus ac à Sole nocturnæ tenebræ fugantur, tenebris intellectus fugatis, atq; dissipatis, facilior nobis est aditus ad indagandã supracit. problẽmatis causam, & hanc non ex occultis, sed manifestis huiusce veneni qualitatibus, ad quã maximè facit opinio Excellenti. Aromat. quã in superioribus tetigimus, ille .n. in elaboratissimo tractatu de Rabie contagiosa optimè cõmonstrat rabiem esse quandam anginæ speciem qua in angina, vel larinx afficiatur, vel æsophagus phlegmate repleatur, vti facillimè (inquit ipse) per sectionẽ patere potest, Huic sanè opinioni, quæ pluribus, ijsq; doctissimis rationibus, ac tandẽ experientię optimę rerum magistrę innititur, ego omnino subscribo; at dum de rabidorum aquæ metu pertractat in hoc ab excellentissimo viro fortè quadantenus recedere cogar, non .n. ob im-

minens

minens dumtaxat ſtrangulationis periculum; potabilium metu affici rabidos exiſtimare, namq. ſi hoc eſſet, poſſent auerſare quemcunq. potum, & à liquidis abſtinere, non tñ tanto terrore affici ab eorundē aſpectu, nam quemadmodum plures ab angina non contagioſa correpti liquida deglutire abſq. ſtrangulationis periculo nequaquam poſſunt, & tñ illorum aſpectum minimè formidant, ſic & in rabidis idem contingere poſſet, & præſertim ijs, qui mente conſtant, cum rabidorũ nonnullos mente non alienari arbitrentur doctiſſimi viri. Attamen cum omnes, quos iam progreſſa rabies occupat, hoc metu affici certiores ſimus, alia inueſtigãda eſt cauſa, nec meo iudicio (quod pace tanti viri dixiſſe volo) reſponſio, quam cuidã tacitę obiectioni dedit excellentiſs. Aromat. dubietatē prorſus tollere videtur, ſic in 8. partic. 4. par. ſcribit excellentiſs. Dominus meus " Nec inſtet aliquis ex hoc, quod quandoq. accidat rabidos ex aquæ intuitu lædi primò, quàm ex ipſa potatione, id etenim, & nos quoq. ſcimus ab Aureliano, & Caſsio confirmatum quibus aſſentimur; Huic obiectioni reſpõſio excellentiſs. viri duplex eſt, vtramq. affero; prior eſt, " Sed addimus id ob aliã cauſam contingere, ob nimiam ſcilicet diſgregationem iam ægrotantis oculi factã a rebus lucidis; Altera verò hęc eſt; " A viſione citiùs, & fortiùs immaginationem commoueri; Quoad hanc ſpectat, & nos veriſsimum eſſe dicimus à viſione citiùs, & fortiùs imaginationē cõmoueri, ſed ſi ſupponamus rabidum non adhuc expertum eſſe à potu periculum ſtrangulationis, quomodo ab aſpectu potabiliũ ad id periculum formidandum commoueatur immaginatio? non eſt vt dicamus rabidos terreri à potulentis ptopter dolorem, quem perſentiant in faucibus ita vt pertimeſcant à potu ipſum adauctũ iri, hoc .n. & de eſculentis quoq. contingere par eſſet, nec tñ cõtingit, pręterquamquod, rabidi de nullo conquerantur dolore circa illas partes, vti etiã confirmat excellentſs. Aromat. part. vlt. par. 4. dum nobis rationes inſinuat, ob quas non conquerantur rabidi de prędicto dolore, cum cynanchici, ſeu anginoſi ſint; Quoad alteram verò reſponſionem pertinet, neq. hanc propoſitæ obiectioni omninò ſatisfacere arbitramur, nam ſi quæcunq. liquida perhorrheſcat rabidus, quid huc ſpectat ægrotantis oculi diſgregatio, quã lucida excitant? vina rubra, & nigricantia, à quibus potius cõgregatio, quàm diſgregatio fit, non ſecus ac aquam reformidant ægri; præterea ſi ab aquæ ſonitu, non dicam viſu, & à nomine perterreantur rabidi (nam & excellentiſs. quoq. vir par. 5. partic. 5. ſonum, & nomen aquę fugiēda eſſe docet) quo ad diſgregationem perſpicuitate, vel luciditate inductã confugiamus? Ego in ſuperiori cap. huius aquę ſeu liquidorum metus cauſam reijeci tum in manifeſtam, tum in occultam qualitatē, in præſentia occultã ſilētio inuoluo, manifeſtã verò tetigiſſe viſus eſt quoquo modo excell. Arom. p. 4. parti. 2. dum primum affert modũ, quo potus impedire poteſt in hydrophobicis, etiam ſi ille hanc cauſam ad potus impedimentũ, non ad metũ afferat, eamq. ibi, vel quoad impedimentũ

respuat;& causa hæc est rõne abominationis,quę põt(inquit ipse) progigni,vel ab intensa humida qualitate stomachũ alterãte,vel à frigida, humidaq.materia ipsum occupante,hæc tandem verba mihi dederunt ansam olfaciendi,quam puto huiusce motus esse veriorem causam;sed antequam ipsam in medium adducam, mihi nonnulla liceat crassa minerua ratiocinari,eaq. tanquam fundamẽta iacere,super quibus meam sententiam construam. Ego in superiotibus iam explicaui rabiem dependere à contagioso veneno,eoq.humidissimo,quod etiam si per inspiratum trahatur, nihilominus vt plurimum per spumã à rabido animali,vel morsu,vel al'ter impertitam communicatur,modò hæc spuma siue spumosa excremẽta pituitæ naturam redolent, pituitæ aũt metropolis cerebrum est,quare & ab hoc veneno cerebrũ noxam incurrere non sine ratione statuerunt doctissimi in re medica viri,hinc magis in dies labefactato cerebro,adauctaq.maligna materia vicinioribus partibus communicatur noxa,& præsertim ijs,per quas expurgari cerebrũ solet,ita vt mirum non sit,si fauces,æsophagus,& larynx hac humidiori,viscidiori,contagiosaq.materia repleantur,quæ dum in illis partibus stabulatur,magnum strangulationis periculum excitat, & tunc nõ latitans amplius,sed rabies manifesta dici promeretur ; His ita sese habentibus,mirum non erit,si tanto ab aqua, cæterisq.liquidis,metu angantur rabidi,etiam si ipsa potare non cogãtur,sed dumtaxat ijs visis, vel etiam,quod magis est,eorundem sonitu,aut nomine auditis.hęc.n. quocunq. modo percepta non solùm imaginationem mouent ad reflectendam se ipsam super strangulationis periculo,& proinde ad timorẽ adaugendum , quemadmodum rectè sensit excellẽtissimus Aromatarius,verùm etiam,cum actu liquida sint, & humida, humidiorẽ materiam in faucibus contentam propter sympathiam ; quam actu humida habent,commouent,& exagitant, qua commota, & agitata periculum strangulationis intenditur,& ita maior metus incutitur , imò tantus imaginationi repræsentatur metus,vt ipsa imaginatio circa hoc strangulationis phanthasma deprauetur , ex vehementi enim atq; terrifico phantasmate imaginationem corrumpi, seu deprauari posse nõ est,qui neget,hinc à tenebricoso phantasmate melancholia induci scripsit doctissimus Capiuaccius, & hoc quod de sympathia fertur, ex eo facilè confirmatur,quia in alijs anginis non cõtagiosis nequaquam hic aquę metus insurgit,cum materia easdem producens ita insigni humiditate non excellat;nec me quid nimis,& vltra credulitatem dixisse,fortè miretur aliquis,quandoquidem si legerit esse medicorũ preceptum,quod pueri,quibus erumpunt variolæ,cooperiantur pannis rubro colore infectis,& hoc non ob aliam causam,nisi quia à rubro pannorum colore sanguis variolas efficiens faciliùs promoueatur, & ad cutim, vt ita dixerim, alliciatur, proculdubio cessabit admiratio, nam si tanta vis, ac sympathia est in solo colore , vt qui ab internis partibus ad externas sanguinem prolicere ac veluti trahere posit,quantò magis credendũ

erit


erit hanc vim, atq. sympathiam commouendi humores reperiri posse in vna ex primis qualitatibus? Remanet tandem, vt quædã diluatur contrarietas inter authores de rabie conscribentes, si quidẽ in hydrophobia, alij mente alienatos esse volunt ęgrotantes, alij verò eosdẽ mente interdum cõstare scribunt, quod postremum ijs aduersari videtur, quę c.27. prolata fuerunt, asserentibus nobis hydrophobiã inter melancholiæ species reponi, & idcircò aliquam ex principibus actionibus in ea depravatam existere; Respondetur melãcholiam (quod & eo loci iam tetigimus) dupliciter considerari, vel quatenus in ea non vna princeps actio, sed plures deprauantur, vel quatenus vnica tantùm deprauatur, nempè imaginatio, & hęc rursus, vel circa plura obiecta, seu phantasmata, vel circa vnicum dumtaxat obiectum, & quod de melancholia dicimus idem ad hydrophobiam coarctare possumus; modo, qui hydrophobicos mente constare aiunt, intelligunt de ijs, in quibus non plures principes actiones, sed imaginatio sola, & hæc circa vnicum dũtaxat obiectum deprauata est, nempè circa aquę metum, quare cum illi in nullis alijs rebus à ratione sint deuij; mirũ non est, si hos mente constare, reliquos verò, qui pluribus in rebus aberrant mẽte alienatos esse ab authoribus statutum fuerit, ita vt priores non simpliciter quidem, & absolutè, sed respectiuè ad hos postremos, mente cõstare à scriptoribus intelligi nos arbitrari debeamus; hic finis esto problemati, in quo plurima, qui dissona sunt, & erronea, omnia mea sunt, si verò quid recti fortè inerit, id totum excellentiss. Aromatario me debere profiteor. &c.

Cur ex Auicenna à rabido cane demorsorum salus desperanda non sit, etiam si aquam metuant, dummodò in speculo se ipsos cognouerint? Cap. XXXIII.

HOC testatus est Auicennas lib.4. fen.6. tr.4. c.9. his verbis Et quando peruenit esse suum ad timorẽ aquæ, tunc tu non paueas iterum, dum non fit talis, vt non cognoscat faciem suam in speculo, & hoc idem ex ipsomet Auicẽna describit Rud. lib.4. de morb. occult. & ven. c.13. Iam statutum est huiusce modi venenum cerebrum inuadere, quare si hoc verũ sit, quod Auic. profert, non aliunde fieri potest, nisi quia virus non adhuc omninò caput occupauit, nec cerebri substantiam insigniter labefactauit, quod inde patet, quia facultas animalis cognoscens prorsus læsa non apparet; Refert tñ Rud. hoc se falsum deprehendisse, cum contemplandũ speculum hydrophobia laborantibus ipse proprijs manibus obtulerit, qui licèt se ipsos probè cognouerint, nihilominus perierẽ; & Rud. Gal. sententia adstipulatur in 3 de morb. vulg. com.3. partic.75. hã à rabidis canibus morsos, vbi illis aquę formidò incesserit, breui postea mori scripsit; Sed Rud. respondere possumus non omnes habere easdem vires æquè validas, ac æquè robustas, alius n. ob vires validas vel vehementẽ superauerint

uerit morbum,quem vel mitiorē ob vires imbecillas alius minimè superare poterit,ita vt,quem Rud.curabat,etiam si propriam faciem in speculo cognouerit ob imbecilliores vires fortè perierit, ad Gal. verò sententiam dicimus,ipsam intelligēdam esse de ijs,quibus nulla adhibentur remedia,vel congrua non fuerint adhibita,vel vbi iam omninò completa,& adaucta erit rabies,qualis in ijs,qui in speculo respiciētes se ipsos non agnoscunt; Hinc ex Auicenna nonnulli hydrophobici sanitati restitui poterunt,& inter cæteros illi,qui in speculo propriam faciem agnoscunt, ita vt eis non omninò salutis spes desit,quemadmodum illis,qui se non agnoscunt,quoniam in se ipsos agnoscentibus affectio ista,quam parit caninū virus non adhuc completa sit, & vndiq. perfecta, sed adhuc aliqua ex parte sit in fieri, nam cum affectio fit, & nondum facta est,breuiter(vt ad litteram Gal.habet in 1.Prorhet.com. 2.part.17.)separata efficiente ipsam causa sedatur,si verò completa ea fuerit, etiam si vacuata fuerint,quæ affectionē procreauerint humida, nihil in sanationis ratione amplius existit;sed quod à rabido cane cōmorsi,etiam si in aquæ formidinem deuenerint,sanari possint,non omninò desperandū est,ad quid .n. Gal.2.de Antid.c.vlt.ad hanc affectionem superandam remedia proponeret,si prorsus insanabilis esset affectio? certè frustra;imò ipse lib.1. de compos.med. per gen.c.16. asserit, se certò sanans medicamentum habere ex cancris confectùm , vnde lib.11.de simpl. med. fac. nullum vnquam eorum, qui illo fuerint vsi, mortuum esse testatur ; Sententiam igitur Auicennę veritati consonam esse manifestum apparet. &c.

An melancholia sit morbus hæreditarius ? Cap. XXXIV.



Pud neminem,quem ego perlegerim melancholiā esse morbum hæreditarium inueni, & iure merito , nam hæreditarij morbi partem viuentem,quam obsident (vt exempli gratia articulos pedum podagra, pulmonem phtisis) eandem in parentibus ægrotorum vehementer affectam fuisse supponunt,vnde ab ijs nati eadem parte imbecilles geniti fuerint, sed nullā ex necessitate viuentem partem vehementer afficit melancholia, nam sat est ad hāc constituendam spiritus animales denigrari, & si sæpè ratione materiæ denigrantis substantia cerebri intemperie, remissa tn̄ afficiatur, nàm si vehemēs esset,quomodo tandiù cerebrum cum ea absq.grauiori morbo posset existere ? quomodoq. tamdiù naturales actiones veluti incolumes seruare posset? hinc Alexand Aphrod. probl. 28. lib.2. melancholicos,& si non animi,naturę tn̄ munia exequi valere scripsit, Modò cum ad constituędam melancholiam spiritus animales præcipuè afficiantur,hi nullo pacto viuētes sunt,neq.sanguine, quemadmodum viuentes partes,nutriuntur,ergo nequeunt esse in causa alicuius hęreditarij morbi;quandoquidem nulla alia de causa parentum morbos hæreditant

reditant nati, nisi quia ex parentum vitiatio femine constant, quod ex vitiato sanguine fit; hinc Galenus hæreditariæ podagræ causam in patrum, & auorum vitiatum semen retulit lib. 6. aph. 28. quod semen Hippocrates ab omnibus corporis partibus decidere existimauit, & quamuis re vera ex omnibus corporis partibus non decidat, sanguis tamen, ex quo generatur semen, ab omnibus corporis partibus prodit, residuum est enim alimenti totius corporis, vnde Aristoteles semen vltimi alimenti vtile excrementum esse testatus est, cum igitur morbosum parentum semen ex residuo sanguinis, qui ad partem illorum affectam alendam destinatus erat, & qui proinde illam in se veluti impressam labem suscepit, genitum fuerit, mirum non est, vt Galenus subdit, si filijs vehementiorem fecerint partium imbecillitatem; sed hic aliquis obiiciat, homines interdum non patrum (hi enim nullo eius generis morbo laborarunt) sed auorum, ac aliorum consanguineorum morbos hæreditare, neque tamen ab his geniti sunt; Respondetur illorum consanguineorum atque auorum morbos ad nepotes transcendisse mediantibus patribus, qui non secus ac nati imbecilla aliqua parte geniti sunt, eos tamen hæreditarii morbi non afflixerunt, nam quemadmodum ex Galeno lib. cit. podagra, quæ & ipsa est hæreditarius morbus, fieri non potest ex sola partium ad patiendum habilitate, nisi humores superabundauerint, ita in his etiam si adesset imbecillarum partium habilitas, humores tamen, copia, aut qualitate non peccarunt, quæ humorum vitia in nepotibus locum habuerunt, vnde mirum non fuerit, si existente materia, atque disposita parte postmodum hæreditarii morbi suborti sint: Cæterum melancholiam non esse hæreditarium morbum ex eo monstrari posse videtur quod ab hominibus mente alienatis, ac melancholico delirio subiectis sapientissimi procreentur filii; hinc lib. 1. problem. 28. cur plerique stulti liberos prudentissimos procreent, examinauit Alexander Aphrod. sed re vera stulti, de quibus loquitur Alexander, valdè differunt à melancholicis, vnde ex alia parte si Hippocrati credimus lib. de sacro morbo, ait, ipsum, veluti & alios morbos, secundum genus incipere, quare si dicat Hippocrates non solùm morbum sacrum, sed & alios morbos incipere secundum genus, quis non videt, & melancholiam inter hæreditarios morbos reponi posse? imò si (vt Hippocrates addit) ex pituitoso pituitosus, & ex bilioso biliosus gignitur, cur non addere possumus, & ex melancholico melancholicum gigni? Tandem Hippocrates lib. 2. prædict. de nonnullis morbis loquens, ait, quod qui illos hæreditarios habuerit ægrè sanabitur, quare, & vice versa valet consequentia, quod qui ægrè sanantur morbos habent hæreditarios, sed melancholia ægrè sanatur, ergò morbus hæreditarius

N est;

eſt; Neganda tamen eſt conſequentia iſta, nam valet hæc propoſitio, morbus hæreditarius ægrè ſanatur, non valet tamen altera, morbus, qui ægrè ſanatur eſt hæreditarius, quandoquidem plures morbi, etiam ſi hæreditarii non ſint, ægrè ſanantur, ob craſſitiem, atque reſiſtentiam materiæ, ex qua efficiuntur; quoad Hyppocratis verò ſententiam ex lib. de ſacro morbo attinet, certè liber ille non eſt genuinus Hippocratis nihilominus ſi authori aliqua fides eſt habenda, poſſumus dicere non eſſe inconueniens, quod & melancholia interdum poſſit eſſe morbus hæreditarius, ſed rariſſimè, qua de cauſa mirum non eſt, ſi de hoc à medicinæ ſcriptoribus nulla facta fuerit mentio; tandem quod ex pituitoſo pituitoſus, & ex bilioſo bilioſus naſcatur, ſic & ex melancholico melancholicus veriſſimum eſt, ſed per pituitoſum, ac bilioſum intelligere debemus non hominem pituitoſo, vel bilioſo morbo detentū, ſed tali totius corporis temperemēto prędi tum, quod & de melancholico quoq. intelligendum eſt, imò melancholici morboſi cum ſint macilenti valdè, ac ferè ſemper in propriis cogitationibus fixi, cumq. crudis ſuccis, atq. flatibus plurimum abundent, hinc pauco ſemine donati ſunt, eoq. ſpiritibus, ac naturali calore exhauſto flatibus turgido, ac excrementitiis ſeroſitatibus referto, quare cum filios non generent, ac infęcundi ſint, quę poterunt ab eis hæreditarii morbi, aut ad hæreditarios morbos diſpoſitiones inſurgere? Tandem ex Auic. nō omnes morbos hęreditarios eſſe, ſed aliquot tantùm colligimus, nàm lib 1. fen. 2. doct. 2. c. 8. hęc profert," Et ſunt ægritudinum quædam, quę in ſemine hęreditátur, ſicut vitiligo alba, tinea, podagra, phtiſis, & lepra; quare nec apud eum inter hęreditarios morbos melancholiam recenſeri videre eſt, &c.

An pueri melancholiam pati poſſint, vel potius, an eſſe poſſint melancholici morboſi à natiuitate? Cap. XXXV.



ES ſané ardua, & à nemine, quem ipſe viderim, hactenus determinata, imò nec diſputata, quid ergo poſſit ingenii mei tenuitas in his intimioribus medicinę penetralibus perquirēdis? neceſſe eſt, vt ipſa veluti cęcutiens toto cœlo aberret, ſed aliis ſaltē altiùs philoſophandi, ac ſublimia edendi anſam prębuerit, & mihi in arduis voluiſſe ſat erit; Cęterùm ne verſemur in æquiuocis, duo, vt ſępè me edocuit, doctiſs. vir Benedictus Syluaticus perilluſtris Eques, ac nobilis Patauinus ſunt præaccipienda pro clariori huius quæſtiunculæ dilucidatione; Primum eſt melancholiæ nomen dupliciter accipi communiter, & propriè, communiter acceptum comprehendit quemlibet actionum principum receſſum à naturali ſtatu, cui nec febris ſit adnexa, per quā diſtinguitur à phręnitide nec furor aſſociatus, per quem à

mani. feiugitur, in qua ampla significatione accipitur à Saxonia in suo tracta de melancholia, vbi sub melancholia vaticinium, furorem poeticum, coream Sãcti Viti, fatuitaté, amentiã, & similes affectus comprę-hẽdit, quorum aliqui sunt actiones imminutæ, vel deperditæ vt fatuitas, & amentia, & sic non referendi inter deliria, alii non fiunt à causis manifestis, vel neque à causis naturalibus, ac tandem alij non sunt affectus morbosi; Propriè sumptum illam delirii speciem significat, quæ sine febre, & sine furore iunctum habet timorem, & mærorem, qui diù duret, de qua Hippoc. 7. aph. 42. hæc protulit," Si timor, atq. mæstitia hominẽ habentes longo tempore perseuerauerint, tale est melancholicum, & de hac nos in præsenti loquimur; Secundum præaccipiendum est, me-lancholiam morbosam à naturæ primordiis cõtractam dupliciter intel-ligi posse, actu, & potentia, potentia quidem, quando quispiam actu nõ delirat, sed tale membrorum principalium temperamentum sortitus est à naturę primordiis, vt in adultiori ętate delirare valeat, eo prorsus modo, quo filii hęreditariam patiuntur arthritidem, quamquam in primis annis actuali arthritide non afficiantur; actu verò quando infantes melancholia morbosa detinentur, de qua actuali melãcholica passione, primò, ac pręcipuè intelligendus est quęstiunculę titulus, cum pręsertim hi, non illi, morbosam melancholiam patiantur, illi verò solummodò dispositionem habeant ad huiuscemodi affectionem; His igitur ita pręassumptis plures pro negatiua parte rationes adduci possunt, inter quas prima hæc erit; Vnus & idem affectus non potest esse naturalis, & pręter naturam, sed affectus contracti à naturæ primordiis sunt naturales, quia dependent à principiis naturalibus, melancholia est affectus pręternaturam, cum sit actio princeps deprauata, ergo non contrahitur à naturæ primordiis; Secunda vbi nõ est delirium, ibi non est melancholia morbosa, sed in infantia nullum apparet delirium, est .n delirium princeps actio deprauata, in infantia autem principes facultates non deueniunt in actum secundum, quandoquidem pueri destituuntur vsu rationis operantes per solam imaginationem ad instar brutorum, vt potè qui (sicut dicebat Arist. 11. sect. problem. 60.) non secus ac bestiæ suas exprimant affectiones, ergo nec melãcholiæ morbosæ subiici possunt, Tertia ratio à simili desumi potest, nimirũm quemadmodum somnia fiunt ab imaginatione mota, ita & melãcholia, sed somnia non fiũt, in pueris teste Arist. lib. 4. de Hist. anim. c. 10. ad finem dicente, " Editis nuper in lucem, & infantibus adhuc nullum penitus contrahitur somnium, sed plurimis anno circiterquarto aut quinto ætatis visa incipiũt, ergo neq. melancholia, fiet in pueris; Quarta ratio est hęc omnia symptomata sequuntur morbum, vt vmbra corpus ex Gal. pluries, ergo stare non possunt sine morbo, à quo dependent, sed morbus melancholicũ

N 2 deli-

delirium causans, contrahi nō pōt, à naturę primordiis, quia est frigidus, & siccus à materia melancholica dependens ex Gal. 1. de caus. sympt. c.7.& puerile temperamentum ex sui natura est calidum, & humidum (qui.n.crescunt plurimo abundant calido innato)& percōsequens è directo contrariū melancholico, ergo neq. melancholicū deliriū cōtrahi potest à nature primordiis; Quintam tandem addo: Affectus contracti à naturę primordiis debent esse proportionati nostrę generationis principiis, at melancholia nunquam est huiusmodi, ergo nunquam contracta à naturæ primordiis, maior clara ex se est, nam cum omnes morbi ad duas genericas differentias reducantur, videlicet ad connaturales, & adscititios, sicuti adscititii proportionem, & conuenientiam habere debent cum causis superuenientibus à quibus producuntur ita connaturales cum causis connaturalibus, minor inde probatur, quia generationis principia sunt duo, semen & sanguis menstruus ex Galeno 1. aph. 14. neutrum tamen melancholiæ naturam redolens, quia melancholia est humor frigidus, illi verò humores calidi, ergo melancholia non est humor proportionatus nostrę generationis principiis. Hę sunt potiores rationes, quas pro negatiua parte adduci posse existimaui, quibus tamen non obstantibus in affirmatiuam partem suscipiendam inclinat animus, nempè melancholia morbosa hominem affici posse à natiuitate, quam opinionem rationibus confirmare conabor, & Primò, Timor, & mæstitia est signum melancholicum; sed est vt aliquis à naturæ primordiis deterreri possit ex quolibet oblato phantasmate, indeque mærere, & lugere, ergo & melancholia morbosa detineri; Accedit secundò illum à naturæ primordiis ęgrotare posse, qui contrahit morbos hęreditarios, sic Hippocrates in lib. de sacro morbo scripsit ex pituitosis gigni pituitosos, ex biliosis biliosos, & sic nos addere possumus ex melancholicis melancholicos, & in lib. de Aere, aq. & loc. subiunxit ex macrocephalis fieri macrocephalos, ex arthriticis, arthriticos; sed sic est, quod melancholia morbosa potest esse hęreditaria, ergo afficiet à naturę primordiis, minor probatur, morbus ille est hęreditarius, quem contrahimus vel ex sanguine menstruo (Mulieris enim natura vim habet plurimam ad immutandum in melius, vel in deterius rationem conceptus ex Aristotele 4 de generat. animal.) vel à semine genito ex sanguine à singulis particulis tanquam superfluo ad testes transmisso, prius tamen caractherizato paternis vitiis intemperiei, figurę, situs, & similium, dum à particularum temperamento, & modo substantię conuertebatur in temperamentum, & naturam membri nutriendi, sed melancholiam morbosam contrahere possumus vel ex sanguine menstruo melancholico, vel à semine morboso conformante singulas particulas, vel ab vtroque, ergo

go poteſt eſſe hęreditaria, nec aliquis me palinodiam cecinisse opinenetur, cum ſuperiori quęſtiuncula non eſse hęreditarium morbum melancholiā ſtatuiſse videar, nam & ipſam quamuis rariſſimè, hereditariam eſse poſse non negaui, ita vt & in pręſentia dum de iis, quę non frequenter, ſed quę rariſſimè fiunt, agatur, non ſit inconueniens, & illis, quę rarò eueniunt inniti; Tertiò ex puerorū parte eos facillimè incidere poſse in deliria melancholica argumentari poſsumus, nam tunc adeſt delirium, quando imaginationis vitia non corriguntur à ratione, eritque melancholicum, ſi cum ti more, & mœrore: ſed imaginationis vitia in pueris nondum rationis vſum habentibus à ratione corrigi non poſsunt, vt propterea ex Ariſtotele omnes homines patres exiſtiment, omnes mulieres matres, & omne terrificum etiam fictitium pertimeſcant, ergo pueri omnium facillimè incidere poſsunt in prędictum delirium; Quartò, Actuale delirium melancholicum conſequitur tenebroſitatem ſpirituum animalium, ſed in pueris facile obtenebrari poſsunt ſpiritus animales à craſſis vaporibus propter corruptionem lactis, & in adultioribus propter voracitatem, cruditates inordinatoſque, ac frequentes tum corporis, tum animi motus, adde quod & facilè in externis tenebris expaueſcunt, ergo facilè in melancholiam morboſam incident; Quintò & à ſimili argumentari poſsumus, nam ſi à natiuitate ſtulticia contingit, in qua principes actiones deprauatę cernuntur, cur non & melancholia à natiuitate contingat, & eò magis, quo in timorem, ac proinde mœrorem, ſuapte natura proni ſunt pueri? nec de ſtultis à natiuitate dubitemus, quandoquidem apud vulgus in prouerbio eſt, quod qui ſtulti naſcuntur, nunquam ſanantur; præterea Ludouicus Mercatus vir doctiſſimus habet in 3. lib. primi tomi quæſt. 18o. ſtultitiam eſse ſymptoma in actione deprauata ſimul, & imminuta, ſiquidem ſtultus parùm, et male iudicat, et maiori ex parte vitium eſse naturæ potiùs, quàm cauſæ morbificę ſcripſit; Sextò denique & authoritate Ariſtotelis hanc ſententiam confirmare poſsumus, qui in lib de Prędicam. cap. 4. propè medium confeſsus eſt, iram, amentiam, mentis alienationem, & ſimilia mox in naſcendo fieri, atque paucisſimis interiectis verbis, ait," Similiter, autem, & quæcunque alienationes non naturales &c. ſupponit enim (vt diximus) adeſse mentis alienationes connaturales, ſeu à natiuitate. His igitur, ac ſimilibus rationibus adductus hominem à naturæ primordijs melancholia morboſa affici poſſe exiſtimo, neque rationes in contrarium adductæ inſolubiles erunt, ad primam enim reſpondendum eſt, affectū eſſe naturalem dupliciter contingere, vel ratione principiorum, vel ratione operationum, affectus morboſi contracti à naturæ primordijs ſunt quidem naturales ratione principiorum, non propterea repugnat,

quod

quod sint morbosi ratione læsionis operationum, & sic secundum diuersam considerationem erunt naturales, ac præter naturam; Ad secundam distinguendum est de facultatibus principibus, sunt enim in triplici differentia ex philosophis, imaginatrix, ratiocinatrix, & memoratrix, vt omittam in præsentia sensum communem, tanquam potentiam magis participantem sensuum externorum, vtpote quæ operatur tantùm præsentibus externis obiectis, nec speciebus receptis subnotiones addere potest, ex tribus autem potentiis principibus duas habent infantes in sola potentia quoad operationes, nempe rationem, & quoquo pacto etiam memoriam, ideo secundū has delirare nō possunt, aliqua tñ imaginationis officia actu exercere valent, & pręsertim subnotiones addere, iudicātes obiecta, vt sibi cōsentanea, vel aduersa, quare & decipi possunt in hoc ferendo iudicio, & sic delirare, & præsertim secundum Galenum, qui admittit delirium melancholicū solius imaginationis quemadmodum exemplificauit de Theophilo Medico credente adesse tibicines in conclaui, ac propterea ipsos eiiciendos præcipiente, hanc tñ delirii speciem licét in pueris admittendam censeam, cum careant vsu rationis, in adultis nihilominus existimo etiam in hac delirii speciee adesse lapsum aliquem rationis dum huic deprauatæ imaginationi assentiuntur, quam ratione duce corrigere debuissent, sed de hac refusiùs in initio huius operis disputatum est, Quod si quispiam ex dictis inferat, ergo & bruta delirare, cum & ipsa vtantur imaginatrice facultate; Respondetur, subnotiones, quæ fiunt à brutis, fieri potius per istinctū naturæ, quàm per imaginationis opera, nam ouis auersatur lupum, vt hostem per naturalem antipathiam, propterea brutis delirium non competit; & si quis addat vlteriùs in infantibus discerni non posse prædictum delirium, quoniam non loquuntur, sciat sat esse has animi perturbationes timorem scilicet, & mœrorem continuum ad detegendam melancholiam, duplex enim est melancholia, incipiens, & progressa, in incipiente non loquuntur extranea, neque adulti, sed tantum imaginantur & cogitant extranea continuòque timent, & mærentur; at in confirmata loquuntur etiam, & operantur extranea; ad tertiam dicimus somnia in infantibus, ac pueris ante quartum annum non esse manifesta, cum ipsi non loquentes, vel ignari, etiam si loquantur, ea referre nesciant, & de his intelligendum esse Aristotelem, nam obscura, & quodammodo occulta in ipsis fieri non est negandum, cum eos somno inuolutos interdum moueri, gemere, concuti, ac veluti expauescí, imò & interdum loqui obseruemus, quę omnia à spectris, ac phantasmatibus imaginationi oblatis prouenire minimè dubium est; Ad quartam denique respondetur puerile temperamentum vel esse salubre, vel morbosum, salubre esse quidem re-

spon.

ſpondens ętati, & hoc eſſe calidum, & humidum, at morboſum poſſe eſſe frigidum. & ſiccum, qua reſponſione ſatisfit etiam vltimę rationi, ſi quidem ſemen & ſanguis menſtruus dum ſeruant naturę leges habent etiam temperamentum ſibi naturaliter competens, at ſi naturę limites excedant, & proueniant à genitoribus actu ęgris, tunc poſſunt eſſe temperamenti frigidi & ſicci, ita tamen vt retineant aliquid caloris viuifici, ſiue hic ſit cęleſtis, vt exiſtimarunt Fernelius, & Archangelus Piccolomineus, ſiue elementaris cum Saluo Sclano, & aliis, & ſic iam patet pueros à natiuitate corripi poſſe actuali melancholia morboſa; quo admiſſo, longè magis admittetur ipſos corripi à naturę primordiis melancholia potentiali, id eſt melancholica diſpoſitione per intemperiem morboſam hęreditariam iecinoris, vel cerebri, per quam tractu temporis multiplicato atro humore vitioſo, & in cerebrum recepto incurrēt in accidentia melancholica; Sed quidam adhuc ſcropuloſior, ac nimis ſubtilizans dicet, quid per has voces à natiuitate, & à naturæ primordiis intelligimus? certè neceſse eſt vt intelligamus vel fœtus in vtero melancholiam morboſam pati, vel poſtqnam æditi ſunt in ipſam adhuc infantes incidere; ſi primum, falſa eſt ſententia noſtra nimirùm hominem à natiuitate melancholico delirio affici poſſe, nam cum ex Galeno lib. de fœt format: cap. 3. ad finem, ſenſus externi ferientur in fœtibus, obiecta ipſis ſubminiſtrari nequeunt, & proinde non eliciunt phantaſmata, ſuper quibus imaginentur, quare cum careant imaginatione, ne dicam cæteris principibus actionibus, quomodo in ipſis melancholia contingere poſſit? nequaquàm certè; ſi alterum intelligamus, non poterit homo naſci melancholicus morboſus, ſeu delirio melancholico affectus, ac proindè non à natiuitate, ſeu à naturæ primordijs erit talis, ſed adeò diſpoſitus ad huiuſmodi morbum, vt poſtquam in lucem eſt editus, breui in ipſum incidat; nam morbi à natiuitate dicuntur, vt gibboſitas clauditas, & alij ſimiles, qui omnes in vtero morbi iam contracti ſunt; Reſpondetur fœtum melancholia morboſa detineri actu poſſe, dum eſt in vtero, & ſic à natiuitate homines morboſa melancholia affici poſſe; Animaduertendum hic tamen eſt, nomen actus dupliciter ſumi, & pro actu primo, & pro actu ſecundo, actus primus coincidit cum forma, & formam, ac eſſentiam ſignificat, actus autem ſecundus coincidit cum operatione conſequente eſſentiam; Modò fœtus in vtero melancholia morboſa detinetur actu primo, non ſecundo, & ſic non delirat, neque deprauate imaginatur, quia habet animæ potentias in ſolo actu primo, non ſecundo, propter defectum obiectorum, & propter imperfectionem organi, non ſecus ac puer poteſt eſſe claudus à naturæ primordiis, et in vtero, et tamen non claudicat in vtero, neque poſt-

poſtquam eſt natus vſque ad certum tempus, et ſic eſt claudus in actu primo ideſt eſsentialiter claudus, non tamen eſt claudus in actu ſecundo vſquequo non peruenerit ad tempus præfinitum ambulandi, cæcus poteſt eſſe cæcus à natiuitate, & in vtero, & eſt talis actu; quia deficit ipſi oculus, & nihilominus dici non poteſt, quod non videat in actu ſecundo, quia in vtero non repræſentantur obiecta viſibilia, & ſic de melancholico à natiuitate dicendum eſt; nec dicatur melancholicum actu primo melancholicum eſſe potentia ad actum ſecundum, & idcircò non rectè melancholicum appellari, cum fruſtrà ſit illa potentia, quæ nõ reducitur ad actum, nam & ſi melancholia in actũ ſecundum non deueniat, hoc contingit, vt diximus, non quia fætus tali morbo non detineatur, ſed quia fætus eiuſdem inſtrumenta non ſunt adhuc apta ad tales edendas operationes, quouſque rationis vſu ille non fruitur, & ſic illa potentia ad actum ſecundum non erit fruſtrà, nam ſuo tempore determinato ad illum reducetur; exemplo ſit mutus à natiuitate, hic non detegitur mutus, niſi vbi perueneerit ad eam ætatem, qua pueris loqui poſſe natura conceſſit, ſed ſatis ſuperque de hac re. &c.

Finis primæ partis.

QVADRIPARTITVM Melancholicum,

GASPARIS MARCVCCII Nobilis Lucensis.

PARS SECVNDA.

An tria tantùm sint melancholiæ genera? Cap. I.



RIA esse melancholię genera statuit Galen. 3. de loc. aff. c. 7. quæ genera, dicebat ipse siue species, siue differentias quoq. appelles, nihil refert, Prior species est illa, quæ in cerebro per essentiam dicitur; Altera, quæ per consensum à toto corpore; Tertia verò, quæ est per consensum à ventriculo, de duabus prioribus ita loquutus est Galenus " Etiam cerebro accidit, vt nonnunquam vniuerso in venis sanguine melancholic o effecto, ob commune vitium ipsum quoque lædatur (& de melancholia per consensum intelligit a toto) nonnunquam verò reliqui corporis sanguine prorsus innocuo, solus his, qui in cerebro contentus est, alteretur (& de melancholia per essentiam intelligit) atque pluribus interpositis verbis subdit," Est pręterea tertium melancholiæ genus, morbi comitialis exemplo, cum ortum à ventriculo habuerit, solentq. medicorum aliqui hanc dispositionem hypocondriacam, flatuosumq morbum nominare, (& sic tertiam melancholiæ speciem per consensum à ventriculo expressit) sed percunctabitur aliquis an hęc tertia species à ventriculo affecto solùm pendere possit, vel etiam ab alijs hypocondrijs læsis, vt ab hepate, liene, vtero, alijsq. subiectis partibus malè affectis? Huic respondendum erit vel ex Galeni mente, non solùm à ventriculo, sed & ab alijs hypocondrijs fieri posse prædictam melancholiæ speciem, nam quemadmodum Galenus cap. cit. de melancholia pertractans semper sumit exemplum à morbo comitiali, & vtriusque affectus species inuicem comparat, dum inquit ipse, quod morbus comitialis per consensum, non solùm à ventriculo fit, sed etiam ab alijs partibus, vnde affert exemplum de puero illo cui affectus iste ex tibia initium capiebat, mox illinc recta ascendebat per femur, & supposita illi ilia, ac per latera ad ceruicē, donec ad caput perueniret, hinc non negaret

prædictam melancholiam etiam ab aliis hypocondriis fieri posse, sed eam, quæ à ventriculo fit, tanquam frequentiorem, ac proinde magis notam proposuit, & quia fortè in omni appellata melancholia hypocōdriaca necessariò ventriculus afficiatur, sed de hac re suo loco disputabitur, modò clarum est cæteros ferè omnes medicinæ scriptores hāc tertiam melancholiæ speciem, non per consensum à ventriculo, sed per consensum ab hypocondrijs in abstracto appellare qui etiā præter enarratas species nullam aliam dari existimarunt. Nonnulli tamen cum Auicenna addiderunt melancholiam à corde, quam alij per essentiam esse volunt, alij verò per consensum, sed quæ hypocondriaca dici non possit, cum cor nullo pacto inter hypocondria reponatur, hæc enim sub septo trausuerso collocantur, & inter naturalia, non spiritalia membra recensentur à medicis, sed ista de nomine potiùs, quàm de re videtur esse disputatio, quis enim neget per hypocondria viscera intelligi? nullus profectò, nihil igitur referat dicere hypocondriacam melancholiam fieri à visceribus, siue hæc naturalia, siue spiritalia sint, & quemadmodum præcordia cum hypocondrijs confunduntur cur non possumus etiam per hypocondria spiritalia viscera intelligere, non adeò strictè, sed largo potiùs modo loquentes? non igitur absq. ratione melancholiæ genera multiplicanda sunt; & si quis in hac re scrupulosior, aut rigidior esse velit, hic melancholiam, quam per cōsensum ab hypocondrijs vocauimus per consensum à partibus vocet, ita enim tam spiritales, quàm naturales partes complectetur, nec in nominum recto vsu peccabit; Cæterum melancholiam, quæ à corde est, per essentiam dici non posse iam satis monstratum credimus, dùm in omni melancholia cerebrum necessariò lædi antea disputauimus, quod etiam loco cit. confirmat Galenus, ait enim omnibus tùm melāncholiæ, tùm comitialis morbi differentijs commune esse quod cerebrū afficiatur; Ratio autem præcipua, qua innituntur volentes melancholiam per essentiam affecto corde fieri, est, quia existimant principes animæ actiones à corde prodire, sed & hæc sententia iam fuit explosa, & ipsam doctissimè refutarunt Mercatus, & Laurentius; aliam quoque & hi afferunt rationem, nimirum à tenebricoso spiritu animali quamcunque melancholiam produci, & hunc in corde tenebricosum reddi posse à nulla intemperie, vel alia præternaturali dispositione cerebro affecto; nam spiritus omnes in corde generantur, & in cerebro animales vocati euadunt, non per vlteriorem coctionem, quia nullum viscus corde calidius, sed quia in eo exactè segregantur, purificantur, & cōtemperantur, cur autem in corde tenebricosi, atque opaci gignantur, hoc in materiam sanguinem scilicet, atq. in agentem causam, cor nempe, quod frigiditate, & siccitate morbosa fuerit correptum, referendū volunt, At re vera decipiuntur isti, nam falsissimum est animales spiritus in corde gigni, & si ex vitalibus in corde genitis, tanquā ex materia producantur, nec quia vllum viscus corde calidius sit, hosce animales

males ſpiritus ex vitalibus per vlteriorẽ coctionem in cerebro non generari dicendum eſt, nam priùs vitales in cerebro contemperantur, quàm ex ipſis animales fiant præterea vitalibus aer per nares inſpiratus admiſcetur, tanquam qui & ipſe animalium ſpirituum materia eſt, ſed ex Galeno aer, vel æſtiuo tempore calidiſſimus, frigidior eſt cerebro temperatura frigidiſſimo, ita vt timendum non ſit hoc pacto vitales ſpiritus in cerebro, ad hoc vt animales fiant, vlteriorem coctionem acquirere poſſe, non deeſt enim ſuus cerebro calor, ſed de hac re diffusè tractatum eſt queſtiuncula 14. Quod magis negotium faceſſere videtur, eſt cor, quod aliqua morboſa intemperie ſit affectum, nam ſi frigida intemperie vexetur ſanguinem ab hæpate receptum non arterioſum, ſed denſando, ac exprimendo frigidum, & craſſum reddet, ſi calida, illum aduret, quare redundabit melancholicus ſanguis, qui cerebro impertitus melancholiam excitabit; modò difficultas exoritur, an tali pacto melancholia producta appellanda ſit per conſenſum à corde, vel potius à toto, nam ſi cor aliqua morboſa intemperie afficiatur, totum corpus aſſentitur, breuique eadem intemperie donatur, ita vt per conſenſum à toto corpore potius, quàm a corde denominationem habeat huiuſmodi affectio: At re vera datur melancholia per conſenſum à corde (vt optimè Auicennas lib. 3. cap. de Melancholia ſcribit) nec contra facit, quia cordis intemperiebus totum corpus aſſentiatur, hoc enim & ſi vt plurimum, non tamen ſemper verificatur, præterquamquod hæpar obſtare poteſt, imò non pauci reperiuntur, qui cum frigida cordis intemperie laborent, calidiori iecinore ſunt præditi, quorum ſi corda pro tenui, atq. arterioſo ſanguine craſsũ, ac melancholicũ producant, & hic in cerebrum delatus melancholiam excitet nõ hęc à toto, ſed per conſenſum à corde appellanda erit, & quod de cordis intemperie diximus, id confirmare poſſumus authoritate ex Galeno deſumpta lib, art. med. cap. 29. dum de cordis temperatura verba faciens, ait, ob calidam cordis temperaturam magna ex parte vniuerſum corpus calidum reddi, niſi hæpar vehementius obſtiterit, & quod ipſe de temperie in ſtatu naturali intelligit, idem morboſæ, ac præternaturali intemperiei accommodari poteſt.

An Cynantropia & Lycantropia inter melancholica deliria recenſenda ſint? Cap. II.



Licui fortaſſe conſultius viſum eſſet ſermoni de canina rabie caninam melancholiam ſubiungere, ſed ne de cauſis ſermo abſcinderetur hic illam potiùs deſcribendam eſſe cenſuimus; delirium igitur illud, quo quì detinentur, canes, ac lupos imitari videntur, cynantropiam, ac lycantropiam appellantur, quæ vtrum inter melancholias recenſenda ſint, rectè examinabit ille, qui priùs horum affectuum ſigna, atque cauſas percurret; In

calce libelli de melancholia ex Galeno, Rufo, & Possidonio de his ita scriptum reperias," Qui canina lupinaue melancholia tenentur, Februario mense noctu domos exeunt, in cunctisque lupos, & canes imitantur, vsque ad diluculum vagantur, sepulcraq. præcipuè recludunt; ita affectos his notis dignosces, pallidi sunt segniter aspiciunt, oculos aridos habent, coucauos, non lacrymantes, linguam siccam proferunt", saliuam nunquam reijciunt, siticulosi sunt, in tibijs vlcera gestant, quæ sanari non possunt, & quia crebrò offendunt, & quia à canibus mordentur, hæc eorum indicia sunt, estque hoc morbi genus melancholiæ species; præterea cum his morbis vexati perpetuò timidi ac mæsti sint, lucem aufugiant, vt hinc domi die lateant, & noctu etiam, dum huc illuc discurrunt, obuios deuitent, certè melancholici dicendi erunt, hinc Paulus, & Aetius, atque inter recentiores Altimarus, ac Rudius inter melancholiæ species lycantropiam connumerarunt; Altera tamen ex parte cum latrent vt canes, huc illuc vagentur, cadauera corrodant, hominibus insidientur, & in humanum sæuiat genus, non timiditatis, & melancholiæ, sed feritatis potius, ac maniæ præbent indicia; Hinc recentiorum plurimi, vti Mercurialis, & Massaria inter maniæ species connumerarunt, & Mercatus tomo 1. lib. 3. quæst. 180. diuidit maniam in furorem, insaniam lupinam, leoninam, caninam, & nocturnam; imò si ad causas quoque lupini, ac canini delirij respiciamus, ea ad maniacum delirium reducemus, nam quoad cerebri intemperiem attinet, hanc calidam, & siccam constituit Mercurialis, ac similiter humorem, à quo prædicti affectus producuntur, humorem melancholicum combustum statuit, sed & ex modo curationis in his summam caliditatem adesse ac proinde maniacum potius, quàm melancholicum delirium sapere, conijcere possumus. Aetius enim & cum ipso Arabes sanguinem euacuant per venam sectam vsque ad animi deliquium, quia magnam aliquam inflammationem in lupina, ac canina insania formidant, quod idem præcipitur in libello de melancholia citato, & Mercatus supracitata quæst. sic ait; ex speciebus insaniæ quædam dicitur lupina ex atra bile à succo melancholico suborta, alia leonina, ex biliosa atra bile, ferina insania à barbaris dicta, Tertia nuncupata est insania canina ex sanguine conuerso in atram bilem suborta &c. à prædictis verò humoribus maniam quidem, melancholiam verò nunquam generari omnes sciunt, cum propter ipsorum feruorem spiritus animales maximè agitentur, ac ignei præter naturam euadant; Quid igitur in hac contrarietate pronunciandum erit? breui res clara fit nam quemadmodum signa timiditatis, atque feritatis in cynantropia, & lycantropia mixta videmus, ita & hos affectus, quid mixtum esse ex melancholia & mania dicerem ego, quod & ex humore ipsum producente confirmatur, nam sicuti humor calidus cerebrum obsidens inducit maniam, ita & frigidus melancholiam, modo humor, qui harum affectionum est causa-

tum

um frigiditatem, tum caliditatem habet, ita vt neque simpliciter maniam propter frigiditatem, quæ obstat, neque simpliciter melancholiam propter caliditatem valeat inducere, sed quid ex ambabus mixtum; Quod autem de hoc humore dictum est, idem veluti per transennam videtur Rudius asserere in sua praxi cap. de melancholia, de melancholicis enim loquens, ait, si noctu errabundi sint, hanc speciem vocant Arabes cutubut, quæ forté fit ex melancholia aliquo modo calefacta, (est enim in continuo motu) vel adusta, in qua tamen feruor delituit, non enim est cum rixa, & elegantissimus Author Hercules Saxonia in suo tractatu de melancholia ita scripsit, "In lycantropia homines non quidem lupi figuras, vt forté de Lycaone tradunt Poetæ, sed mores contrahunt lupinos, quod ex prauo humore nanciscuntur, est autem humor duplex melancholia naturalis, ob quam perpetuò mœsti, ac timidi sunt, & noctu tantùm ambulant, est & humor exustus, propter quem in humanum genus sæuiunt, siue corpora sint defunctorum, siue viuentium, sed & mixtos esse affectus cynantropiam, & lycantropiam ex modo curationis, quem habemus ex Galeno, Ruso, & Possidonio in supracitato libello colligi potest, quandoquidem sanguinis missio, balneæ dulces, ac serum lactis illud empyreuma (vt ita dicam) melancholici humoris respiciunt, hiera autem magna sæpiùs exhibita, ac theriaca illius crassitiem, atque frigiditatem; neque nobis obstat Mercatus, dum insaniam lupinam, atque caninam inter maniæ species recenset, quandoquidem non intellexit de ea canina, ac lupina insania, quibus detenti noctu vagantur, ac sepulcra quærunt, vt cadauera pascantur, tristes etiam sunt ac aliquo timore affecti, sed de vero furore maniaco, à quo procul omnis timiditas abest, & idcircò tomo 2. lib. 1. c. 17. hæc scripsit; "Cum cerebri substantia feruidior fiat affluentem sanguinem adurit, & quod in eo est tenue liquidumue absumit, & relicta pars prauè crassescit, quo tempore si calor perseueret, homines fiunt veluti ita perciti, magisque audaces, ac temerarij, ita vt suos percutiant, multaque terribilia perpetrent, præsertim eo tempore quo sanguis assatur; verùm si frigidior subsit, qui in cerebro mansit, certè post incendium mærentes, tristes, ac meticulosi euadunt homines, ad quam sanè melancholiæ speciem referenda est ea, quam iuniores syluestrem appellarunt, & lupinam insaniam; Cæterùm prætereundum non est modò melancholiæ, modò maniæ magis indicia in hoc morbo manifestari prout magis feruet, vel deferuet humor, hinc & ægri noctu obuios modò aufugiunt, modò adoriuntur; sed cur Februarij mense valde grassetur hic morbus, difficilè est apud Authores causam adinuenire, non igitur sit mirum si & nos pro viribus de ea re aliquid afferre conantes, metam non attigerimus.

Cur mense Februarij cynantropia, & lycantropia magis grassentur? Cap. III.

AEtius lib. 6. c. 11. mense Februarij huiusmodi morbum maximè grassari scribit, & in libello de melancholia ex Galeno, Ruso, & Possidonio hoc idem confirmatur; cur autem hoc potius eo in mense, quàm in alio contingat, nonnulli in sydérum concursus referunt, sed fortè medicis remota nimis hæc videtur causa, vnde Mercurialis in sua praxi ad Hippocratem recurrens hæc scripsit," Cum Hippocrates dixerit 3. aph. 20. hyeme, & potissimum verè melancholiam dominari, & melancholicos morbos fieri, puto hâc verisimiliorem esse rationem quod scilicet humores melancholici autumno geniti, quasiq; ab hyeme congelati quiescunt, mitescente verò, serenaq. hyeme eliquantur, ac agitantur, ac propterea huiusmodi symptomata efficiant; hinc & feles, & complura alia animalia eo mense immani libidine efferuntur; Pulchra certè, ac ingeniosa valde doctissimi Mercurialis videtur ratio, difficultate tamen non caret, & in primis non est fideliter adductus locus Hippocratis, ipse enim dum tempus, quo melancholici morbi fiunt in eo aphorismo recenset, veris meminit, de hyeme ne verbum quidem, ergo nihil concludit Mercurialis ex Hippocrate cum totus Februarij mensis sit pars hyemis, imò iuxta Astrologos peritiores, & plusquam Martij dimidium pars hyemis extat; sed si hyeme orirentur morbi melancholici, non prætermisisset Hippocrates aph. 22. eiusdem libri, vbi de hyeme pertractans, hæc habet ad litteram" Hyeme verò morbi laterales, & pulmonis inflammationes, grauedines, atque raucedines, tusses, dolores pectoris, laterum atque lumborum, capitis dolores, vertigines, atque apoplexiæ; ita vt melancholicorum morborum, ne quidem meminerit; Simile quoddã pro Mercuriali afferri posset, quod scribit Galenus in comm. nuper cit. aphorismi; ait, n. ," Atqui primas partes hyemis rationabile est, & ita experientia comprobatur, cum autumno morbos communicare; & hoc vt ego opinor propter vtriusque temporis cõtiguitatem, namq. in adeò breui spatio neque aer nos ambiens, neque nostrorum corporum humores valde immutantur; propter igitur, & eandem contiguitatem fieri potest, vt hyemis extremæ partes eosdem morbos producãt, quos & ver ipsum, neque hoc præterfugit Mercurialem, quia quemadmodũ vere humores ab hyemis frigore veluti congelati liquescunt, ita extrema hyeme dissolui incipiant; sed & ab Aristotele 1. sect. problem. 17. eliciat aliquis mense Februarij ver esse, nam quærens Aristoteles cur à Vergiliarum occasu ad Fauonij vsque flatus potissimùm pereant, qui longo morbo laborant, & senes, paucis interpositis, ait," Subsequens enim tempus ver est; Fauonij autem, quos & Zephiros dicimus, spirare incipiunt ad octauum Febrbarij diem, vt testis est Plinius lib. 11. c. 47.

Atta-

Attamen quod statim à Fauonijs subsequitur tempus, ex Medicorum sententia minime ver est, cum huius principium sit equinoctium vernum, vt author est Galenus comm. 1. ad 1. lib. Hipp. de morb. vulg. quod tempus in nostris regionibus incidit in vigesimum circiter diem Martij, vt Astrologi in suis ephemeridibus clarè colligunt; Accipienda sunt Aristotelis verba (vt ait doctissimus Guastauinus in suis disertissimis commentarijs) non absolutè, sed vt quæ potius respectum aliquem contineant, siue ratio quædam in eis habeatur extremæ partis hyemis, in qua iam Fauonij spirare incipiunt, ad illius summum vigorem, illius enim inclinatio, in qua iam tepor quidam est præ vigore, & acutie ipsius ver est, quod enim ad Fauoniũ subsequitur tempus, quamquam hyemis adhuc pars sit comparatum tamen ei, quod præcessit, ver est, hoc est, tanta aeris temperie constans, vt illius summo vigore collatum, ver dici meritò possit. Sed neque his enarratis vndequaq. difficultas tollitur. Cur enim magis Februarij, quàm Martij, vel Aprilis mense vigeat lycantropia, si in his mensibus magis fundantur humores? Et si ex Hippocrate potissimùm in vere morbi melancholici fiant, cur ergò potius hyeme, quàm vere lycantropia grassetur? hoc rectiùs meo iudicio perscrutari poterit desumpto ex rei natura initio; In superiori statutum fuit huiuscemodi morbi materiam esse melãcholicum humorem non omninò frigidum, sed qui aliquam habeat in se caliditatem; præterea quoque statuendum est cum Hippocrate atque Galeno lib. 3. aph. 22. non solum vere, sed etiam autumno morbos fieri melancholicos, vti quartanæ febres, comitiales morbi, furores, & melancholiæ, quorum omnium materia est atra bilis, quæ duplicem habet generationem, alteram quidem vt Galenus ait in comm. ex flaua bile superassata, alteram verò ex sanguine crasso, nec prætereundum est melancholicos morbos magis salubres vere, minus autem salubres autumno fieri, vnde Galenus in comm. 20. aph. dixit morbos quicunque sunt verni temporis proprij omnes periculo vacare, tantùmq. abesse vt aphorismum illum falsum ostendant, in quo dixit Hippocrates Ver autem saluberrimum, & minimè mortiferum, vt potius ipsum videantur confirmare, Postremò nullus adeò peruicax erit qui non fateatur à materia morbifica, quò minùs hæc à naturali statu recesserit, eò saluбriores morbos, quò verò magis, eò grauiores ac magis periculosos produci non solùm, sed insuper ab hac naturam citiùs stimulari, atque offendi, ab illa verò tardius; His igitur ita præmissis nemini dubium erit, quod inter atras biles, ea quæ naturalem statum magis sapit, est fex sanguinis, sui natura frigida, & sicca, quæ verò à naturali statu magis recedit, est ea, quæ à superassata bile fit hæc, vt qualitatis magis acris, ac calidioris non expers citiùs naturam irritat, atque citiùs ab ea morbi, & grauiores emergũt, illa verò qualitate minus acri, & frigidiori prædita tardiùs naturam stimulat, atque tardiùs etiam morbos, eosq. non adeò graues inducit; Hinc mirum non est, si atra

bilis,

bilis,quæ ex flaua superassata in æstate gignitur, autũno superueniente melancholicos morbos producat, sanguinis autem fæx, seu sanguis crassus,qui in autumno maximè generatur melancholicos morbos nõ statim hyemæ,sed vere afferat; Modò cum morbifica, ac melancholica materia,quæ cynantropiam, atque lycantropiam efficit,non sit tam calida,quàm quæ ex flaua superassata bile gignitur,neque tam frigida, quàm sanguinis fæx,sed inter vtrãq. existat,ac medio modo se habeat, hinc etiam neque adeò citò, neq.adeò tardè prædictas affectiones producet,sed tempore intermedio,intermedium autem tempus aptius,ac magis idoneum est illa hyemis pars, qua humóres non congelantur, vt prima vel media hyeme, sed qua liquescere incipiunt, vt extrema; Extremam verò hyemem Februarius continet, & hanc eandẽ sententiam mihi videtur habuisse Gentilis in Auicẽnam,etiam si ipse in propriam huius humoris malitiam referat, nam & eandem malitiam indeterminatam illius adustionem refert,ipse sic loquitur," Aliter dicendum quod hæc melancholia non solùm habet malitiam communem, imò propter determinatam adustionem etiam propriam: Seruata igitur ab autumno quiescit cum forti frigore hyemali versus finem autem hyemis statim mouetur, & propter sui malitiam accelerat motum,non expectando ver, & quæ sequuntur.

An Amores inter melancholicos cerebri affectus numerandi sint? Cap. IV.



AMorem Platonici in cęlestem, & vulgarem diuiserunt, illi contemplandæ, huic generandę pulchritudinis desiderium tribuerunt,vterq.honestus amor,atq.probandus. Illud tñ in amore improbatur,si quis exem.gr.generationis auidior cõtemplationem deserat, ac corporis formã animi pulchritudini præferat; amore enim qui rectè vtetur,corporis quidem formam laudabit,sed per illam excellentiorem, pulchrioremque mentis,& Dei speciem cogitabit,hancq. illi præfefert,hancq.vehementiùs,& admirabitur,& amabit; generationis autem, & congressus officio eatenùs verè amans vtetur, quatenus naturæ ordo ad prolem legittimè suscipiendam,& ad mortalitatem hanc ab interitu vindicandam postulare videbitur; Amoris igitur ea est potentia in nobis, vt & animum temperet, & illum rursus in fauorem agere possit prout vel moderatè, vel intemperanter animũ diuexarit;si enim intemperatus accedat,tetris horrendisq.imaginibus interdiu, noctuq.animum implet, animalem spiritum obscura caligine inficit, mentem turbat,ac hominem sui impotem facit,nec in animum solum,sed & in corpus suam tyrannidem exercet, illud enim vigilijs, curis, macie, dolore, tabitudine, & mille alijs affectibus lethalem noxam inferentibus cruciat, facilè autem hæc contingunt in js, qui perditè amant,nã ad duo simul perficienda opera vis naturæ fermè deficit,

Animi

Animi amantis intentio in assidua amati cogitatione tota se versat, illic tota fermè vis corporis intenta est, quo fit, vt neque concoctio rectè procedat, neque reliqua naturæ munia, quæ circa alimoniam facultatum naturalium ope fiunt, rectè perficiantur. Hinc Marsilius Ficinus in Plat. Conuiu. or. 6. cap. 9. hæc habet, "Amantes squallent, & melancholici euadunt; quia ob distractionem cibus in stomacho non benè concoquitur, & ad iecur crudus attrahitur, in quo nec benè concoquitur, vnde ex sanguine crudo pallor oritur, & animi assidua intentio spiritus in amati imaginem phantasiæ infixam trahit, qui illuc euolantes, assiduò resoluuntur, quibus resolutis multo sanguine opus est ad consumptos spiritus recreandos, & sic sanguis, qui restat, crassus, & atet est, à quo & squallidi, & melancholici redduntur, præterea amorem, quo homines insanire contingit, sanguinis esse perturbationem quandam ex eo manifestè videtur, quod æstus huiusmodi continuus est, & alterna requie caret, nec intermissionem omninò habet vllam, quod affectibus in sanguine positis peculiare esse solet vt Galen. lib. 9. meth. asseruit; ex sanguinis autem perturbatione. & ex cerebro facilè disposito ob assiduas in amantibus cogitationes, quis non videt eos facillimé in melancholica deliria incidere? sed dubitabit aliquis, quomodo intemperatus amor ab aliis meritò ferinus, & irrationalis dictus inter melancholica deliria recenseri possit, si hic concupiscibilis potentiæ, quam in hæpate statuunt, sit affectus, melancholia veró principum facultatum, non autem concupiscibilis, sit noxa, atque deprauatio? Respondetur huic, quod etiam si irrationalis amor primariò sit concupiscibilis potentiæ iecoris affectus, nihilominus secundario animalis potentiæ affectus dici potest, quandoquidem in hoc casu obcæcata mens concupiscibili, qæ sibi à natura fuerat in seruitutem mancipata obtemperat; cum enim iam furit Venus, veluti ab impetu maiori trahitur obcæcata mens, & quo belluina potentia iubet, hęc cupit ipse intellectus, sed quid ad eos, qui dicunt Amorem, non cerebri, sed cordis esse tyrannum melácholiá verò cerebri non cordis symptoma esse? præterea si melancholia semper cum timore, & mæstitia vel absque causa manifesta, coniuncta est, vbi ne in amore timor, si qui omnia vincit, omnium audacissimus est amor? Galenus 4. de placit. Hipp & Plat. habet, passionem, qualis est amor, aut iudicium quoddam esse, aut iudiciis succedens, aut motum quemdam concupiscentis facultatis, ita etiam iram, aut iudicium, aut quandam succedentem irrationalem passionem esse ait; doctissimus Valesius in suis controuersiis Gålenum interpretans, ait, constare ex Galeni verbis amorem esse aut iudicium, quod fertur de re amata, aut appetitum qui iudicium consequitur, sed cuius constat (subdit ille) amorem ad appetitum magis referri, quàm ad iudicium, esseque appetitum quemdā rei, quæ amatur,

cum igitur duplex sit appetitus, alter rationalis, irrationalis alter, hinc duplex quoque amoris species; vterque verò amor à contemplatione incipit, omnis enim appetentia ex cognitione rei quæ expetitur, sub ratione aliqua, quæ potentiam appetentem allicit proficiscitur, ergo & cerebrum, aut potius animalis potentia, quæ in cerebro residet, amore afficitur, cor verò, vt aliàs dictum est, cerebro compatitur, ex qua compassione & ipsum quoque affici verissimum extat; Quod verò omnia audeant amantes concedi, ergo non ipsos timere, negari volumus, nam & si omnia, vt re amata potiantur audeant amantes de re tamen amata semper timent, nam in his, qui amore ardent, cupido varios affectus ad cor eiaculatur, illudq. miris modis perturbari facit, vnde necesse est hos nunc irasci, nunc contra supplices fieri, nunc gaudere, nunc mærere, atque perpetò inter spem, atque timorem constitui; adde quod statim ex amore, imò fortasse potius cum amore nascitur zelotypia, atque cum ea spes, desperatio, furor, timor. Hinc Paulus Aegin. lib. 3 c. 6. ait, amores inter cerebri affectus adnumerare, non esse absurdum, cum sint quædam curæ, & præsertim inter melancholicos, Tandem si qui delirant, mente non constent, & qui mente non constant apud se non sint, ac vice versa, cur in amore excedentes, qui nunquam apud se sunt, non delirare, aut non insanire dicamus? hos autem apud se non esse elegantissimè testatur in Cystellaria Plautinus ille amator, dum ait, nullam mentem animi habeo, vbi sum, ibi non sum, vbi non sum, ibi est animus; Hinc denique omnes Medici amorem non secus ac melancholiam curari, testati sunt, vnde (& hoc obiter sit dictum) quemadmodum aquæ dulcis balneum melancholicis affectibus mirificè conducit, ita ex Græcis antiquiores Poetæ finxerunt Selemnum fluuium, eos, qui se se in illius aqua abluerent, amore liberare, de quo loquens Pausanias omni auro preciosiorem esse Selemni aquam scripsit; Sed quid ni insaniant sæpenumero ex amore homines, cum vulgaris hic, & ferinus amor iam dictus fascinatio quædam sit, fascinationem autem quandam esse inde probari potest, quia amor per oculos imbibitur, nec mirum, quia cum amor nihil aliud sit, nisi rei amatæ desiderium, nec vllus incognita desideret, planè necessarium est, vt aliquo modo cognitum nobis antea fuerit, quod amemus, & hæc quidem cognitio vt plurimum oculorum sensu perficitur, sciendum quoque est (nec graue sit in amore intimiùs perscrutando aliquatenus à proposito scop[o] d[i]gredi) ad amoris essentiam non satis esse hanc cognitionem solùm, sed requiri etiam, vt quod amatur, tamquam bonum nobis, atque iucundum, pulchrumq. fuerit iudicatum, neque id satis esse videtur, nisi facilè consequi nos posse, quod pulchrum, bonumq fore censuimus, iudicemus, sed ad rem, cum amor per oculos tanquam per patentes fenestras ad cor ingrediatur, & ab illis sui originem trahat, omni-

omnibus notum est oculos refertos esse spiritibus subtilissimis, atque lucidissimis, vnde ab illis similes radii enascuntur, & emittuntur, quibus cum radiis emissitiis vaporem quemdam spiritalem trahi non est denegandum, qui non secus, ac spiritus ipsi primam sui originem à sanguine habet, hoc autem ex eo clarè percipimus, quod lippientes oculi radiorum suorum emissione cogunt spectantis proximè oculos morbo simili laborare, affrictu, atque contactu spirituoso similem patientes in benè valentibus oculis morbum, quo ipsi affecti sunt, vbi appareret, & radium ad propè adstantem oculum protendi, & cum radio vna vaporem corrupti in parte sanguinis emanare, cuius contagione oculus spectantis inficitur, ac coinquinatur, quin & Aristoteles lib. de somn. & vigil. testimonio constat, mulieres menstruo pollutas intuitu suo speculum nitidum sanguineis quasi guttis, & fœdo vapore inficere, vt & experientia constat; quod ex eo fieri arbitrandum, quia spiritus, qui vapor sanguinis est, sanguis quidam tenuissimus, & summè elaboratus esse videtur, adeò vt aspectum fugiat oculorum, sed in speculi superficie perpolita crassior effectus clarè perspiciatur; Cum statutum igitur sit vnà cum oculorum radiis vapores emitti, & eos propriam, qua laborant, affectionem impertiri intuentium oculis, oculi eorum, qui saucii amore sunt, propriam oculis amatarum passionem communicabunt, sed in illis non sistet passio, cum huius morbi non sint propria sedes, sed vlteriùs extendetur in cor, in cerebrum, & ita, vt si altiùs radices egerit, mentem ab aliis omninò alienet, vt in rei amatæ contemplationem solùm deuinc at, sed quid aliud quęsò mentis alienatio est, quam delirii genus? & quia in amore præter suspiria, querelas, ac lacrymas semper mæstitia, & timor adest (namque res est solliciti plena timoris amor) quod nam delirii genus nisi melancholicum erit? en igitur quandam veluti fascinationem esse amorem, à qua altiùs impressa aberrant actiones principes, & melancholica deliramenta suboriuntur.


An Melancholia sit cum risu? *Cap. V.*

DEsipientias, quæ cum risu fiunt, securiores esse dixit Hippocrates lib. 6. aph. 53. ita vt ex hac sententia plures colligant medicinæ scriptores melancholiam interdum fieri cum risu, sed quàm maximè decipiantur isti, quisque facilè animaduertat, qui Galenum consuluit in 6 de morb. vulg. comm. 3. t. 12. dicentem, melancholicorum maximè proprium timorem esse, & 3. de loc. aff. c. 7. vbi melancholicos à timore nunquam deseri scribit, etenim à timore mæstitia, non autem risus prodire potest, qui lætitiæ, ac spei potius est comes; imò & ex Hippocrate perpetua melancholiæ symptomata metum, & mæstitiam esse 6. aph. 23. manifestè coniicere est, vbi habet, quod si timor, ac mæstitia diutiùs perseuerent, tale melan-

P 2 . choli-

cholicum est; sed & rationes comprobantes hoc in promptu sunt, nam ex libello de anat. viuorum Galeno adscripto habetur, risum esse proprietatem, quæ sanguinem consequitur, quomodo igitur ille melancholico delirio coniungatur, quod ex atra bile, ac melancholico succo, ortum trahit? Amplius si lien ridere facit (vt mox infra videbimus) quatenus sanguinem à nigra fæce, ac terrestri materia defæcatum reddit, quomodo in melancholicis risus excitetur, in quibus fæculentissimus, impurissimusq. reperitur sanguis? Non desunt, qui dicant in his risum esse falsum, idest quamdam esse oris gesticulationem absque interna animi hilaritate, sed re vera ita desipientium risum verum esse deprehendimus ex tripudiis, cantu, iocis, quibus sæpè abundant, quare absolutè dicendum est, hos ita desipientes nullo pacto melancholicos esse, hinc Hippocrates desipientias, non autem melancholias appellauit; differentes enim sunt istæ delirii species, neque minus differt desipientia cum risu à melancholia, quàm ab hac phrænitis differat, vtraque enim vti diuersos habet effectus, ita & à diuersis producitur causis, melancholia enim ab humore melancholico, crasso, obscuro, ac nigro prodit, desipientia autem cum risu à sanguine calefacto, tenui, splendido, ac lucido, cuius proprium signa lætitiæ edere est, cum splendorem animæ afferat; Cæterum duæ non leues emergunt difficultates, quarum vna est, cur isti, qui cum risu desipiunt, magis cantent, & saliant, quàm qui sani sanguine maxime abundant, si sanguinis est tantam lætitiam parere? Altera est, cur videamus interdum melancholicos, qui tristantur, ac timent per interualla quædam etiam ridere, atque iocari? Vtriq. difficultati breuissimè satisfit, & priori si dicamus sanguinem, dum is incalescit, non autem vritur, rarefieri, ac ex eo splendidiores, lucidioresq. vapores, ac spiritus eleuari, atque produci, vnde animo, spes, vigor, & alacritas exoritur, quæ modum excedens principes actiones peruertit, atque deprauat, & hinc sic affecti cum risu desipiunt; in sanis autem sanguinem, & si maximè abundet præter naturæ limites calefieri non contingit; Alteri verò difficultati respondemus, has diuersas delirij species interdum misceri, ac confundi simul, quia earum causæ, nempe humores commisceantur, ita vt modò vnius, modò alterius prodeant effectus, prout modò vnus, modò alter mouetur, aut modò vnus, modò alter vicissim prædominatur humor, vnde & Galenus ipse has diuersas delirij species simul coniungi, 2. de diffic. resp. c. 5. ostendit, dum de Dealcis vxore loquens ait, non vnam desipientiæ speciem ipsi accidisse, neque vulgarem, sed multas, & fortes. partim silenti, partim loquenti, & partim cum lacrymis, partim cum risu, sed risus (quod polliciti sumus) cur à liene oriatur, clarius aperiamus.

An risus ex liene oriatur? Cap. VI.



Isus ſedem ex antiquioribus plures lienem ſtatuerunt, vnde vulgatum eſt illud

" *Cor ſapit & pulmo loquitur, fel continet iras*
Splen, ridere facit, cogit amare iecur.

Hinc Marſilius Ficinus in Plat. Tim. c.69. quod lætitiam afferat lienis ſpongioſa natura craſſum ſanguinem ſugens ſcripſit,& ex libello de ſpermate Galeno adſcripto, ij, qui in horis choleræ nigræ concepti ſunt, riſores ſunt propter ſplenem, à quo procedit riſus; Sed hæc opinio non leues videtur pati difficultates, nam ſi lien ſanguinis fæcis, ac melanconici ſucci receptaculum eſt, ab hoc humore fæculento, impuro, ac tetro, necnon ab eius vapore nobiles partes impetentibus, timores, mæſtitiæ, ſuſpiria, anguſtiæ, lachrimæ, ac fletus exoriuntur, qui igitur riſus cauſa ſit lien? præterea adinuenti ſunt abſque liene homines, & tamen riſus in homine eſt inſeparabilis proprietas, eſt enim animal rationale riſibile, quomodo ergo in illis lienem riſus fuiſſe cauſam aſſerere poterimus? quod autem abſque liene adinuenti ſint homines, teſtatur oculata fide clariſſimus anatomicus Andreas Laurent. lib.6. quæſt. 25. his verbis " Superioribns annis diſſectum fuit Lutetiæ cadauer iuuenis benè habiti, & ſine liene inuentum. & Plin. lib. 11. nat. hiſt. c.37 cum lien curſus ſit peculiare impedimentum non ſolùm nonnullis inuri, ſed etiam per vulnus exempto liene animalia viuere poſſe tradit, & ſine liene fuit inuentus porcellus ex potu cuiuſdam medicamenti, vt refert Galenus 9 de compoſit. medic. ſecundum loc. cap. 2. Amplius ex Galeni fragmentis ex aph. Raby Moyſis collectis, riſui (externas quas ponit, excipio) non eſt aliquacumque cauſa nota; quare non eſt, vt illius cauſam lienem eſſe dicamus. Tandem contra ſententiam ex libello de ſpermate excerptam, dicimus, quod qui in horis choleræ nigræ concepti fuerint, etiam temperamenti, & habitus melancholici erunt illi, quare in ipſis melancholiam prædominantem potius conſequetur riſus, quàm ſanguinem, & tamen in ſuperiori riſum eſſe proprietatem, quæ ſanguinem conſequitur, explicatum fuit; Reſpondetur libellum illum multis erroribus ſcatere, nec Galeno dignum nihilominus, ſi illi aliqua fides habenda eſt, non choleram nigram, ſed ſplenem riſus eſſe cauſam dicendum erit, quemadmodum & author ille dixit, & ratio afferri poteſt, nam cum iidem, quibus nutrimur, nos ipſi conſtemus etiam & lien nutriatur atro ſanguine, certè in conceptis in horis illius ſucci lien robuſtior generabitur, atque maioris molis cum in talibus pro eius generatione multa, & valde accomodata materia non deſit, liene autē robuſtiore exiſtente melius ſanguinem expurgabit, & defæcabit, ab impura

puta crassitie, ita vt hac ratione ex accidenti sit in causa risus, vti mox clariùs ostendetur, quod & ob maiorem molem quoque efficiet, nam vt habet Cælius Rhodig. antiq. lect. lib. 2. cap. 48. sunt ex authoribus, qui ioci intemperantiam huius visceris amplitudine arbitrentur constare, quod in naturali historia relatum non me fallit; ad locum autem ex Galeni fragmentis allatum dicimus esse fragmenta, in quibus authoris completam sententiam adinuenire non est, sed abscissam, imperfectam, ac mutilatam, nec enim credendum est Galenum internam risus prætersugisse causam, cum ipse non conniuentibus oculis Aristotelem perlegere potuerit 3. de part. animal. cap. 20. quamuis & Aristoteles in hac tradenda causa aliquo pacto deficiat, vt scribit Franciscus Valesius lib. 5. controu. cap. 11. quem consulat, oportet, qui risus causarum exactam cognitionem desiderat, & scire quomodo risus fit diaphragmatis, & musculorum thoracis, & oris vibrationem quamdam ob gaudium, & admirationem simul iuncta. Quoad illam verò rationem spectat, in qua dicebatur homines absque liene adinuentos fuisse: Respondetur in illis aliquam particulam adfuisse pro lienis officio inseruientem, vt in cadauere à clarissimo Laurentio dissecto, in quo obseruabatur splenicus ramus insignis in exiguum corpus glandosum desinens, & venæ duæ hemorroidales fæculentum sanguinem expurgantes. quodautem aliquibus inuratur lien, hoc tantum abest, vt sanguinis defæcationi obsit, quin potius auxilietur, per inustionem enim non secus ac per fonticula in externis partibus excitata prædictæ fæculentiæ maiorem ansam præbemus in lienem influendi, nam non solùm attrahitur à liene fæculentus sanguis, sed simul etiam à iecinore transmittitur, cuius transmissionis causa laxus, ac spongiosus fabricatus fuit à natura lien. quod tandem per vulnus eximatur lien homine superstite minimè credendum est, quandoquidem & hoc Plinius, qui tamen alia plura veritati parum consentientia scripsit, ex propria sententia non est ausus asserere, sed ex aliorum traditione refert; Ad eam denique rationem, in qua dicebatur lienem tetro, ac fæculento sanguine nutriri, ex quo in superiores principes partes irruente timores, & lachrimæ enascantur. Respondetur, hæc contingere intemperato existente liene, aut alia morbosa dispositione affecto, nequaquam autem intra sanitatis limites rectè cōstituto; Hæc cum degustasset Alexander Aphrod. quærens 1. lib. problem. 136. cur risum multi putent ex liene oriri, hoc argumento (subdit ille) quod quibus scyrrho, idest, tumore duro vitiatur, non proinde sint ad ridendum comparati, vt qui sunt incolumes, sed sint mæstiores. lien non propriè, ac per se, sed ex accidenti risus causa censendus est, quandiù enim est sanus, omninò fæculentum, & melancholicum succū ex iecinore trahit, atque ita dum sanguis purus, & defæcatus totum corpus, cerebrumq. inuadit, naturam simul, & animam, non aliter, ac

vinum

vinum delectat, & exhilarat, & in tranquillam constitutionem traducit; & inde risus excitatur; & Cælius Rhodig. c. iam cit. in omnimodam huius sententiæ confirmationem ita scribit" Author Auicenna est, lienis virtute ex iecore prolici melancholici humoris vim, tum naturalis, tum accidentalis, idest adusti, nec ratione canonica prouenientis, quemq. non intendat natura; euenit id vi duplici, hæpatis exigentis à se redundantia, lienis verò excipientis, prolicientisq. vnde prouenit sanguis, benignus, clarus, copiosus, lucidus, quem esse risus causam naturæ rerum periti tradunt, ex sanguine quippè ita affecto cósurgit spirituum multitudo, & claritas animam exhilarantium.

An sit melancholia cum febre? Cap. VII.


PRincipes animæ functiones deprauari cum febre, vt in phrenitide & lethargo, interdum sine febre, vt in mania, & melancholia pronunciauit Galenus pluries, & quoad melancholiam, hanc sine febre fieri testatus est Author libri definit medic. hinc practicantes ferè omnes definiuerunt melancholiam esse delirium sine febre, cum metu, ac tristitia coniunctum, sine febre statuerunt esse ad differentiam maniæ, quæ cum furore, & melancholiam esse sine febre humor à quo fit, suadere videtur, nam cum hic frigidus, & siccus sit, difficilè accenditur, ac difficilè putrescit, vnde Aegineta quoque lib. 3. cap. 14, eam sic descripsit" Melancholia delirium quoddam est sine febre, ex melancholico humore nascens, qui sedem mentis occupat, præterea si adessent melancholiæ cum febre, hę rationabilius essent cum quartanis, ac febribus ab humore melancholico factis, nam tunc præter obstructiones siue in liene, siue in aliis hypocondriorum venis, adest redundantia illius succi, à quibus omnibus nigræ euaporationes in cerebrum eleuari possunt, & melancholicas mentis emotiones parere, nihilominus nunquam tales in prędictis febribus obseruatę fuerunt, imò si Galeno credimus in 6. de morb. vulg. comm. 6. t. 7. quartanę febres ab aliis ingentibus morbis hominem tutum pręseruant, & comitiali morbo detentos liberant, sed si hos, ergo & melancholia vexatos, nam 3. de loc. aff. c. 7. iam vidimus ab eodem humore cerebri similares partes, oblędente melancholiam oriri, organicas verò inuadente comitialem fieri morbum; Et ex altero alterum vicissim surgere; Altera tamen ex parte Hippocrates in Coac. pręnot. non longè ab initio, ait, in febribus mentis emotiones taciturnas, in eo qui voce priuatus non est, perniciosas esse, sed quęnam sunt taciturnę mentis emotiones, nisi melancholicę? ergo ex Hippocrate melancholiam cum febre coniungi colligimus, & Hollerius vir grauissimus lib. 1. de morb. int. cap. 15. non semper melancholiam esse sine

febre

febre verificari scripsit, experientia enim constat (inquit) in febre hominem melancholicum sæpè reddi, timidum nempe, tristem, sine furore, multa falsa, ridicula, & ab omni veritate aliena animo mouentem; læsa imaginatrice, & ratiocinatrice facultate, quæ propria sunt melancholiæ symptomata: neq. phrenitide vera, neque maniæ, neque paraphronosi communia; & ad propriam sententiam confirmandam duo adduxit exempla, quæ hic ad litteram conscripta legas " In febre ardente Burgũdus quidã Lutetiæ multis clarissimis Medicis astantibus mortuum se affirmabat simul cum fratre ibi decumbente precabatur Medicos ne amplius animæ impedimento essent, quo minus è purgatorio euolaret ad Deum, aliquando imitabatur moribundum, quasi efflaret animam mouebat, vt expectarent expiratum, postea summo timore, & omnium desperatione corripiebatur, tandem oportunis remedijs adhibitis, & hæmorroidum profluuio liberatus est, Alius itidem se mortuũ & sine animo putabat, obidq. cibum omnẽ reformidabat, quod mortuos edere negaret, tandem optimo consilio fuit effictum cadauer mensæ accumbens, cuius exemplo cibum sumpsit, Hæc Hollerius, quæ si rectè examinentur, tum ipsum, tum Galenũ vera dixisse adinueniemus, nam in adductis exemplis, & in febre interdum deliria melancholica excitare nihil prohibet, dum quoque melancholicos humor putrescit aut accenditurr, quamuis re vera tunc temporis melancholiam non cõstituant, aut potius insequantur prædicta melancholica accidentia, quæ permanentiam habeat, & inter chronicos morbos adnumerari possit, nec quæ essentialis sit (de qua Galenus, & alij intellexerunt) sed quandam momentaneam melancholiã, quæ per consensum est, & alijs morbis succedit, hinc & non raro in hypocondriaca appellata melancholia quandam leuem febrem ob diuturnas hypocondriorum obstructiones exortam spectes; Hic tamen instabit aliquis, nam si melancholia à pseudo phrenitide, seu per cõsensum phrenitico delirio, quemadmodũ, & à phrenitide etiam distinguitur per febris absentiam, quomodo in Burgundo illo à febri ardente vexato melancholiam distinguas? adde quod & Hippocrates ait, & in Coac. prænot. necnon 1. Prorrhet. nimirum si ardente febre aurium sonitus cũ caligine fuerit, proueneritq. in naribus grauitas, mente ex melancholia aberrant, ita vt potius cum ardenti febre coniungatur, melancholia, quàm ex ipsius absentia ab alijs deliriis distinguatur, nec dicas, non tantùm per febris absentiam, sed præcipuè per metum ac mæstitiam ab alijs delirijs melancholiam distingui, quandoquidem iam vidimus in allatis exemplis, & febrem, necnon metum, & mæstitiam adfuisse; Respondetur in prædictis casibus, aut commixtas fuisse delirij species, aut illa deliramenta phrænitica potius, quàm melancholica appellanda esse, nàm quoad Hippocratem attinet ex Galeno in 1. Prorrheth. comm. 1. t. 18. phrenitic um fuisse

fuisse delirium apparet, hæc enim sunt verba Galeni "Febris ardens tum ob alias causas, tum propter cerebri inflammationem æquè fit, nempe & huic succedit ex proprijs phrænitidis signis continua desipientia,& interpositis paucis subdit," Quod si flaua bilis quodam modo exusta, siue in capite,siue in toto corpore fuerit,ad id, quod melancholicum magis est, vergit, atque hinc in cerebrum ipsum, emittitur, ob idq; mente ex melancholia alienatur;si igitur ex flaua bile per adustionem in atram conuersa febriunt ardenter,& ex eadem in caput irrepente delirant, non melancholicum, sed phreniticum delirium appellandum est, nam & ab atra bile phrænitidem fieri non pauci cum Auicenna affirmant; hoc idem & de Burgundo illo dicendum est, nam si in eo sanguis incensus ardentem synochum excitabat, & ipsemet in caput irrepens, aut euaporans delirium producebat,quodnam delirium à feruenti materia produci dicendum est? sanè phræniticum potius, quàm melancholicum; sed cum magno metu illud fuisse dices, & phrænitides interdum cum metu fieri non est absurdum, quod nobis concedet Hippocrates lib. 1. de morb. propè finem, ibi enim hæc profert". Assimiles autem sunt maximè hi,qui phrænitide tenentur,his qui ab atra bile delirant,& si quis delicatioris gustus hunc librum non esse genuinum Hippocratis dicat, sed Polybi potius,& idcircò huic responsioni non acquiescat, ille priori vtatur; nimirum in supracitatis exemplis delirij species commixtas fuisse, prout etiam sanguinea massa,que in febribus accenditur ardentibus, est varijs commixta humoribus, quorum modò vnus, modò alter prædominatur, aut mouetur; varias autem delirij species inter se commisceri posse testatur experientia, & Galenus lib. 2. de diffic. resp. c. 5. necnon in 3. de morb. vulg. com. 3. ægr. 1. sic scribens" Sanè videtur hęc delirij speciem ex melancholia, & phrænitide habuisse mixtam, nam hoc aut multum loquebatur, aut perpetuò tacebat, ostendit huiusmodi mixtionem, quod etiam de nostro Burgundo dici posse rationabile est, nam sanguis dum aduritur, secundum tenuiorem sui partem in bilem, secundum verò crassiorem in melancholiam conuertitur, quare & prius bilem, tanquam quæ citioris est motus, suos prodijsse effectus, verisimile est, dein melancholiam, tanquam quæ tardioris sit motus, ex his igitur statuendū erit, melancholiam ex se, & vt plurimum bile sine febre, interdum verò, & ex accidenti cum febre coniungi posse, & non solum quatenus phrenitidi quam semper tanquam symptoma peracuta febris consequitur, sed quatenus etiam febribus morbis coniungatur, siue his ipsa, siue hæc illis superueniant, nihil enim obstat in aliquo melancholia detento quemdam humorem putrescere posse, ac inde febrem excitare, quod in hypocondriaca appellata melancholia præsertim obseruare difficile non erit.

An melancholia possit esse contagiosa affectio? Cap. VIII.



HAEC quæstiuncula risum potius, quàm quid serij afferre prima facie videbitur, quis enim vnquam scripsit melancholia affectos hanc alijs passionem communicare, quemadmodum de phtisim, lippitudinem, scabiem, aliosq. huiuscemodi morbos patientibus? nullus certè, nec mirum; etenim quænam ratio contagij sit in melancholia, quæ ab humore frigido, ac siccissimo dependat, cum tota contagij vis in putrida quadam exhalatione consistat, & quę insignem potius, ac excedentem humiditatem premonstret? Constat triplicem esse differentiam contagij, vt optimè adnotauit Marcellus Donatus tractatu de variolis cap. 5. nam quod cōtagiosum est, aut solo contactu afficit (sic scabie, & lepra infecti, quos contangunt inficiunt) aut præter contactum fomitem habet, quem relinquit in re, quæ contagio afficitur, hinc fomite afficiunt quæ morbidam excretionem intus latentem alteri affricant, vti vestibus, lignis, & similibus, cuiusmodi est phtisis) aut deniq. non contactu, & fomite, sed & potentia ad distans contagium transferri potest, & hoc mediantibus euaporationibus, à vaporibus enim contagio infectis aer inquinatur, cum autem aer continuò à nobis necessariò inspiretur, cum eo infectionis seminaria commixta introgrediuntur, quæ non eadam facilitate per expirationem expulsa, qua per inspirationem intromissa fuerunt, humoribus, membris, ac spiritibus agglutinantur, & sic animal inficiunt. Si igitur melancholia per contagium induci possit, magis verisimile est, vt hoc tertio modo inducatur, at neque hoc tertio modo induci potest, quandoquidem cum pendeat melancholia ab humore siccissimo, huic repugnant eæ conditiones, quę humori, seu corpori cōtagioso necessariò competunt, nam minimæ illæ particulæ, quæ è corporibus infectis euaporantes in aliud contagionem inferunt, necessariò duas hasce conditiones obtinent, nempè quod glutinosæ sint, ac valde putridæ, hinc in febre tertiana, aut causone licèt corpora putredine affecta sint, & ab his particulæ quædam euaporent, quia tamen neque viscidæ, neque valde putridæ sunt, sed calidæ potius ac siccæ, per aerem delatæ, aut quid aliud medium aliud contangens non inficiunt, quoniam confestim euanescunt priusquàm putredinis fomitem introducant, sed si in hisce nulla contagio fit, ergo & multò minùs in melancholia, vbi nulla putredo, vbi frigidus, & siccus est humor; Aliquis tamen posset obijcere in melancholico humore insignem putredinem excitari posse, atque ita ipsum contagiosum euadere, nam etiam si frigidus, & siccus appelletur, talis non actu, sed potentia est, & in respectu ad cæteros humores, sed non ne ossa, quæ non potentia tantùm, sed actu frigida, & siccissima sunt, putredine, & insigni putredine affici obseruamus? vnitur preterea melancholico humori plurimū serositatis,

& ichoris, adde quod, & ferè semper pituitę commiſcetur, vt qui frigidus, & ſiccus natiuum calorem debilitet, & ſubindę pituitę gignendę prębeat anſam, ſed quod inſigniter putreſcat exemplo ſunt in peſtilentibus febribus, & in variolis apparentia exanthemata, quę à latinis peticulę, & peſticulę appellantur, quę eò peiores, & contagioſę ſunt magis, quò liuidiores, & nigriores apparent, tunc enim à melanchonico ſucco, & aduſto prouenire certum eſt; ſic & de antrace, ſeu carbunculo in peſte dicendum eſt, tunc enim morbus iſte ſęuior, & prauioris contagij eſt, vbi bilem atram ſui cauſam agnoſcit, ſed non ne & in gangręna, quę ab interna cauſa producitur, dum ab atra fit bile, tanta, & excedens adeò putredo excitatur, quod niſi pars gangręna laborans ferro, & igne tractetur, illa quàm breuiſſimè vicinas partes contactu afficiat? nec obſtat quod ſcriptores Medici nunquam dixerint melancholiam eſſe morbum contagioſum, non enim ipſi omnia ſcribunt, & preſertim quę de raro contingunt, Ceterùm non ne ſcripſit Thucidides antiquiſſimus, & grauiſſimus inter Gręcos ſcriptores ſuo tempore peſtem graſſatam fuiſſe, à qua ſuperſtites omnium rerũ adeò fuerunt obliti, quod neque proprij nominis recordarentur? ſed quemadmodum tunc morbus ille contagioſus, memoriam, facultatem principem incerebro reſidentem deleuit, non ne & alius ſimilis morbus contagioſus, ac peſtilens oriri poſſet, qui principes cerebri actiones deprauaret? maximè, eſto nobis exemplum, nobiliſſimus ſcriptor Plutarchus (referente Aulo Gellio) primo librorum, quos Περὶ Ψυχῆς inſcripſit cum de morbis diſſereret in animos hominum incidentibus, virgines dixit Mileſias, fermè quot tùm in ea Ciuitate erant repentè ſine vlla euidenti cauſa voluntatem cępiſſe obeundę mortis, ac deindè plurimas vitam ſuſpendio amiſiſſe, id cum accideret in dies crebriùs neq. animis earũ mori perſeuerantiũ medicina adhiberi quiret, decreuiſſe Mileſios, vt Virgines, quę corporibus ſuſpenſis demortuę forent, eę omnes nudę cum eodem laqueo, qui eſſent peruinctę efferrentur, &c. Certè illud erat melancholię ſęuiſſimę quoddam genus, cumq. in dies plures Virgines, & ferè cunctas inuaſerit, contagioſum certè fuiſſe dicendum eſt; Hiſce tamen non obſtantibus melancholicum delirũ nullo pacto contagioſum eſſe aſſeritur, ſiue à melancholico ſanguine, ſiue ab atra bile dependeat, ſiq. fortè eueniat in melancholicis alterutrum ex predictis humoribus inſigni putredine corripi, aut ingẽti corruptione affici (quod interdum contingere poſſe non negandum) non tamen inde per contagium in alios melancholia migrabit, illinc quidẽ poterunt, & peticulę, & carbunculi excitari, ſimileſq. morbi, qui contagio inficiant, aliiſq. communicentur hominibus, nunquam tamen melancholia ipſa communicabitur ratione contagij, nam cum melancholia cerebrum occupet, & contagium in humore alioquin ſui natura ſicciſsimo extare nequeat, niſi per inſignem, atque excedentem putredinem ſubortam, cerebrum pars principaliſſimà non ſuſtineret

humores adeò prauos, natura enim aut succumberet, antequam humores in cerebro tantam labem contraherent, aut potius epileptici, vel apoplectici morbi succederent, qui ad necem perducerent. Sed quid ad virgines à Plutarcho allatas? Respondetur tunc potiùs ab aere (vt ego arbitror) animales spiritus cerebri ob indicibilem qualitatem contractam afficiente, obledenteq. oborta fuisse in virginibus Milesijs illa deliramenta melancholica, quam ob putredinem, siue contagionem aliquam in humoribus excitatam, quandoquidem nec febris, nec alius morbus sanguineæ massæ corruptionem ostendens obseruati fuerunt, etiam si minimè negandum sit ab infectione humorum ab inquinato aere communicata suscitari posse cerebri morbos pestilentes, atque grassantes melancholias, sed sublata communis aeris infectione, non posse in cerebro adeò deprauatos, ac putridos humores melancholicos colligi, qui melancholiam contagiosam producat, nec afferantur Hippocratis exempla in Epidemijs vbi de melācholicis delirijs mentio fit, nam præterquamquod populares morbos, & communes ibi recenseat Hippocrates, deliria melancholica ibi non recensset tamquam præcipuas affectiones, sed tamquam symptomata malignas febres interdum subsequentia, ita vt insignis illa putredo, & subinde contagio in humoribus potius intra vasa contentis extiterit, quam in humoribus melancholicis, cerebri sedem occupantibus, atque melancholiam efficientibus, namque illa deliramenta melancholica certiùs à fuliginibus ex subiectis partibus in cerebrum elatis proueniebant, quàm ab humoribus in cerebro stabulantibus, hinc melancholica illa deliria per breui, non longo tempore perdurabant, cum tamen inter chronicos morbos recenseatur melancholia; Nec tandem aliquis obijciat phrænitides malignas, atq. lethargos, quibus in morbis in cerebro putrescunt, & insigniter humores, namque neque prædicti morbi contagiosi sunt, nisi pestilenti, vel saltem maligna febri mediante; Hinc concludamus melancholiam ex se non esse contagiosam affectionem, sed fortè ex accidenti, quatenùs scilicet vel ab inquinato aere ipsa prouenit, vel ipsi pestilens morbus adnectitur, quo in casu & ipsa ex chronica in breuem migrat affectionem, nec illi, sed pestilenti morbo curatio præcipuè debetur; & si quis vlteriùs quæreret, cur absq. pestilenti, vel maligna febre phrænitis, aut lethargus, imò & melancholia à putridis humoribus excitata (si talis extet) non communicetur alijs, quemadmodum exempli gratia cōmunicatur phtysis; Respondetur, quod putridæ exhalationes, quæ in phtysi ab vlcere pulmonum eleuantur, à propria pulmonum substantia euaporant, & non ab humoribus in eo contentis tantùm, hinc propter quam dicunt analogiam, aliorum pulmones coafficiuntur; Adde phtysim esse longissimum morbum, phrænitidem autem, atq. lethargum perbreues, quare cum omnis actio fiat in tempore, longiori tempore commodiùs fiet; præterea à putridis euaporationibus inquinatus aer statim in pulmones attrahitur, in cerebrum

rebrum verò difficilius permeat, nec permeat nisi expurgatus; Tandem nisi diù cerebrum sustineat humores putrescentes in eius porositatibus, atque venis, quantò minùs propriam sui substantiam putrescere patietur? Post hęc scripta venit ad manus Roderici à Castro Lusitani liber primus de morbis mulierum, cuius ex scholio in 23. caput quis posset rationem afferre, cur melancholia non sit contagiosa, ibi namque solos morbos vniuersi corporis communicari, ac contagiosos esse scribit; ipse de Cancro loquens, hæc habet " Mirum quod cancer contagio careat, præsertim vlceratus, & qui tetrum expirat, eoq. magis mirari subit, quod eiusdem naturæ sit cum elephantiasi, quæ tamen contagiosa est, nisi dicas contagiosum cancrum non esse, quia soli morbi vniuersi corporis communicantur; Hactenus Lusitanus, sed re vera non arridet responsio ista, quoniam & phthysis, & lippitudines, & disenteriæ malignæ per contagium cæteris impertiuntur, hinc fortè mirum non est si statim subdat eruditissimus author hæc verba „ Non tamen video cur procax humor, & feruens in parte aliqua contentus tetrumque de se expirans vaporem contagionem efficere non possit.

An in hypocondriaca appellata melancholia necessariò semper adsint obstructiones? Cap. VIIII.



MElancholiam hypocondriacam semper cum obstructionibus adesse ex Galeno manifestè colligitur, nam 3. de loc. aff. illè ex Diocle, cui assentitur, ait flatuosos vocatos (& per flatuosos melancholia hypocondriaca vexatos intelligit) suspicandum est, plus caloris, quàm decet, habere in ijs venis, quæ alimentum à ventriculo excipiunt, sanguinemq. in ipsis crassiorem factum, quippè constat, has venas esse obstructas vel hoc argumento, quod alimentum corpori non distribuitur. & paulò post subdit " Aiunt autem nonnulli os ventriculi, quod intestinis continuatur, in huiusmodi passionibus inflammari, ac ob inflammationem ipsam, & obstrui, & prohibere ne alimenta statuto tempore ad intestinū descendant &c. Insuper & lib. 5 de loc. aff. c. 6. hæc habet, " Quippe laborantes huiusmodi morbo post cruditates multò vehementiùs infestantur, ac plures ex ipsis splenici quoque sunt; quocirca conijciendum est ex hoc etiam viscere vitiosā saniem in ventriculum irruere sed splenici non solùm insigni lienis obstructione, sed etiam tumore afficiuntur, præterea cur peius post cruditates habeant hypocondriaci, nisi quia huius morbi causæ obstructiones augeantur? Hinc eruditissimus vir jam in Academia Bononiensi condiscipulus, & amicissimus meus, excellentissimus Augustinus Guarnerius Gymnensis à me per litteras percunctatus, quid in hac re sentiret respondit in melancholia hypocōdriaca necessariò obstructiones reperiri duabus motus rationibus, quarum prior hæc est; Hypocō-

driaca dependet, ex æstu fundi ventriculi, aut alterius partis proximę, (Galenus inflammationem vocauit, sed communiori nomine, nàm ré vera phlogosis, seù accensio est appellanda) sed hic ęstus fit ab obstructione ergo in melancholia hypocondriaca obstructiones adsunt; & minor syllogismi probatur, nàm hic ęstus non dependet ex natura humoris, qui frigidus, & siccus, ergo ex prohibita euentatione, sed euentatio prohibetur vel à nimia copia melancholici humoris, vel ab eiusdem crassitie, quę vtraq; obstructiones gignit, ergo in melancholia hypocondriaca semper obstructiones aderunt; Altera ratio est, quod hęc melancholię species non fit sine materia, sed si fit materia, aderit obstructio, ergo: Maior est certa, namq. ad hoc vt fiat melancholia necessum est, quod vitiosæ euapotationes in caput eleuentur, sed euaporatio non dependet à simplici intemperie, ergo in melancholia requiritur materia & quod (si fit materia) adsit obstructio, clarum etiam est quia si hęc matetia non peccaret copia, vel qualitate, nullā faceret affectionem, alioquin omnes essent melancholici, sed si peccat copia, vel crassitie gignit de necessitate obstrùctiones, ergo semper aderit obstructio. Ceterum & ipse (vt aiunt) pedibus in hanc sententiam venio, quandoquidem non solum in hypocondriaca, quę a locis ventriculo proximioribus dependet, sed etiam in ea, quę a remotioribus, hoc contingere videmus, nàm si ex; gr: ab vtero pendeat, siue ob retentum sanguinem menstruum, siue ob retentum semen, obstructiones adesse fatebimur; Attamen quę venerunt in mentem in contrarium afferre non desistam, tum quia veritas à difficultatibus extricata magis elucescat, tùm quia sue partes quęstiunculę non desint; En vnum igitur suppono, nimirùm ex fęculento, ac melancholico excremento ad os ventriculi illabente melancholica deliria fieri posse, quo concesso, concedendum quoq; erit nulla existente obstructione hypocondriacam melancholiam exoriri posse, nàm nulla existente obstructione interdùm talem humorē ad os ventriculi illabi apertissimè monstrabo; & primò quod melancholica deliria ex fęculento, & atro humore ad os supernum ventriculi irruente exoriantur, ratione à simili desumpta probari potest, nam quemadmodum interdum ex biliosis succis ad os ventriculi superius confluentibus conuulsiones, & deliria oriuntur, ita & melancholicis confluentibus affectiones melancholicas oriri fatendum est; hinc Galenus 1. de sympt. caus. c. 7. delirio, & melancholiis quosdam ex stomachi vitio corripi scripsit, & clarius etiam lib. 6. de loc. aff. c. 1. sic inquiens " Quod verò melancholica męstitia liene excrementa huiusmodi ad os ventriculi transmittente proueniat, antea vbi de orę ventriculi tractauimus, iam dictum est; Quod autem melancholicus humor ad os supernum uentriculi confluere possit nulla existēte obstructione in ipso, nec in alijs hypocondriorum manifestum fit in ijs, qui diutius inediam tolerant, nàm si isti suapte natura ad habitum melancholicum vergant, illorum ventres

tres ob inediā exhausti,& ab hepate,& a proximioribus venis sanguinem atrum,& illius acidas serositates attrahunt,quę non solum ipsius os afficiunt, sed & in cerebrum effumant, vnde, & deliria melancholica, & dysthimias, quas vocat Galenus, nempè mestitias melancholicas inducunt, & præsertim in ijs, in quibus vomitus difficulter excitatur, talis. n. humor retentus vel Galeno teste loco de loc, aff. nuper cit. prædicta accidentia excitat; & quod tandem ob inediam ad os vētriculi confluant, interdum iam dicti melancholici humores, testis est Auic. lib. 3. fen. 13. tr. 2. cap. 1. quorum quidem humorum ad os ventriculi fluxus tam in corporibus obstructione detentis, quàm in deobstructis, ob inediam contingere potest, imo facilius in his tanquā quæ minus tolerent famem; neq; nobis secunda ratio Excellentissimi Pinceti obstat, nàm melancholicus humor in ventriculum non tanta copia illabitur, qui possit in ampla illus capacitate obstructionem parere, ergo minus crassitie hanc pariat, & ad melancholiam inducendam sat erit illius peccatum in nigredine, in aciditate, & in alijs prauis qualitatibus. Præterea si aliquibus immoderatus sanguinis fluor exempli gratia ab vtero contingat (in quibus tantùm abest, vt adsint obstructiones, quin potius venæ nimis apertę sint) & in ipsis melancholicum delirium fiat, proculdubio illud delirium erit per consensum ab vtero, & inter hypocondriacas melancholias enumerabitur, ergo non semper necessario aderit obstructio in hypocondriaca melancholia; Quod autem à sanguinis profluuio delirium oriatur, testis est Hippocrates 7. aph. 9. dum ait „ A sanguinis profluuio desipientia, ac conuulsio malum; & quod tandem ab enarrato profluuio desipientia, seu delirium sit melancholicum, optima ratione elici potest ex doctissimo viro Francisco Valesio in commento eiusdem aphorismi, dùm delirii ex effluxu sanguinis causas reddit, nàm alius modus est (inquit ipse) cum atra bilis, quæ abundantia sanguinis attemperata erat, eius effusione facta est sincerior, ita vt tunc temporis ex atra bile sinceriori reddita, & benigni sanguinis commercio priuata exhalent in cerebrū crassiores fuligines, ac nigre exhalationes eleuentur, melancholici delirij causę. Hæ sunt difficultates, quę me à priori sententia extorquere valerent, nisi ambabus vnica responsione me posse satisfacere putarem, nàm duplici modo hypocondriacam melancholiam considerare possumus vel stabilem, & quæ permanentiam habeat, vel momentaneam, & quę cito desinat, ac pertranseat, non secus ac deprauatæ imaginationes, & deliria, quæ ab ebrietate fiunt; si de priori loquamur, hæc certe absq. obstructione non contingit altera verò proculdubio sine obstructionibus fieri potest, sed hæc, pro vt melancholia est, curatione non indiget, solummodo. n. vel affecto ori ventriculi vel sanguinis fluxui incumbendum est, at in hypocondriaca melancholia, quæ permanentiam habet, non solum ad eius causas, sed ad ipsam quoq. remedia diriguntur; hinc momentaneam medici aut prætere-
runt,

runt, aut neglexerunt, aut de ipsa tanquam de signo dumtaxat pertractarunt, vt Hippocrates in supracit. aph. fecit.

An necessario ventriculus. & præsertim os supernum eius in melancholia hypocondriaca afficiatur? Cap. X.

CErebrum ventriculo: & ventriculum cerebro suas affectiones transmittere, idq. propter neruorum à cerebro ad os venrriculi descendentium magnitudinem scripsit Galenus 3. de loc. aff. c. 7. hoc igitur stante, non in hypocondriaca tantū sed in omni melancholia os supernum ventriculi afficietur; Respondetur non omnes sui affectiones cerebrum ventriculo communicare, sed eas tantum, in quibus ipsum læditur secundum neruosam substantiam, ac membranosam, in melancholia autem cerebrum non secundū eam læditur, sed secundum spiritus animales per medullarem ipsius substantiam disseminatos; sed in eodem loco de hypocondriaca pertractans Galenus hec habuit, „Cum circa ventriculum prima inceperint accidentia, ipsisq. auctis melancholicæ sequantur affectiones, dein de alui deiectione, & vomitu flatibus per inferna emissis ructibusque leuetur, is qui laborat, hypocondriacū, flatuosumq. morbum ipsum nominabimus, accidētia verò ipsius dicemus. & mestitiā, & metū Quibus à nonnullis animaduersis in quacumq. hypocondriaca ventriculum affici pronunciarunt, & ad hoc comprobandum ex eo ducuntur, quia post cruditates, hypocondriaci magis vexantur, & quia etiam si ægri lienis tumore laborent, non alia de causa melancholiam incurrunt, nisi quia ab ipso in ventriculum refluat melancholicum excrementum, quorum testem Galenum adducunt lib. 5. de loc. aff. c. 6. dicentem, „Quippe laborantes hypocondriaca post cruditates dictis accidentibus multo vehementius infestantur, ac plures ex ipsis splenici quoq. sunt quocirca cohijciendum est ex hoc etiam viscere vitiosam saniem in ventriculum irruere, sed quid plura? 3. de loc. aff. iām cit. Galenus scribit, quod cum propria melancholiæ accidentia magna videntur, circa ventriculum vero aut nulla, aut parua admodum sunt, haud abs re existimaueris primitiuam in cerebro affectionem consistere, ob atrā bilem in ipso congestam; quibus vero signis discernatur, an hæc in solo cerebro, vel in vniuerso corpore contineatur, iam antea dixi, ex his igitur in omni hypocondriaca ventriculum affici colligas, nam nisi afficiatur, non erit hypocondriaca, sed vel essentialis, vel per consensum à toto melancholia; Cæteum in quacumq melancholia hypocondriaca os supernum ventriculi lædi & Rudius & Capiuaccius inter reliquos clarius senserunt in proprijs de melancholia capitibus ille.n.in quacumq. melancholia hypocondriaca os supernum ventriculi roborandum esse docuit, ne vapores cerebro communicentur, hic autem quamuis in melancholia hypocondriaca materia pendeat à pluribus

partibus, necessariò tamen affici os ventriculi supernum scripsit, & ad hoc comprobandum vtitur sententia Galeni ex 5. de loc. aff. iam deducta, ità vt, quamuis hypocŭdriaca (inquit ipse) fiat à liene, accidat tamen quia materia impertitur ventriculo, idest orificio superno. Profectò horum opinioni (& si hæc vt plurimum contingere existimem) ego omninò subscribere non possum, quandoquidem in ore ipsius vĕtriculi melancholicus humor non gignitur, nullius .n. humoris genus in eo producitur, qui tamen melancholicus humor in alijs parribus per assationem generari non inconuenit (quare nec etiam ipsius lęsionem necessariam esse rationi consonum est ad hoc vt principes actiones sĕper deprauentur in melancholia ex consensu à partibus, præterea quę nam ratio est in promptu propter quam in ea parte contentus ater humor melancholiam producat? scio eos responsuros fore atrum humorem hic suas vires non sistere, sed eas cerebro per fuliginosas euaporationes imperti ri sed non ne reperiantur viscera, quę nigro, melancholicoq. succo repleta in cerebrum effumare possint, absq. eo quod ventriculo saniem, aut euaporationem istam melancholicam communicent? vterus certe est, qui per plurimas venas, & arterias non tantum vapores verùm etiam & humores in cerebrum demandare potest, nec his vllo pacto ventriculum infestare, & hoc clarissime patet nam quemadmodum ab vtero in mammas progenerando lacte sanguis transmittitur per venas quæ ventriculum non attingunt, ac deinde ex eodĕ lacte interdum in venibus concreto, vel etiam putrescente, & ad cerebum euaporante suboriuntur insanie, vt ex Hippocrate testatur exactissimus scriptor Rodericus à Castro lib. 4. de morb. mul. c. 26. & se hoc obseruasse in quadam muliere refert, sic quoq per easdem venas melancholici humores, ac vapores cerebro communicari poterunt. Neq obstat quod Galenus dixerit hypocondriacos post cruditates peius se habere, quandoquidem hypocondriaci post cruditates magis, vexantur non tantum, quia ipsorum ventriculus flatibus inappetĕtia, distentione, vel alio morboso affectu crucietur, sed etiám quia genitę in eo cruditates aliorum viscerum obstructiones souere, augereque possunt, ex quibus fuliginosę, terrę; euaporationes in cerebrum melancholici delirii causa excrescunt, & Galenus 3. de loc. aff. in hypocondriaca ventriculum affici scripsit non quia semper hoc necessario contingat, sed vt ostenderet melancholiam excitari, si ab atra bile in ventriculo contenta ad cerebrum tolleretur euaporatio veluti fuliginosa fumosaq. conuenit .n. (ait ipse) inter optimos medicos plura accidentia capiti à ventriculo procedere, inter que accidentia connumerat ille capitis dolores & comitialem morbum, sed capitis dolores, & comitialem morbum fieri ex consensu posse non affecto ventriculo quis neget? cur non igitur & melancholia fieri poterit? Præterea om-

nes adducti Galeni loci intelligendi sunt tantummodo de ea hypocondriaca melancholia, quę à ventriculo, & à liene dependet, non autem de ea quę ab hepate, aut ab vtero fit, nã cũ de antedictis tantummodo loquutus fuerit, de ipsis etiam intelligenda sunt, quæ scripsit; Cur autẽ de illis tantùm, nec de aliis verba fecerit, vt Auicennas, respondet, Capiuaccius hoc contigisse, quia Galenus non è proposito sed exẽpli tantum gratia sermonem habuit de affectu melancholico, & hoc obiter dixisse volo; Quod autem in hypocondriacis melancholiis à Galeno non recensitis ventriculus noxam effugere possit, ex eo colligo, quod ipse in hoc affectu, dum lęditur, à melancholico humore læditur vnde, & de melancholia à liene pertractans Gelenus dixit, & in hac coniiciendum esse ex liene in ventriculum melancholicum excrementũ irruere; quo supposito sic argumentor, si ventriculus in aliquo melancholia lædi deberet, in ea profectò magis lædi deberet, in qua melachonlicus humor magis abundat, sed in melancholia, quæ fit per consensum à toto corpore magis abundat melancholicus humor; nec tamen in ea ventriculus lęditur vel teste Galeno 3. de loc. aff. toties iam cit. ergò & in melancholia, quę vel ab hepate, vel ab vtero dependeat, poterit non affici ventriculus, nàm valet propositio, si de quo magis, ergo & de quo minus; Si autem quærat aliquis, cur in hypocondriaca, quę à liene fit ventriculus necessar ò afficiatur, in ea autem, quæ exempli gratia ab vtero fit, possit non affici, Respondebo hoc contingere propter splenicũ rarũ, quem vas breue, aut venosum dicunt, quò quotidie effunditur in ventriculum melancholicus succus ad ciborum coctionem iuuandam, ut Galenus voluit, & ad excitandam etiam naturalem famem, vt Auicennas addidit, hinc est quod à liene malè disposito, & obstructo, ac tumore affecto maior prædicti humoris copia in ventriculum refluit, nam cum lien ab ipso potiùs grauetur, prædictum humorem nec commode recipere, nec rectè, vt deceret concoquere, imò nec statuto tempore detinere valet, ità vt eò, quò se ex superfluis exonerare solebat, nempè in ventriculum tunc maiorem copiam deponat vterus autem, ac venæ ad ipsum pertingentes si nimis repleantur, materia ad alias partes, non semper ad ventriculum necessario regurgitat; Siq. percunctaretur alius, cur melancholicus succus, qui à liene quotidie in ventriculum reiicitur, melancholiam non efficiat, respondetur eum tum inculpata qualitate præditum, tum in modica copia, & in ea quantitate esse, quæ naturales ventriculi actiones sua, qua gaudet, acerbitate, & acciditate adiuuare possit, non autem illi noxam inferre, vti quando vel quantitate, vel qualitate, vel vtraq. simul excedit; Tandem nec si quis prædictis acquiescat, ille vlteriùs sciat tres esse cuiuslibet melancholiæ gradus, ita vt hypocondriacam melancholiam, incipientem, progressam, atq. confirmatam considerare,

re, possimus; si igitur ipsam incipientem, & in primo gradu existentem accipiamus, dicimus re vera fieri posse nulla ventriculo noxa communicata, si verò ipsam progressam, atq. eo magis confirmatam spectemus, hanc certè absq. ventriculi læsione adesse non posse fatemur; progrediente .n. morbo copiosè adeò, ac frequentes & fere continuæ suę euaporationes tenebricosæ, quæ in ventriculum quoq. permeent, & ita ipsius coctionem perturbant, atq. eiusdem vires languidiores reddunt, ita vt & ipse in his hypocondriacæ melancholiæ gradibus necessariò coafficiatur, qua propter Galenus ac cæteri authores, qui in hypocondriaca melancholia ventriculum lædi scripserunt, de progressa, ac confirmata intelligendi sint, nequaquàm autem de omni melancholia hypocondriaca incipiente cum hæc vt ostensum fuit, etiam absq. læsione ventriculi possit existere.

An in melancholia hypocondriaca semper adsit hypocondriorum phlogosis, seu accensio? Cap. XI.

Diocles ille ex Galeno 3. de loc. aff. ait flatuosos vocatos suspicandum esse plus caloris, quam decet, habere in iis venis, quę alimentum à ventriculo excipiunt; & paulo post addidit nonnullos dicere os ventriculi, quod intestinis continuatur in huiusmodi passione inflammari; cui quidem opinioni Galenus & ipse subscribit, ita scribens,,, Atq. videtur quidem in ipso inflammatio esse, sanguis autem in parte inflammata contentus & crassior, & magis melancholicus. Alia ex parte Auiccennas lib. 3. fen. 1. tr. 4. c. 18. concedit quidem huiusmodi melancholiam, quàm mirachiam vocat, fieri posse ex mesaraicarum venarum apostemate, sed ait hoc apostema, vt plurimùm, non esse calidum, ex quo fortè nonnulli adductam Galeni sententiam improbarunt, dicentes necessariò in hoc affectu, si in eo adesset inflammatio, febrem reperiri debere, non secus, ac in aliis inflammationibus internis, ac morbum necessariò acutum fore, cum tamen, neq. febris adsit, neq. acutus sit affectus, vt qui in multos menses, imò & annos producatur sæpe. Hallucinantur tamen, qui Galenum per inflammationem verum tumorem inflammatorium, seu phlegmonem intellexisse volunt, cum ipse eo loci per inflammationem phlogosim seu accensionem quadam pylori subaudiuerit, nec Auicennas meo iudicio per apostema, verum tumorem intelligit, sed quemdam potius crassę, ac frigidæ materiæ affluxum, vt alibi etiam sui moris est, quam tamen eodem capite non negat in venis mesaraicis inculcari, ibique obstructiones excitare, vt tandem, ex ea calefacta, atq. alsata tenebricosus vapor in cerebrum eleuetur, qui melancholiam inducat; obiicere; tamen isti solent, qua de causa, si tanta caliditas adsit, febris nō reperiatur, aut saltem sitis, quæ necessariò adesse deberet, sed potius

adsint flatus, fluctuationes, & ęgri plurimùm expuant, ructus acidos percipiant, interdumq. acidam adeò pituitam euomant, vt dentes etiam tori ore afficiantur, quæ non calidas certè, sed frigidas insequi ventriculi intemperies ratio suadet. Respondetur primò febrem non sequi, quoniam, & si à phlogosi ista humores adurantur, non tamen putrescunt, vt febris propter putridas fuligines in cor effumantes accédatur, nec tanta etiam caliditas est vt, in vera inflammatione, quæ partem post partem calefaciendo cor apprehendat, & febrem excitare possit, sitis verò non fit, qnia os ventriculi supernum humida copiosaque semper scatet materia (vt plurimæ, ac frequentes expuitiones cōmonstrant, quę siccitatem prohibens, sitim etiam arcet; verum qua de causa flatus, fluctuationes, ac cętera frigiditatem attestātia symptomata excitentur, ratio non deest, nām dum ab insigni calid tate humores adassantur eleuatur fuliginosa quędam euaporatio, quę cum in ventriculo cibis cōmisceatur, coctionē perturbat, ac fluctuationes excitat quoad calore vlteriùs operante ructibus, aut aliter eleuentur ęgri; nec præterea mirū est cibos parū prospere concoqui in ventriculo, in quo calor præternaturalis vigeat, cū hic destruens nō concoquēs sit: Hinc etiam plurimùm expuunt hypocondriaci, quia & si calida, & sicca sit affectio, læsa tamen ventriculi coctione ipsis copiosē, ac frequenter expuendi occasio suggeritur; Addunt alii tandem in huiusmodi melācholia ægros calidis semper medicamentis tractari, cum assidue attenuantia, detergentia, ac calefacientia præscribantur à medicis remedia quare si curatio morbum ostendat, hunc affectum frigidum, non calidū in pręsentia ostendit, quæ difficultas certè primo aspectu aliqua videtur sed rebus intimius perpensis nulla fit, cum n. ab obstructionibus phlogosim hanc prouenire diximus, & materia obstruens in hoc affectu crassa, ac viscida sit, pertinacissimeq. adhereat mirum non est cum eradicari debeat, si prius attenuanda, detergenda, ac calefaciēda sit, etiam si ratione huius materiæ fiat affectus veluti inflammatorius, si n. refrigerantibus vtamur, materia magis pertinax reddetur. Hic tamen non aufugiant illi documentum magni Auenzoaris memoria dignum, scilicet, vt è validis, atq. admodum calidis medicamentis abstineamus, cum viscera sint incensa in hoc morbo & præsertim mesaraica, atq. iecur. Quod magis negocium facit, nec adhuc extricauimus, sunt acidi ructus, qui potius nidorosi esse deberent si tanta caliditas vrgeat, etenim ex Galen. 2. de alim. facult. c.6. & in 6. Epid. com 3. t. 25. in ventriculo calida, ac ignea qualitate prædito fit corruptio ad nidorem, cuius corruptionis index est nidorosus ructus, non secus ac acidus est index corruptionis, quæ ad aciditatem fit in ventriculo frigido ex 3 de sympt. caus. cap. 1. Hanc difficultatem facile enodare possumus cum Tralliano, quem sequutus est Auerroes, qui tàm à

cali-

calido, quam a frigido aciditatem fieri voluit. sed quia ipsum in hac re plurimi suspectum habent, n s inferius aliter huic difficultati satisfaciemus, Reliquum est, vt summatim dicamus quod Diocles, & cum ipso Galenus, dum de melancholia hypocondriaca verba fecerunt non de melancholia à quolibet hypocondriorum proueniente, sed de ea, quæ præcipue ventriculi vitio, aut venarum mesaraicarum fit, intellexerunt, quæ sane melancholia necessariò cum accensione coniuncta est; nisi .n. ibi adesset accensio, non possent aduri humores, ac in atrā bilem conuerti. ex quibus, aut ex eorundem saltem vaporibus cerebrum, atq. animales spiritus coafficerentur, nec nobis obstat Ludouicus Mercatus de inter. morb curat. lib. 1. cap. 17. dùm tres modos generationis melancholiæ hypocondriacæ proponens, in secundo adducit ventriculi frigiditatem non solùm priuatiuam, quæ ob proprii caloris, & spirituum dissipationem contingit, sed etiam positiuam quæ in acorem commutet alimenta, quandoquidem in ventriculo simpliciter frigido etiam si acida pituita generari possit non tamē melancholicus humor generab:tur, ex quo melancholicum delirium excitetur; fortè quis addat à ventriculi nimia frigiditate crassos humores produci à quibus fiant obstructiones, proptèrquas. sanguis illuc transmissus dū ventilari nequeat, aduratur, atq. ita ob prohibitam etiam transpirationem æstus inuadat; si vero de melancholia ab aliis hypocondriis originem trahente sit sermo, & cum hac fere semper illius partis, à qua nascetur, accensio coniuncta erit, siue .n. sit hæpar, siuè renes, hæc viscera vel absq. vlla obstructione, sed sola ingenti caliditate humores adurunt: nec quia hæpar toti corpori alimentum producat, ob id non ab hypocondriis, sed à toto tunc melancholiam per consensum oriri proferat aliquis, quia vario caliditatis gradu hepate affecto, ea humoris melancholici copia ab ipso generari potest, quæ non in totum corpus distribuatur, sed aut in cerebrum aut in ventriculum tantùm, tamquā imbecilliora interdū ac male disposita trāsmittatur; & in hoc casu non calefaciendi, sed euacuādi ac refrigerādi oritur indicatio. Lien verò mesenterium atq. vterus. dū hypocondriacā inducunt melāchol:ā, ob structione laborāt, ad quā æstū seu feruorē sequi necesse est, quo casu, non inconuenit respectu diuersorū, & calidā & frigidam vigere intemperiē, potest .n. hæpar summa caliditate, vētriculus vero frigiditate affici quod etiam esset in causa, vt calidæ ac frigidæ simul intemperiei symptomata excitarentur, quēmadmodū non raro in hypocondriaca obseruatur, diximus autem accensionem fere semper adesse, non autē perpetuo, quia interdum, rarò tamen ex liene non obstructo, ac proprerea non æstuante in ventriculum succus melancholicus effundi potest, quia ad cerebrum tetros vapores emittat, eiusq. actiones lædat, qua ratione collecto in vniuerso corpore nigro humore citra ob-

strusionem

obstructionem aliquam læditur mens nonnunquam, eadem prorsus ob transmissum eumdem humorem à liene vel alia quauis parte in ventriculum idem symptoma excitari posse non est dubitandum, potest præterea ob frigidam præsertim atq. humidam intemperiem attractrix lienis facultas adeo, imbecilla esse, vt à fæculento sanguine hæpar minimè expurget, imo quod magis est, potest lien frigidissimo morbo detineri, nempè scyrrho iam consummato, atq. perfecto, ita vt fæculentũ sanguinem non attrahat, vel attractum recipere non possit, vnde in vētriculum remeans nigerrima fęx melancholiam excitare valet. [Hæc certè concedi possunt, vbi melancholia hypocondriaca momentanea est, sed si permanentiam habeat, & inter chronicos morbos reducatur dicendum est, quod quemadmodum ista sine obstructionibus esse nequit, ita nec sine efferuescentia, seu phlogosi; & quod de lienis scyrrho consumato ferunt, verum est, attamen melancholicus humor in ventriculum regurgitans tractu temporis nouas nducet obstructiones, ex quibus phlogosis insurgat, ita vt breui persistant illi hypocondriaci absq. æstu & incalescentia, & hinc vt diximus, frigiditatis, & caliditatis, vt plurimum permixta signa in hypocondriacis spectentur. Sed hic aliquis obiiciat, cur non quotidiè ista melancholica affectio producatur, si quotidie melancholicus humor à liene in ventriculum trāsmittitur, at in superiori quæstiuncula huic dubitationi satisfactum est, addere tamen possumus quod dum pauca, atq. ideò debita portio succi melancholici, quæ quotidie in ventriculum naturaliter deducitur, nó multũ refrigerat, sed potius corrugando ventriculum coctionem adiūuat; cum verò magna copia istius succi petit ventriculum, refrigerat fundum ipsius atq. debilem reddit ventriculum vniuersum, & reprimit ipsius calorem naturalem, à quo perficitur concoctio, vnde fit, vt cōtingant affectus melancholici, nam ventriculus effumans ad cerebrum principes actiones peruertit. Hinc igitur tandem ex rei natura ratione desumpta, non difficile erit afferre causam (hoc .n. restabat) cur acidi ructus, & vomitiones acidæ interdum ab æstuante, ac calido ventriculo proueniant, scimus .n. sanguinis fæcem, seu melancholicum succum ad acidum saporem inclinare; & hunc quotidie à liene in ventriculũ excerni, & scimus ad hoc (vt hoc maximè ad huiusmodi negocium facit) quod si talis humor aduratur, maximè acescit, ita vt sanguinis fex adusta, quæ propriissime atra bilis appellatur acidissima sit, quare in ventriculo phlogosi laborante istum humorem aduri, & ob id acidũ admodum euadere credibile est; modo quid mirum si alimentum, ac reliqui excrementitii humores in ventriculo existentes ex permixtione illius acidissimi succi acescant? si .n. in vini cyatho aliquot tantum guttulas acerrimi aceti superinfundas, totum vinum aciditatem acquirere facile percipias, acida .n. maximè penetrāt, ac propterea valde
sensibi-

sensibilis qualitatis se se produnt, Cęterum cum de melancholia, quæ ad ventriculum quotidiè a natura transmittitur, sermonem habuerimus, non esset ab re interim discutere an ipsa ad excitandam appetentiam tr nsmittatur, huius.n vsus cum Galenus non meminerit, & ipsius author f ierit Auicennas, facile controuersia exorta fuit; sed ne à proposito scopo i er deflectamus, cuilibet in hac re Valesium, & Mercatum doctissimos viros inuicem pugnantes consulere fas erit, & eam, quę magis arrideat, opinionem amplecti.

Cur in hypocondriacis interdùm itàpulset arteria dorsi, vt ictus manif stè persentiatur ab ipsis? Cap. XII.

SI pulsus insit in hypocondriis delirium, aut perturbationē significare scripsit Hippocrates 1. prognost.t.28.& Mercatus per hanc vocem perturbationem melancholicum delirium interpretatur lib. 1. de intern.morb. curat.c.11. ità vt non solum arterię iuxta dorsum sitę vehemētiorem pulsationem quam pro naturę lege conueniat, sed etiam aliarum arteriarum, quę iuxta hypocondria sitę sunt, pulsationem excedentem animaduertere liceat in melancholia, & pręsertim hypocondriaca, vnde & excellentissimus Iul. Cæsar Cla dinus fœlicissimę recordationis, & Bononię praeceptor meus nūquàm satislaudatus in suarum consultat.medicin. 35. arterię pulsationem ad ventriculi fundum in hypocondriaca melancholia nob li Forolimiensi laborante proponit: imò & Valesius in eumdem locum Prognost. commentariis scripsit, quod & in cubito puls s significat delirium, aut furorem ex eodem Hippocrate 2. Epidē. & Galenus in comm. in eundem locum Epidem. vbi de Licia habetur sermo, ait, & suspicandum fere etiam mulierem delirasse, quæ verba valde consentiunt i s, quæ scripsit lib. Quod animi mores. &c. c. 8. ibi n. sic inquit, " Quorum vena in cubito pulsatu mouetur, hi furētes sunt, & iracundi, & per venam arteriam intelligendam esse declarat idem Galenus, dùm subdit venas.n & ipsas arterias veteres appellabant, sic & Fernelius, vt refert Mercatus lib. 2. de morb. mul. c. 7 existimauit arterias quoq. mesenterii dùm inflammantur, id est dum phlogosim patiuntur (quod maxime in melancholia hypocondriaca contingit) subsultum illum pręferre, quippe contingit, in fęminis maxime subdit Mercatus) subsultum illum sentiri in toto ventre, & potissimùm iuxta ipsius fundum vsq. ad vmbilicum, sed harum arteriarum motus longe minor est eo qui iuxta dorsum sentitur nec adeo frequenter contingit, vt ille; Dorsi igitur arteriam adeò pulsare interdùm obseruatur, vt non solum tactu, sed visu etiam manifeste admodum percipi possit, quam quidem pulsationem plures ob causas contingere

dubitandum non est, & primum ob plenitudinem venę cauę à crasso, & calefacto sanguine, nam maior ramus venę cauę adiacenti arterię damnum communicat, & tūc maioris mali præludium pulsatio esse solet, namq. sic affecti causone laborant orto à plenitudine ex phlegmone venæ cauæ, quos decima quarta die mori 2. curati acut. mor. c. 7. scripsit Aręteus, & illa pulsatio subito accidit & cum magnis symptomatibus, qua de causa hoc symptoma, & in illis etiam qui melancholici non sunt, euenire potest; imo affectio hæc ex tali causa, suborta, nisi in sanguinis fluxum ex pulmone, aut in breuem mortem commigret, vt idem refert Arętęus, in maniam tamen, aut tristem, & immedicabilem melancholiam dubium nō esse quin ocissime degeneret. scribit Mercatus de morb. mul. c. iam cit. & hoc, (vt ego existimo) quia ab exusto sanguine tum acres vapores, tum tenebricosi in cerebrum eleuentur, quo in casu non erit melancholię hypocondriacæ superueniens symptoma, sed illius potius causa; Secundo huiusmodi pulsationem efficit visceris alicuius calor acris, & mordax, cuius consensu arteria incalescit, & vis augetur, subindeq. maior concitatur motus, quod gracilibus, & melancholicis ob humorum adustionem frequētius euenit ex mesenterio, & adiacentibus visceribus, & sensim pulsatio accidit, gradatimq. augetur, & hęc melancholię hypocondriacę non incipientis, sed iam progressę, & consumatę signum extat; Tertio addūt nonnulli visceris alicuius, aut mesęrei obstructionem, volunt .n. arteriam ab obstructione, aut à re dura compressam vehementius pulsare tum quia debitum spatium obstructione impeditur, tum quia obstructionis causa partes vicinę debiles redditę debite ventilari nequeant, sed in hanc causam non omnino inclinat animus, experientia .n. patet, quod si medicus, dum tangit ægrotantis pulsum, nimis arteriam comprimat ipsum minus percipit, ac tandem plures lienis scyrrho detineri obseruamus, qui tamen ab huiusmodi pulsatione omnino sunt immunes, idcirco huiusmodi pulsationem per se nunquam meo iudicio effecerit obstructio, nisi ipsi phlogosis, seu accensio supetueniat; Hanc certe obstructionem puto esse in causa, cur in hypocondriaca melancholia, non semper magnę arteriæ iuxta dorsum persentiatur pulsatio, sed interdum etiam iuxta ventriculi fundum, quemadmodum obseruauit amatissimus Claudinus, hoc.n aliquis petere potuisset, cui responsum sit, hoc prouenire ex obstructionum vario situ, nam si hę comprimant arteriam ad anteriorem partem (vt frequentius euenit) pulsatio iuxta dorsum percipitur, nam cum non possit arteria eo vehemētiorē ac per consequens ampliorem motum extendere, vbi comprimens, dilatationem impedit, necesse est vt eo extendat, vbi adiacentia non tensa, ac dura sunt, sed sua mollitie cedunt; si vero ad posteriorem comprimant, tunc quoq. iuxta ventriculi fundum pulsatio percipi possit;

possit, sed in hac re à nemine, quem ego sciam, fusius adhuc perscrutata, prudentiori iudicio non inuitus subiecero.

An in melancholia per consensum à toto temperatura corporis frigida & sicca sit? Cap. XIII.

GAlenus lib: 2. meth. c. 2. melancholiam à causa putatam denominationem habuisse scripsit, nempe ab humore melancholico, qui frigidus, & siccus est, sed frigido abundãte succo frigidam quoq. totius corporis temperaturam statuere debemus; prætereà cum melancholia sit morbus frigidus, & siccus vel Galeno teste 1. de temperam. c. 3. & adhuc inter chronicos morbos reponatur ex eodem in 6. aph. 47. nonne à ratione alienum esse videtur existimare frigidum morbum, eumq. diuturnum in copore calido posse diutius persistere? Idem tamen Galenus 2. de temperam. cap. vlt. ait, si quis à primordiis sit frigidus, & siccus, hunc non melancholicum, sed pituitosum esse; quare ex hac sententia elici videtur in melancholia à toto corporis temperaturam esse potius calidam, quam frigidam; quod confirmatur etiam dum à caliditate, non à frigiditate copiosum humorem melancholicum produci plurimi medicorum testantur, & idcirco Galenus 3. de loc. aff. c. 7. non molles candidos, & obesos, qui frigidi temperamenti sunt sed macros nigros, & hirsutos, & quibus venę latę sunt (hi .n. calido prędití sunt temperamento) aptissimos esse, vt in ipsis melancholicus humor cumuletur, memoriæ prodit; Amplius melancholicos à toto optimè coloratos videmus, & sepe prærubros, quod potius caliditatem, quam frigiditatem arguit. Vnde Galenus eodem loci subdidit fieri interdùm, vt prærubro colore homines affatim in melancholicam temperiem decidant; Verum cum plura, quę ad huiuscemodi disputationem facere possent, iam in ea quęstiuncula, vbi agitur an melancholicus humor à calida vel frigida causa producatur enarrata sint, non est vt eadem frustra repetamus, & præsertim cum faccillime hęc lis conciliari possit, si quamlibet intemperiem vel natiuam, vel adscititiam esse animaduertamus, & ideo in melancholia à toto corporis temperatura excedens, & calida, & frigida esse poterit, diuersis tamen temporibus, cum se mutuò non patiantur contraria in vnico subiecto, calida erit in melancholia non adhuc progressa, & consumata, sed incipienti, & hæc natiua erit hępatis, ac totius corporis caliditas excedens, quæ etiam cum adscitia coniungi potest, & in hac melancholici prærubri esse solent, & de hac loquutus est Galenus 2 de temperam. suprà cit. In progressa autem & consumata melancholia, non calida amplius, sed frigida iam facta est totius corporis temperatura, nam qualitas humoris melancholici frigida & sicca tractu temporis cuilibet particulæ communicatur, hinc Galenus in arte medica c. 59. dum corpus calidum,

lidum, & ſiccum euadit frigidum & ſiccum melancholiam dominati ſcripſit.

Cur eorum, quæ infeſtante melancholia propter conſenſum agunt melancholici, poſteà non recordentur? Cap. XIIII.

MEmini me diù victitaſſe Bononię in ędibus cuiuſdam Reuerendi presbyteri Io: Dominici Pariſſii, qui per aliquot annos melancholia hypocondriaca interuallatim fuit afflictus, ac tandem opę Excellentiſſimi Claudini præceptoris amatiſſimi omnino liber euaſit; Reuerendus hic vir dum melancholia vexabatur, ſe inter triduum certo moriturum fore exiſtimans notarium accerſiri iubebat, vt facultates legaret, ſacerdotem, vt ipſi confiteretur commiſſa crimina, ac mercatores tandem quibus ſuppellectilem venditaret, & hæc aſſiduò iubens ob mortis, quam propè imaginabatur, timorem, ſuſpiria plurima, multaſq. lachrimas effundebat; paucis deinde tranſactis diebus reſipiebat, nec vllo amplius melancholico affectu vexabatur, præteritorum tamen, quę egerat infeſtante melancholia nullo pacto recordabatur; Huius autem euentus cauſam nonnulli putant eam eſſe, quam nos docuit Galenus lib. 2. de ſympt. cauſ. c. 7. nimirum obliuionem ex refrigeratione creari, ita vt in melancholia, quæ per conſenſum fit, ex præſentia melancholici humoris, vel vaporis ad cerebrum tranſmiſſi, eiuſdémet cerebri frigiditas inſurgat, quæ prędictę obliuionis ſit cauſa, Attamen nullo pacto arridet hæc ratio, nàm quemadmodum intemperies non ſtatim inducitur, ita nec ſtatim recedit, ſed tractu temporis introducitur, & introducta tractu etiam temporis ſuperatur, & decedit, quare veriſimile non eſt, vt in melancholia hypocondriaca quę non ſemper affligit, ſed quaſdam acceſſiones habet, tam cito producatur iſta cerebri intemperies frigida: ac tam cito etiam recedat, nam niſi recederet, & ipſa obliuio perſiſteret, præterquam quod, ſi quę melancholia fieri poſſit abſq. cerebri intemperie (vt re vera fieri poſſe nos iam oſtendimus in primis ſermonibus) hypocondriaca pręſertim melancholia eſt; Aliò igitur confugiendum eſt, & ne a Galeno recedamus, huius rei cauſam omnino in timorem referendam eſſe arbitratus ſum ego, nam cum timore melancholia ſemper eſt, cauſam vero, cur eorum, quę in timore agimus, non recordemur, aſſignat Galenus 2. de motu muſculorum c. 6. eam & in obſcuras, & in ſuperficiarias rerum impreſſiones referẽs; in timore .n. & aliis vehementibus animi affectibus tota mente non ſimus intenti, ne res quas agimus in memoria benè imprimatur euenit. Quod certè ab Ariſtotele deſumpti libello de memor. & remin. c. 1. dicente, iis, qui in motu multo propter paſſionem ſunt, non fieri memoriam; nec difficultatem facit, quod melancholici valde fixas habeant proprias imaginationes, ita vt inſignes rerum impreſſiones fiãt

neq.

neq. idcirco obliuisci debeant, quandoquidem eorum, qui hypocondriaca melancholia vexantur, proprium est circa nonnulla tantum peculiaria phantasmata imaginationem fixare, in isq. toti versantur adeo, vt reliquorum, quæ agunt non recordentur postea. Sic Reuerendus ille vir mortem se valde timuisse recordabatur, circa peculiare .n. illud mortis phantasma fixam, totamq. habebat imaginationem, cæteror. vero, quæ dum illa melancholica accessione detinebatur, agebat, penitus obliuiscebatur, cum totus .n. mortis timori esset intentus quamuis illius causa alia plura efficeret, ea tamen non imprimebāt ut qua propter nec illa conseruare memoria poterat. Adde quod in prædicta melancholia pręterquam quod non benè res imprimantur, sed superficiarè, obscure etiam memorię repręsentantur ab imaginatione propter tenebricosum spiritum animalem pręcipuā melancholię causam, qui species, ac rerum phantasmata recipiens ab vna ad aliam potentiam defert.

Cur ex melancholicis nonnulli Lunatici appellentur? Cap. XV.



LVnaticus, & lunaris morbus antiquitus appellabatur comitialis morbus, vt testis est Aręteus, quia flagitiosis hominibus à luna immitti existimaretur, vel quia lunę circuitus sequatur, vt alii inferunt. vel quia in interlunio nati huic morbo obnoxii existimentur, sed ad rem nostram; lunatici quoq. vulgo appellantur, ii, qui quibusdam lunę mutationibus, delirio, & melancholia infestantur, hinc Ludouicus Mercatus de intern. morb. curat. lib. 1. cap. 18. hoc habet, "Dimitto aliquando ob lunę motum, quem sic affecti in deliramentis obseruant, lunaticos esse appellatos; & in sacris literis c. 27. Ecclesiastici legitur, quod stultus sicut luna mutatur; Constat igitur ad lunę motus & hosce morbos moueri: Modo cur hoc fiat, non omnibus est eadem ratio alii. n. putant hos morbos, quia sint cerebri morbi, nempe membri humidioris, cum luna moueri, quandoquidem hec sit humidum planeta, & tunc præsertim, cum valentior est, increscens scilicet, nam lunam humiditates augere in plenilunio constitutam omnes scribunt authores; hinc Plinius lib. 9. c. 31. cancros & similia ostracea animalia in plenilunio augeri, & pinguescere scripsit, quod ante ipsum 4. de part. animal. c. 5. prodidit Aristoteles, Alii vero (& inter hos Peripatetici sunt) qui lunam calefacere, & siccare censent, vt ipsum solem, & eo quidem tanto minus, quanto repercussum, quam rectum lumen debilius esse par est, non in plenilunio, sed in interlunio, seu decremento lunę hosce morbos inuadere malunt, tunc. n. humiditatem excrementitiam ob defectum caloris magis redundare asserunt, & hæc est etiam causa, ob quā menstruę mulierum purgationes decrescente luna potius fiant, ita vt non hęc in lunę humiditatem, siue eius temperamentum referenda

sint, vt putant Astrologi, sed in ipsius lumen quo .n. (vt optime notat Valesius in sua sacra philosophia c. 71.) luna plena à vacua differt, nisi solo lumine? nam cætera eadem habet; id autem lumen solare est, à sole .n. accipit, solem autem ipsum non aliter, quam lumine calefacere ac proinde in hęc inferiora agere verissimum ęst; Hinc igitur manifeste apparet noctes plenilunii calidiores, & sicciores esse, quam interlunii, atq. adeo lunam eadem præstare, quę sol, & si debilius; quare Aristoteles 4. de generat. animal. cap. 2. scripsit solem per totum annum hyemem, atq. ęstatem facere, at lunam per mensem id agere; idq. ita fieri non accessu, discessuq. lunę, sed alterum increscente luce alterum decrescente, & eiusdem libri cap. vlt. idem profert, dũ hæc habet" luna autem principium est propter solis societatem receptũq lucis, fit.n. quasi alter sol minor, hinc merito luna solis vicaria appellari potest lumen ab illo accipiens, vt illius vice nocti, quemadmodũ sol diei, pręsit, luna igitur per lumen habet vim calefaciendi, quare ea diminuta, aut omnino deficiente merito euenit augeri excrementitias hmiditates, ob defectum scilicet caloris, qui coctiones adiuuabat, hinc in pleniluniis cancros, & ostracea animalia augeri videmus, quia calore, & lumine adiuta fælicius nutriuntur, Vnde Aristoteles 4. de part. animal. cit. testacea pleniora esse in pleniluniis scribit, non quia per id tempus copiosius pascantur, vt quidam putant, sed quod noctes tepidiores sint propter lucem pleniorem, calorem.n. desiderant, quoniam frigori patent, vt pote quæ sanguine careant, & Plinius pariter loco iam cit. in pleniluniis hoc contingere ait, quia nocte sydus, scilicet luna tepido calore mitificat; His tamen ita se se habentibus, nihil obstat, quin luna etiam plena humidos morbos possit augere, non quia frigida, & humida, sed quia calor pendes ab illius reflexo, ac mutuato lumine sit tepidus, talis .n solet humiditates plus fundere quam resoluere, atq. ita augere, & mouere, non secus ac tepidum balneum, & vernus calor fluxiones moueat, vnde Plinius lib. 2. c. 9. ait lunam solis fulgore, vt reliqua sydera tegi, & in totum mutuare ab eo lucem ac fulgorem, qualem in repercussu aquæ volitare consp cimus; & ideo molliori & imperfecta vi soluere tantum humorem, atq. etiam augere, quem solis radii absumant, Constat igitur nonnullos esse morbos, qui luna crescente, alios vero qui decrescente augentur & hos lunaticos appellari, talesq. pręcipue esse cerebri morbos, quia id sit membrum multa scatens humiditate, quæ aut in plenilunio fundi, aut in interlunio augeri possit; nam quę concreta, frigidaq. erit humiditas, non nisi magno calore, qualis lunę non est, fundetur sed frigore vel moderato, quod in interlunio contingit, augebitur, cuiusmodi erit pituitosa, ac vitrea, quę vero exusta, & calidior erit frigore non augebitur imò compescetur potius, sed calore vel mediocri fundetur, cuiusmodi erit biliosa, atrabilaris, & exusta, ergo insanis, melancholicis, & epilepticis ex atrabile crescet malum cum luna, Epilepticis

vero

vero ex pituita, & crudis succis decrescente crescet, & in interlunio maxime urgebit, sic & melancholicis ex corrupta pituita.

Cur studijs valde addicti, & præsertim philosophiæ, melancholici sint? Cap. XVI.



Os omnes, qui excelluerunt vel in studiis philosophiæ, vel in Repub. administranda, vel in carmine pangendo, vel in artibus exercendis, melancholicos fuisse asserit Aristoteles 30 sect. problem. 1. vbi etiam causam assignat, & diffusè, cur melancholici ingenio clareant, ac propterea, in prædictis studiis excellant, non tamen vice versa cur scilicet, qui in prędictis studiis excellunt, melancholici sint, nec .n. credibile est conuertibilem semper esse propositionem istam, nec semper melancholicos studiis excellere, cum ipsi studiis possint non vacare, & studiis non raro sanguinei, vel biliosi temperamenti homines vacare possint, quibus si diutius, & attentius incumbant, & ipsi melancholici euadent (imò si parum suæ valetudini consulant facile, vt inquit Aristoteles, in vitia atræ bilis labūtur, & præsertim in melancholiam morbosam) cur autem hoc fiat, ratio perquirenda est; Triplicem assignat causam huius euentus Marsilius Ficin. lib. de triplici vita 1. c. 4. cælestem naturalem, & humanam. Cælestem in Mercurium, & Saturnum frigidos, melancholicosq. planetas, & studiorum patronos, ac veluti tutelares quosdam deos reiicit, quoniam Mercurius, vt doctrinas inuestigemus, nos inuitet. Saturnus vt in doctrinis indagandis persistamus, inuentasq. seruemus efficiat, sed pace tanti viri in hac re falli videtur, quia præterquam quod hæc sunt deliramenta Astrologorum astris temperamenta tribuentium, & vim arcanam, oporteret quosq. sapientissimos non iouiales, aut solares sed saturnios, aut mercuriales esse, quod experientiæ repugnat; qui .n. pulchro (inquit Valleriola lib. 6. enarrat. medic. x.) quadratoq. corpore, suaui, & placidè colore, optimoq. habitu, & bene carnoso cōstant, hos iouiales, solaresq. esse Astronomi censent, at ex istiusmodi hominibus plerosq. est videre, & magno, atq. excellenti ingenio præditos, & ad maxima quæq. obeunda, fæliciterq. gerenda natos, quales & olim multos extitisse, & nunc quoq. esse perspicuum est, adde quod & nulla ratione probare possunt Astronomi hanc vim à Saturno atq. à Mercurio prodire. Naturalis vero causa ea affertur à Ficino, quod ardua meditantem necesse sit omnino animum ab externis secessibus ad internos reuocare secessus, hoc est à circumferentia ad centrum; ad centrum verò è circumferentia colligi, figiq. centro terræ maxime proprium esse videtur, cui atram bilem proportione quādam respondere naturæ scientissimi volunt; igitur atra bilis animum, vt se colligat in vnum, & sistat in vno, quod veritatem sit meditando adeptus sane prouocat. Sed hæc ratio tota magis analogica quadam, &

recta

recta comparatione, atq. similitudine, quam proprietate constat; Tertia vero, & humana appellata à Ficino, quæ ab effectis ducitur, nempe ab his, quę in nobis ab studiis proueniunt, & quam maxime naturalē censemus, propria magis & verior est & hæc in crebram mentis in studiis agitationem refertur, ob assiduum.n. contemplandi, & inquirendi studium, quo vehementer animales spiritus commoueri oportet, magnam in illis fieri resolutionem conspicimus, ad quos resarciendos cū purior, & tenuior, sanguis insumatur, hinc reliquus, qui superest, necessario densus, frigidus, ater, siccusq. redditur, vt totus in atrabilariū quasi degeneret; cur autem inter cæteros, præsertim qui philosopię addicti sunt, melancholici euadant, ratio est, quia in philosophia indagāda mens hominis magis laborat & attentius; Experentia igitur constat, eos omnes, qui in studiis floruerunt, vel natura, vel studio melancholicos esse effectos, iam de iis, qui studio tales effecti sunt, egimus; modo perquirendum remanet, an qui natura melancholici sint, ad artes, & scientias capessendas cæteris prestent, ac sapientiores sint.

An melancholici sapientes sint? *Cap. XVII.*


Elancholicorum alios morbosos esse, alios intra sanitatis limites constitutos nullus est qui ignoret; illi tantum abest, vt sapientes, ac prudentes sint, quin potius ab omnibus habeātur insani, ac delirantes sint: hi autem ad huc variæ sortis sūt quare quinam sint ex iis ad prudentiam aptiores nunc perquirendum est, Aristoteles 30. sect. problem. 1. ita scripsit; "In quibus multa & frigida bilis est atra, hi stolidi sunt, & ignaui, in quibus permulta, & calida, ii perciti, & ingeniosi, amatii, propensi ad omnem excandescentiam, & cupiditatem, nonnulli etiam loquaciores, multi etiam propterea quod ille calor sedi mentis in vicino est, morbis vesaniæ implicantur &c. Atquibus (mox subdit) minus ille calor remissus ad mediocritatem, fit, ii prorsus melancholici quidem, sed longè prudentiores, & quāquam aliqua in parte minus excedant, multis tamen in rebus ceteris sunt omnibus præstantiores, alii in studiis literarum, alii in artibus, alii in Repub. ita vt ex Aristotele multa atra bilis non frigida, quia hec stoliditatem, non calida satis, quia hæc excandescētiam, & furorem potius inducit, sed mediocriter calida ad sapientiā, atq. prudentiam faciat. Quomodo autem ista mediocriter calida reddetur? Certè ad melancholicum succum calidum constituendum, atq. efficiendum vel sanguinis, vel flauę bilis (hi.n. in nostro corpore sunt humores calidi) multum illi vt adiiciatur necesse est; At si mediocriter calida esse debeat melancholia ex Aristotele ad sapientiam efficiendam, profecto sanguis ipse, cuius naturalis caliditas mediocris est, non flaua bilis, quę intensiorem habet caliditatem, id præstare dicetur, & summa cum ratione, quia non tantum caliditas, sed sic-

citas

citas etiam consideranda venit, at bilis atrę ac flauę siccitas in vnum iuncta, præterquā quod exsolubiles admodum redderet spiritus, (propter laudabiles .n. spiritus animales, quos producit atra bilis mediocriter calida, ad sapientiam facit) specierum impręssioni non esset accomodata, imo temeritas, & excandescentia excitarentur propter ingentem caliditatem, (nam vt dixit Aristoteles) qui bilem atram multā & insigniter calidam habent, furiosi, & iracundi sunt, quæ omnia ingenii excellentiæ, è ve stigio aduersantur; Corpus igitur illud multa bile atra mediocriter calida abundare dicetur, in quo atrę bilis abundantiam à mediocri quadam sanguinis copia mediocriter excalefieri contingat, bile flaua, & pituita in minori quantitate adiectis, ita vt primæ maioresq. partes atræ bili dentur secundæ & minores sanguini, tertię, adhucq. minores bili flauę, vltimę omniūq. minimę pituitę; pituita .n. si abūdaret, sua frigiditate ingeniū hebes redderet, stoliditateq. & ignauiam pareret, vt eodem loco affirmat Aristoteles. Hæc omnia (vt sui moris est) elegantissime descripsit Marsilius Ficinus de studior. san.tue. lib 1. c. 5. his verbis, " Quæcumq. melancholia, quæ adustione nascitur, iudicio & sapientiæ nocet, namque dum humor ille ardet, concitatos, & furentes facere solet, cum extinguitur, subtilioribus partibus resolutis restante sola fuligine tetra stolidos reddit, & stupidos, & sola melancholia naturalis ad iudicium, & sapientiam conducit, nec semper; si sola sit, atra & densa mole offuscat spiritum, si pituitę simplici miscetur ad summum frigiditatis intenditur, quo in statu nil speratur, sed tædet cæli conuexa tueri; oportet ergo mox subdit, nec tam paucam esse, vt sanguis, bilis, & spiritus quasi fræno careant, vnde instabile ingenium, & labilem memoriam esse contingat, nec tā multam, vt nimio pondere pergrauati dormitare, & egere calcaribus videamur; ideo oportet esse, quo ad eius natura patitur subtilissimam, quare si sanguini optimę permisceatur, & mediocriter calida, vt diximus, & subtilissima, quoad eius natura patitur, erit, & ob id ad prudentiæ excellentiam maxime idonea, ratio autem est, quia cum spiritus, quos animales appellant, sint totius intellectus instrumentum, & hos Galenus lib. Quod animi mores &c. c. 4. sui natura aliis aridiores, & cicciores esse scripserit, & ad hunc spiritus quoscumq. esse in sanguine, & ex eo exilire omnis fateatur, profecto animales spiritus qui à ficciori sanguinis parte prodibunt, perfectiores erunt, A bile igitur aliq ua, sine ab ea sanguin s parte, quæ huic, vel illi proportione respondet, vt proueniant, fatendum est, non autem à flaua rationibus proxime scriptis, ergo ab atra, hoc quidem sua natura dura est adque impressiones suscipiendas omnino difficilis, sed à mediocri sanguinis quantitate quadantenus emollita ad impressiones suscipiēdas aptior euadit. Ceterum quoniam multæ rationes in contrarium afferri solent quas precipuas existimaui, in medium adducere nō grauabor, Primo igitur sic instant nonnulli. Ad sapientiam requiritur bonus intellectus,

ctus,& ad hunc spiritus animales copiosi, subtiles,& lucidi, sed isti ab atra bile generari non possunt, non copiosi, quia atri humoris siccitas spirituum copiæ obstat; non subtiles, quia atra bilis sua natura terrestris est; non lucidi, quia atra bilis nigra;& opaca est, quare non atra, sed flaua bilis potius erit apta ad hos spiritus gignendos, & per consequens melancholici non excellent sapientia. Respondetur ab atra bile non quidem sola, sed sanguini mixta tales spiritus gigni, & optimè posse,& primò siccitas atræ bilis non obstat quādoquidē à sanguinis humiditate satis illa cōtēperatur: nec obstat illius terrestreitas, quoniam à sanguinis caliditate, dum elaboratur, id accidit illi, quod crassiori vino vi ignis in alembico vltro eliquato, à quo tenuissima aqua,& illa quidem potentissima educitur, nec etiam obstat atræ bilis nigredo, quia cum spiritus isti qui gignuntur sint subtiles, pariter splēdentes,& claros esse, inde nobis verisimile fit, quod ferē omnia subtilia sunt lucida,& clara, vt in aere videre est,& in aqua; nec denique bilis flaua ad gignendos istos spiritus est aptior, quàm melancholia nostra, quia spiritus ex bile geniti essent fluxiles admodum & facile omninò absumerentur, ex melancholia autem geniti,& si sint subtiles, & tenues, non tamen admodum fluxiles sunt, nec facile omnino absumuntur, tum quia eius consistentiæ, quam habet ater humor, aliquid retineant, tum quia agente mediocri caliditate in terrestrem, & durā materiam sensim ferè fit elaboratio, semperq. noua adest spirituum generatio, & quia multa est materia, multi quoque generantur spiritus.

Secundò à tēperato temperamento, tam animi, quàm corporis perfectiores proficisci operationes rationi consentaneum est prorsus; Temperatissimum namque, quod simpliciter salubre corpus est, operationum perfectione à reliquis intra latitudinem sanitatis intemperatis corporibus distare Galenus asserit in arte medicinali c.8. corpus autē multa atra bile mediocriter calida refertum inter ea, quæ intemperata sunt, absque dubio dinumarandum est, ergo tali temperamento præditi præditis temperatissimo ineptiores erunt ad sapientiam, nequaquam aptiores; vnde & Galenus etiam 2. de temperam.c.1 temperatū hominem operationes habere inculpatas scripsit; Respondetur operationem intelligi perfectiorem triplici modo, primò in vna operatione tantum, vt quando Aquilam homine perfectius videre dixit Aristoteles, quia longius videt; secundo, in pluribus operationibus, hinc Galenus 1. de ali. facult.c. 1. dicebat ventriculū temperatū perfectioris esse operationis intēperato, eò quia plures rerū differētias appetat,& concoquat, sic & visus hominis visu aquilę perfectior dicitur, quia plures rerū differentias discernat, & cognoscat; tertio quando plures actiones ad vnum aliquod opus spectantes, & necessariæ ab vno perficiuntur omnes, non ab alio; exempli gratia si chylus in ventriculo recte debeat perfici, retentio, alteratio, concoctio, separatioq. requiruntur, quare ventriculus ille dicitur fungi hoc munere perfectius

qui,

quibus omnes operationes rectius, & absolute magis perfecerit; his ità habitis non est inconueniens iuxta primum perfectioris operationis significatum hominem intemperatum aliquam operationem habere perfectiorem temperato, sicut Aquila dicitur perfectius videre homine, quià longius videt, pariter itaq. qui multa bile atra mediocriter calida refertus est, sapientia excellet temperato, tanquàm ad eam magis aptus, neque tamen ob id ad sapientiam dicetur ineptus temperatus, sed ad summam illam excellentiam minus aptus.

Tertio, si innati caloris humani medio actiones omnes corporis, & mentis cogitationes perficiuntur, pari ratione eodem imbecilliore existente eędem imperfectiores reddentur, at in atrabilarijs hominibus calidum innatum esse imbecillius patet; ergo ipsi ad sapientiam non erunt aptiores, Respondetur verum esse mediante calore innato omnes actiones perfici, & hunc calorem in melancholicis esse debiliorem, non tamen verum est; hoc imbecilliori existente omnes istas actiones imperfectiores edi, plures .n. imperfectiores edentur, & præsertim naturales, & alię non tamen illæ, quæ ad intellectum spectant (dummodo non sit adeo imbecillus, vt homo morbosus viuat) istæ .n. vt edantur, non solum requirunt calorem innatum sed præter ipsum requirunt temperiem cerebri, quæ est pręcipuum instrumentum, deinde spiritus animales, qui sunt secundarium instrumentum, temperies autem, & spiritus ad prædictas actiones edendas redduntur, & fiunt aptiores ab humore melancholico mediocriter calido, quàm ab alio, imò calor innatus ad intellectus edendas operationes non requiritur, nisi per accidens, & nisi vt causa, sine qua non, quatenus scilicet conseruat cerebri temperamentum.

Quartò, Senes qui Sicciori sunt temperamento, & melancholico ingenium tamen magis hebes habent, ętateque vltrò satis procedente ad tantam fatuitatem perueniunt, vt repuerascere dicantur, ergo melancholici nec ingeniosi nec sapientes erunt; Respondetur quod senes, quamuis siccum corporis temperamentum habeant, cerebrum tamen, in quo suam sedem habet intellectus, humidum habent, excrementisq. plenum, innatoq. eorum calore magna ex parte imminuto, omni ex parte frigidi sunt, & propterea ipsorum mens obtenebrata est ingeniumq. obscuratum, hoc tamen intelligendum est de ea senectutis parte, quæ vltima est, & decrepitas appellatur, quando in prioribus eius partibus sapientia vigeat, & prudentia, coaceruato nimirum in eis magis atro humore, sanquineq. ad huc non multum imminuto.

Quintò. Hippocrates lib. de flatibus prudentiam, quę præstantissimum animalis facultatis munus est, & quæ ex Aristotele 6. ethic. c. 12. partem animę rationalem perficit, in sanguine esse docuit, interq. omnia, quæ in corpore sunt, nihil ipso sanguine ad prudentiam magis

conferre testatus est; Respondetur Hippocratem dixisse prudentiam esse in sanguine, quatenus ex ipso conficiuntur spiritus animales, qui sunt instrumentum facultatum ipsius animę, isti autem spiritus fiunt nō ex solo sanguine, sed ex massa sanguinea, de qua Hippocrates intellexit, & hęc ad spiritus animales perfectiores gignendos est aptior, quo magis ad melancholicum vergit.

Vltimo Aristoteles 2. de part. animal. c. 2. ait tenuiorem, & frigidiorem sanguinem perspicacius ingenium facere, quàm calidiorem, & crassiorem, ergo non melancholici perspicacioris erunt ingenii neq. sapientiores. Respondetur Aristotelem non absolute, sed respectiue loquutum fuisse, ita vt qui frigidum & tenuem sanguinem habent, plus valeant ingenio iis, qui illum crassum, & calidum satis habent, non autem iis, qui non multum crasso, sed tenui potius, & moderate calido abundant sanguine, quales melancholicos antedictos esse ostendimus; vnde Aristoteles paulo post subdidit, eos supra omnes ingenio excellere, qui paulo calidiori, tenuiq. abundant sanguine. Quod autem tali sanguine melancholici salubres abundent, duplici ratione probare possumus, quarum altera in humores sanguini commixtos (per sanguinē n. non eum tanquam succum ab aliis humoribus seiunctum, sed totam sanguineam massam intelligimus) Altera vero in spiritus vitales pręcipue referenda erit; Quoad humores igitur commixtos attinet, si in sanguine prędominetur pituita, hic frigidus, & crassus erit, si bilis calidior quàm par sit tenuissimus erit, si vero melancholia, & in ea copia, quæ à subdominante sanguine possit attemperari, quemadmodum in sanis contingit tunc melancholicus ille sanguis, & paulo calidior, & tenuis erit; & si diceret aliquis cum à sanguine ista melancholia attemperetur hoc est calefiat, & attenuetur, dum simul permiscentur, & vniuntur non ne & simili ratione pituita quoq. attemperari poterit? hic sciat pituitam propter visciditatem non adeo commode permisceri posse, cum adhæreat valde, nec facile obsequatur; quoad spiritus vitales attinet, hi procul dubio sanguinem permeantes, illi & calorem, & tenuitatem præstant, & re vera tunc magis pręstabunt vbi eorum copia maior affluat, sed ex sanguine ad melancholicum potius vergente, quam ad biliosum, aut pituitosum, spirituum maiorem copiam prodire posse ex eo manifestum fit, quia pituita tanquam frigida, & humida, & quæ cum sanguine recte, & intimius commisceri nequeat ad calidos, ac siccos spiritus gignendos non est apta, bilis ipsos nimis fluxiles, ac cito dissipabiles produceret, melancholia vero cū visciditate careat, & ob id per intima quæq. sanguini commisceatur, eos plurimos, ac magis perdurabiles progignet; Ac si quis deniq. ex sanguine prædomināte vitales spiritus satis abundantius produci posse, quam ex eo ad melancholicum vergente, affirmaret, huic & ipse subscriberem, sed

non

non ex eo aptiores animales spiritus ad intellectus operationes efficiendas prosilire posse fatebor, quemadmodum ex eo ad melancholicam vergente prosilire posse iam supra fuit ostensum, & quemadmodum ex eo innotescere potest, quod semel accensus diutissimè flagrat, & lucet, quia firmissimè siccitatis vnitate gaudet, & ob id ex eo purissimi, & splendidissimi spiritus, qui siccissimi sunt, elaborantur, vnde illud Heracliti philosophi emanauit, lux sicca anima sapientissima. Sed qui de hac re plura desideret, Valleriolam lib. 6 Ennarat. 10. & Io. Baptistam Syluati cum Contr. 10. viros doctissimos consulat.

An melancholici vaticinentur? Cap. XVIII.

DVo nobis præ cæteris ad huius rei faciliorem dilucidationem animaduertenda sunt, quorum primum ad diuinationem; seu vaticinium spectat, alterum vero ad melancholicos; si igitur de diuinatione sermo sit, omnia diuinationum genera, vt describit Cicero in libris de diuinat. ad duo redigi videntur vel ad artē quampiam, vt sunt auguria, auspicia, obseruationes portentorum, astrologia iudiciaria, missiones sortium, prognostica medicinę, phisionomia, chiromantia, & similia; vel ad naturam, & hoc genus, quod arte caret, & natura potius constare videtur, subdiuiditur in ea, quæ extrinsecus petuntur, vt oracula, & Pythonum, & mortuorum responsa, & in ea, quæ in ipsa nostra anima esse videntur, vt insomnia, furores vatum, & similia, de quibus sermo intelligendus, dum controuertitur, an melancholici futura prædicant; Si vero de melancholicis loquamur, hi vel morbosi, vel salubres esse possunt, ita vt quinam ex his ad vaticinium, seu futura prædicenda sint aptiores non omnino constet. Multi inquiunt in hac re per melancholicos Aristotelem intelligere non morbosos sed salubres, vt ipsemet se ipsum explicare videtur, 30. sect. problem. 1. dum ait. hoc non morbo, sed naturali intemperie, contingere, ita vt ad vaticinandum sint apti melancholici propter naturale intemperamentum, nō quia morbo aliquo melancholico afficiātur; Alii vero, ii præsertim, qui sine studio, & arte melancholicos vaticinari profitentur, de morbo melancholico affectis hoc volunt intelligi, nam Bacchantes, Cassandram Troianam, Manthon, Mopsum, & alios antiquorum vates, seu diuinatores morbis ab atra bile detentos fuisse asserunt, imo & Aristoteles in eodem problemate, dum eos qui ingenio claruerunt vel in studiis philosophiæ, vel in aliis scientiis & artibus exercendis excelluerunt, melancholicos fuisse ait, non solum naturaliter melancholicos intellexit, sed eos etiam qui atræ bilis vitiis infestarentur, & affert exemplum de Hercule, qui morbo sacro corripiebatur, nos autem docuit Hippocrates Epilepsiam in melancholiã

mutari, & vice versa, prout humor melancholicus, vel mentem, vel cerebri corpus occupat, sed & exemplum affert Aristoteles de Aiace, & Bellorophonte, quorum alter ad insaniam penitus prorupit, alter vero ad melancholiam, quoniam per loca deuia errabat, hominum vestigia vitans, suumq. cor edens, quare rectum de hac re iudiciũ ferre difficillimum puto, attamen vt inceptum opus prosequamur, dixero melancholicos non morbosos ad futura prædicenda aptissimos esse, si eruditionis, & exercitationis medio, proprijsq. studiis eam virtutis excellentiam sibi comparent, quandoquidem maxime ingeniosi, & prudentissimi sunt à natura (vt in superiori quæstiuncula probatum fuit) quid ergo si eruditionem addant? sed sine arte & studio ipsos vaticinari, & futura prædicere posse, omnino à veritate alienum censeo hoc .n. esset supra naturæ vires, & quid diuinum; Ex melancholicis vero morbosis plures, imo fere omnes nullo pacto vaticinari videmus, sed cur de illis hoc pronũciauerint antiqui, & cur in aliquibus cõtingat, quærendũ est, & vt rem paucis amplectar, nullã aliam ob causam hoc antiquos dixisse existimo, nisi quia Baccantes Sybillas & vates suorũ temporum melancholia vexatos viderent, nam scimus Aristotelem hoc de Bacchis, & Sybillis in cit. problem. dixisse, quamuis re vera de Sybillis hoc asserere non deceat, cum has non melancholia, aut furore vexatas, sed diuino numine afflatas futura prædixisse credendũ sit, vnde à Lactãtio Firmiano lib. 1. Institut. Diuin. Sybillę dicebantur mulieres Deo plenę, quarum pectora cum diuinum numen recepissent vaticinabantur, & D. Augustinus de ciuit. Dei lib. 18. Erithræam Sybillam de Christo quædam manifesta cõscripsisse dixit; Cęterum vt diximus, nulla alia de causa vaticinari putabant Antiqui suos vates, nisi quia atra bile agitarentur, quam vim huic humori attribuerunt nõ solum propter ipsius caliditatem, sed mentis propinquam vt scripsit Aristoteles, sed propter & ipsius insitam, & occultam proprietatem; hanc tamen opinionem ex eo falsam esse conijcere est, quoniam omnes maniaci ex atra bile adusta, & ij, qui lycãtropia vexantur, essẽt diuinatores, nec eos tamen diuinare inueniet aliquis; Cur tamen illi vates, qui atra bile angebantur vaticinati fuerint, & cur melancholici nonulli futura prædicere possint, certe nullam aliam crederem esse causam, quam aut malos dæmones, illorum corpora obsidentes, aut assiduas imaginationes, nam si de antiquis illis vaticinatoribus sit sermo, eorum corpora à prauis spiritibus obsessa fuisse facile est creditu, nam Cassandram Troianam apud Virgilium furijs agitatam habemus, quod et de alijs arbitrandum est possunt .n. Cacodæmones isti, quibus futurorum plura conspicua sunt per voces illorum, qui vaticinatores creduntur, prædicere, vel illorum, quo possunt, modo mentem illustare, Hinc nos sæpe mulieres dæmone obsessas vidimus; quæ;

dum à Sacerdotibus exorcizantur circumstantium facta, quę nunquam viderint, aut audiuerint, patefaciunt, nec mirati debemus dæmone ob sessas melancholicas euadere, vel melancholicas dæmone obsideri, quandoquidem ex Auicenna habemus nigram bilem per melancholicos affectus à dæmone excitari quod & Valesius cap. 28. Sacræ philosophiæ, testatur, sic & ad melancholiam subsequi demones facile est, atra.n. bilis communiter dici solet balneum Diaboli, vt quæstiuncula 25. explicatum fuit; Sunt & assiduæ imaginationes in causa, cur melancholici futura pronuncient, & hic forte modus melancholicis magis proprius est nam sicuti dantur, quidam melancholici, qui imaginantur se esse principes, ita (inquit Clarissimus Saxonia) dantur quidam qui putant se esse prophætas aut uates, isti itaq. cæteris omnibus dimissis negociis toti sunt in speculatione alienarum rerum, cuncta obseruant, præsentia, ac præterita, noctu diuq. in illis versantur, vt plerumq tanquam boni venatores, qui emisso iaculo norunt, utrum feram sint interfecturi, nec ne; ipsi quoq. ex principijs quibusdam cognitis, & attente consideratis. vt plurimum futura prænunciant, sed hæc artificiola, non naturalis prædictio erit appellanda, quemadmodum superior? quæ cacodæmonis ope fit, nec ipsa à natura erit, imo naturæ vires excedet, & idcirco supranaturalis appellabitur, quo nomine etiam vera diuinatio, seu prophętia appellanda veniet, huius.n. proprie, ac vere nulla naturalis causa est, quandoquidem nulla est in nobis facultas diuinandi, sed effectiuum principium externum est, ac spiritale, tamen potest esse in ipso, qui talem accipit inspirationem, naturalis quępiam dispositio magis, aut minus accommodata ad accipiendum, non ita quidem, vt ea dispositio causa sit inspirationis necessaria, neq. qua pręsente necessario fiat, neq. sine qua fieri non possit, si. n. Deus opt: max: est principium efficiens veræ prophętię, cum ne ad creationem quidem adstrictus sit causę vllę necessariæ, multo minus sit in largiendis his donis; sed cum is (quę est sua bonitas) soleat disponere omnia suauiter, in his quoq. quæ supra naturam facit, quoad fieri potest, rationem seruat naturæ, quare cum diuinatio non nascatur in nobis, vt reliquę sensationes ab obiectis (hec .n. nondum sunt) sed à diuinitus factis repræsentationibus, constat eam fore accomodatissimam dispositionem, per quam maxime vacat à motibus. quos cient sensibilia; nam vt in aqua quieta facile redditur, quæcumq. figura, in agitata vero non potest reddi, ita & in quiescente à sensibilibus animo repręsentatio quæcumq. ab eo vero qui plurimum volutatur circa sensibilia excluditur omnis inspiratio Hinc igitur manifestũ fit nullã dari vaticinationẽ, quæ arte ac studio carens à naturę viribus omnino pẽdeat, cui opinioni fuerunt Epicurei, qui omnia diuinandi genera deridebãt & hac præsertim ratione moti, nimirum, quæ neque sunt, neq. fuerũt,

ino vn-

vnquam, nullo modo sciri possunt, nam neq. per se, vt quę actu sunt, neq. per sui species; ac velut vestigia, quę reliquerint, vt quæ præterierunt, ergo nulla est diuinandi ratio; Stoici vero hanc diuinationem concederent, tanquam qui omnia diuinandi genera admittebant, dicentes, quod sicuti naturaliter tributa est animæ vis quędam sentiendi præsentia, quæ dicitur sensus, & alia sentiendi pręterita, quę est memoria, ita oportet tributam esse aliam futurorum, puta vim diuinandi; & quam vis hęc ratio non concludat (neq. .n. quia pręsentium, & pręteritorum est sensus, oportet vt futurorum sit, cum illorum sit, vnde accipiantur certæ species, futurorum non sit, nisi per accidens, ex ipsis pręsentibus. & pręteritis) fulcitur tamen talis opinio Aristotelis authoritate, qui in problemmate iam cit. hęc habet " Multi etiam propterea quod ille calor sedi mentis in vicino, est morbis vesaniæ implicantur, & lymphatici fiunt, vnde Sybillę, & Bacchátes, & diuino spiritu afflati fiunt, ex quibus verbis Aristoteles cēset esse in hominum mentibus naturalem facultatem futura pręsentiendi, eam vero incitari calore, in quibusdam quidem morboso, eosq. dici maniacos, phrænitıcos, aut lymphaticos; in alijs vero naturali, quod scilicet atra bile, eaq. calida naturaliter iuxta mentis sedem, hoc est in cerebro, abundent, eaq; causa fieri sybillas, & vates atq. adeo futura præuidentes; sed vt hæc lis dirimatur, dicendum est, diuinationem propriè vocatam seu vaticinationem nullam esse posse (quicquid grauissimi dicant philosophi) mere naturalem, nam qui diuinat, aut tunc primùm illud didicit, aut antea quoq; sciebat non animaduerterat tamen; tunc quidem discere non potuit, quia cum non didicerit colligens ex pręexistenti aliqua cognitione causarum, aut signorum, aut cuiuspiam corporalis passionis quam acceperit, neq. omnino collegerit ratiocinando ex alijs assertionibus (id .n. non diuinare, sed coniectare esset) oportet ex ipsius obiecti præsentia sciētiā cōparauerit, at vero quod neq. omnino est, neq. fuit, nō potest esse pręsēs obiectiuè, igitur superest, vt qui diuinat eius quod diuinat, notitiā sēper apud se habuerit, id vero nulli mēti facultatis finitę potest contingere, neq. igitur vlla potest esse naturalis diuinatio; nam facultas diuinandi si quæ est, non est quorumdam ita vt aliorū sit, aliorū nō sit, neq. futurorū quędā diuinari possūt quędā nō possunt, sed ea facultas erit per se se omniū futurorū, vt memoria est per se omnium præteritorum, vt quantum in ea agitur, quicquid futurum in ea est, diuinari possit, necesse est ergo si quę diuinādi facultas naturaliter inest humanæ menti, in ea esse rerum omnium futurarum species, & notitiam; quoniam vero præsentia omnia, & pręterita aliquando fuerunt futura, tuncq. pertinuerunt ad diuinandi facultatem, necesse est ea quoq. sint in anima, quæ eam habeat potentiam, ergo necesse est, habeat humana mens in se se species, & notitiam rerum om-

omnium præsentium, præteritarum & futurarum, id vero fieri non potest neq. per infusas rerum species, neq. per participationem idearum, neq. aliter, cum sit finitæ, ac certæ virtutis, nam vt qui non est potentiæ infinitæ non potest omnia facere, ita qui non est infinitæ sapientiæ non potest omnia scire, fit ergo vt non possit esse in homine vlla naturalis facultas diuinandi; ponere .n. calorem quemdam siue atræ bilis, siue flatus cuiuspiam, aurę ue talis, quæ incitando mentem instiget ad diuinationem; nisi prius explicemus qua ratione possit mens ipsa diuinare, an euoluendo, quas in se habet notitias, an recipiendo, quæ accedant extrinsecus, inutile est. Quidam Neoterici hoc argumentum sibi videntur effugere ponentes humanam mentem per se, hac nisi corporeis impedimentis teneretur, omnisciam esse ac, proinde cũ aliquando dimissis rebus corporeis quasi vinculis soluta euagatur, per se se etiã sine vllis obiectis res alioqui occultas, aut futuras agnoscere; hinc Iamblicus de mysteriis afferens causam cur melancholici prædicant futura melius cæteris, ait, Quia anima in talibus totaliter cessat à regimine corporum, & multum abstinent à cibo, quapropter anima exuta à mole carnis est spiritualis, & ideo videt spiritualia in inferno, & in paradiso, narrando de his aliqualiter quando sunt excitati à somno. Sed hi conditionem animę alligatę corpori non norunt, quæ nisi per sensus receperit, agnoscere nullo modo potest, & ipsam humanę cognitionis rationem tollunt, quæ nihil est aliud, quam quodammodo ab obiectis pati; non vident præterea se finitæ formæ perfectionem adscribere infinitam, scire .n. pręcipua mentis perfectio est, & quo plurimum est scientiæ, eo maior, quæ ergo omnium infinita; ea cum non nisi in prima causa (quam infinitę potentiæ, sapientiæ, & bonitatis esse scimus) existere possit, constat neq. scientiam futurorum esse posse, nisi penes primam, & infinitę sapientię intelligentiam; Itaq. vera, & certa futurorum prædictio, ac prophetia inspirationis à summo Deo per se, aut per bonos angelos factæ euidens argumentum est; falsa vero & incerta aut pertinens ad res præteritas, occultas tamen, vt furtorum, aliorum facinorum detectio (hanc .n. etiam vocant diuinationem) inspiratione fieri potest prauorum dæmonum, cuius inspirationis non nunquam ipsi diuinatores sunt conscii, et cum consulto, & præ impietate cum illis pepigerunt, non numquam ipsi etiam ignorant, & hinc multi philosophorum sibi persuaserunt esse hominibus secundum naturam vim aliquam & facultatem occulta, & futura diuinandi, cum diuinationem videant, & inspirationem non agnoscãt, in naturam referunt; Certè longe faciliùs, ac suasibilius est, dæmonem tacitè rem quampiam phantasię repræsentare, quam esse vim naturalem agnoscẽdi futura, quæq. nondum sint, & occulta, quorum formæ per organa sensuum non subiciũt, cum hoc adeo naturæ, ipsius animę, & conditioni

tioni

tioni humanæ cognitionis indicatum sit repugnare, illud vero sit per facile, agitatione .n. specierum rerum preteritarum) quę in memoria sunt repositæ, possunt fieri futurarum rerum, aut occultarum spectacula; id vero nisi raro & casu quodam fiat (in plerisq. .n. eorum, quę narrantur, casus, & credulitas pepererũt diuinationis opinionem) à dęmone fit; Itaq; omnis proprie vocata diuinatio, quæq. nullam habet adiunctam coniecturam, fit à dæmone bono, aut malo, neq. est in hominibus vlla naturalis facultas diuinandi, neq. vllus sensus futurorum Hoc vnum de melancholicis addere possumus. & pręsertim de non morbosis, nimirum eorum animas ad eam inspirationem, cuius ope diuinatio fit, recipiendam à Deo optimo maximo aptiores esse, atq. magis accomomdatas, cum hi, tanquam prudentiores, & sapientiores facilius, ac vhementius in Dei cultum, ac summi boni cognitioné se tradant, hinc qui vitæ sanctitate fulserunt, et diuino numine afflati futura præsagierunt, eos macilentes, excarnificatos, in heremis degentes & in summa habitu melancholico prædictos, vt plurimum adinuentos fuisse sacræ testantur historiæ; sed iam nimis quęstiuncula excreuit.

Cur melancholicorum somnia veriora sint?

Cap. XVIIII.

MElancholici recta valde, subitaq. insomnia habent, teste Arist: 7. Moral: Eudem: c. 18. & lib: de diuinat: per somnum c. 2. eos. quorũ quasi loquax natura est, et melancholica multimodas visiones videre scripsit, sed antequã ad melancholicorum somnia accedamus, non erit ab re nonnulla de diuinatione ex insomniis à grauissimis authoribus decerpta pręlibare tanquam quę non parum ad huius rei cognitionem facere possint. Res igitur illæ quarum per somnum potest pręsentio fieri, vel quędam à nobis sunt agendę, ac sustinendę, veluti si quis iturus sit Romam, Rex futurus febricitaturus, aut moriturus, vel quędam omnino extra nos futurę sunt, neq. in nobis vllum sui principium habiturę, vti si futurum sit nauale bellum, fugandi turcę, aut futura ingens procella, aut largus imber, & eorum, quæ extra nos sunt, quædam talia sunt, vt cum eorum causis nullam habere possimus compassionem, aut talia vt possimus; Atqui vt non possimus cum eorum causis compassionem habere, aut ex natura rerum nascitur aut ex tanta distantia, vt nullus contactus esse possit (scimus .n. actiones nullas naturales sine contactu fieri) vt a causis futurę cras hic pluuiæ possum ego pati humectatus, emmollitus, atq. vexatus fluxionibus, quod palam faciunt podagrici, & hernia laborantes, à causis tamen futuri belli, aut fugæ Turcarum, ob ipsarum rerum naturam, nullam ego possim accipere pas-

sionem

sionem corporalē, neq Luce agens à causis futuræ pluuiæ Parisiis, aut futuræ hic anno sequenti ob distantiam loci, aut temporis; Rerum igitur, à quarum causis nullam accipere possumus passionem, nulla neq. dormientibus, neq. vigilantibus esse potest naturalis præsensio, nisi per coniecturas, sed cum euenit quempiam vigilantem cogitare aut dicere, vel dormientem somniare aliqu id, quod postea re vera fiat, duorū alterum necesse est, aut id fortuito fieri non aliter ac cum nobis de aliquo homine loquentibus, ille superuenit, aut à Deo, cui omnia futura conspicua sunt, aut à sagacissimo coniectore dæmone factam esse, reuelationem; Aliarum vero rerum, quarum principium intra nos est aut à quarum causis pati possumus præsensio multo melius ac facilius accidit dormientibus, quam vigilantibus, nam si quid facturi simus, consultamus, quid facere nos posteà expediat, & si quid passuri simus sentimus in nobis exigua imminentium, passionum initia, consultatio vero, & sensus minutularum passionum multo melius accidit dormientibus, quam vigilantibus, si modo somnus placidus sit, neq. multis, crassisq. vaporibus conturbetur, tunc .n. velut in agitata, conturbataq. aqua, multæ variæq. redduntur rerum imagines, nulla vero certa ac conspicua, cum verò somnus est moderatus, neq. perturbatus multis animi motibus, aut morboso apparatu, aut crapula, dicta illa accidunt melius, quia anima intro se colligens, & nullis externis sensibilium motibus distracta melius, ac perspicacius consistat; argumento est quod qui de rebus maximis cogitare volunt, in silentio, obscuris conclusisq, cubilibus, & sepe etiam oculis id faciunt, nimirum subtrahunt se se ab externorum sensu, vt cogitationi vacent. Constat verò nulla ratione magis animam vacare ab externis sensibus, quam dormiendo, non ita vero vacat ab internis, si quidem somniat, quod Hippocrates l. bello de insomniis significauit his verbis, Cum corpus dormit, anima vigilat; eàdem ob causam fit, vt minutulæ passiones, quæq. vigilantes latent, à dormientibus sentiantur, videantur que illis esse multo, quam sint maiores, nimirum somnus habet ad vigiliam rationem, quam nox ad diem, tenebræ ad lucem, silentium ad clamores, at vero constat, noctu, & silentibus cunctis strepitus, vel exiguos videri magnos, interdiu, & vbi est magnus strepitus, magnos etiam latere; Horum vero causa est tum in ipsa anima, tum in ipso organo, in illa, quia sensus coniunctus semper est cum imaginatione, quę cum animaduersione operatur, distrahitur vero ob aliorum sensibilium magnitudinem, aut potentiam; in hoc vero, quia vbi multæ recipiuntur figuræ, aliæ alias obscurant, velut in aqua indicatum est; Itaq. anima per somnum attentius cogitat quam per vigiliam, & minutulas pasiones maiores esse iudicat, Sunt verò hæ pasiones, & à causis internis, vt ab humoribus & flatibus, & ab externis, vt ab aeris intemperie, & aliis; Hinc fit, vt ex insomniis possimus multa de imminentibus morbis, aut latentibus morborum causis præsagire

ctus,& ad hunc spiritus animales copiosi,subtiles,& lucidi, sed isti ab atra bile generari non possunt,non copiosi, quia atri humoris siccitas spirituum copiæ obstat; non subtiles, quia atra bilis sua natura terrestris est;non lucidi,quia atra bilis nigra;& opaca est, quare non atra, sed flaua bilis potius erit apta ad hos spiritus gignendos, & per consequens melancholici non excellent sapientia. Respondetur ab atra bile non quidem sola,sed sanguini mixta tales spiritus gigni, & optimè posse,& primò siccitas atræ bilis non obstat quãdoquidẽ à sanguinis humiditate satis illa cõtẽperatur: nec obstat illius terrestreitas, quoniam à sanguinis caliditate, dum elaboratur,id accidit illi, quod crassiori vino vi ignis in alembico vltro eliquato, à quo tenuissima aqua,& illa quidem potentissima educitur,nec etiam obstat atræ bilis nigredo,quia cum spiritus isti qui gignuntur sint subtiles,pariter splẽdentes,& claros esse,inde nobis verisimile fit, quod ferè omnia subtilia sunt lucida,& clara,vt in aere videre est,& in aqua: nec denique bilis flaua ad gignendos istos spiritus est aptior, quàm melancholia nostra, quia spiritus ex bile geniti essent fluxiles admodum & fac le omninò absumerentur,ex melancholia autem geniti,& si sint subtiles, & tenues,non tamen admodum fluxiles sunt, nec facile omnino absumuntur,tum quia eius consistentiæ, quam habet ater humor, aliquid retineant, tum quia agente mediocri caliditate in terrestrem, & durã materiam sensim ferè fit elaboratio,semperq. noua adest spirituum generatio, & quia multa est materia, multi quoque generantur spiritus.

Secundò à tẽp rato temperamento,tam animi,quàm corporis perfectiores proficisci operationes rationi consentaneum est prorsus;Temperatissimum namque,quod simpliciter salubre corpus est, operationum perfectione à reliquis intra latitudinem sanitatis intemperatis corporibus distare Galenus asserit in arte medicinali c.8. corpus autẽ multa atra bile mediocriter calida refertum inter ea, quæ intemperata sunt,absque dubio dinumarandum est,ergo tali temperamento prẹditi præditis temperatissimo ineptiores erunt ad sapientiam, nequaquam aptiores;vnde & Galenus etiam 2.de temperam.c.1 temperatũ hominem operationes habere inculpatas scripsit;Respondetur operationem intelligi perfectiorem triplici modo, primò in vna operatione tantum, vt quando Aquilam homine perfectius videre dixit Aristoteles, quia longius videt; secundo, in pluribus operationibus, hinc Galenus 1. de ali. facult.c.1. dicebat ventriculũ temperatũ perfectioris esse operationis intẽperato, eò quia plures rerũ differẽtias appetat,& concoquat, sic & visus hominis visu aquilę perfectior dicitur, quia plures rerũ differentias discernat, & cognoscat; tertio quando plures actiones ad vnum aliquod opus spectantes, & necessariæ ab vno perficiuntur omnes, non ab alio; exempli gratia si chylus in ventriculo recte debeat perfici, retentio, alteratio, concoctio, separatioq. requiruntur, quare ventriculus ille dicitur fungi hoc munere perfectius

qui,

quibus omnes operationes rectius, & absolute magis perfecerit; his ita habitis non est inconueniens iuxta primum perfectioris operationis significatum hominem intemperatum aliquam operationem habere perfectiorem temperato, sicut Aquila dicitur perfectius videre homine, quia longius videt, pariter itaq. qui multa bile atra mediocriter calida refertus est, sapientia excellet temperato, tanquam ad eam magis aptus, neque tamen ob id ad sapientiam dicetur ineptus temperatus, sed ad summam illam excellentiam minus aptus.

Tertio, si innati caloris humani medio actiones omnes corporis, & mentis cogitationes perficiuntur, pari ratione eodem imbecilliore existente eędem imperfectiores reddentur, at in atrabilarijs hominibus calidum innatum esse imbecillius patet; ergo ipsi ad sapientiam non erunt aptiores, Respondetur verum esse mediante calore innato omnes actiones perfici, & hunc calorem in melancholicis esse debiliorem, non tamen verum est, hoc imbecilliori existente omnes istas actiones imperfectiores edi, plures .n. imperfectiores edentur, & praesertim naturales, & alię non tamen illae, quae ad intellectum spectant (dummodo non sit adeo imbecillus, vt homo morbosus viuat) illae .n. vt edantur, non solum requirunt calorem innatum sed praeter ipsum requirunt temperiem cerebri, quae est pręcipuum instrumentum, deinde spiritus animales, qui sunt secundarium instrumentum, temperies autem, & spiritus ad praedictas actiones edendas redduntur, & fiunt aptiores ab humore melancholico mediocriter calido, quàm ab alio, imò calor innatus ad intellectus edendas operationes non requiritur, nisi per accidens, & nisi vt causa, sine qua non, quatenus scilicet conseruat cerebri temperamentum.

Quartò, Senes qui Sicciori sunt temperamento, & melancholico ingenium tamen magis hebes habent, ętateque vltrò satis procedente ad tantam fatuitatem perueniunt, vt repuerascere dicantur, ergo melancholici nec ingeniosi nec sapientes erunt; Respondetur quod senes, quamuis siccum corporis temperamentum habeant, cerebrum tamen, in quo suam sedem habet intellectus, humidum habent, excrementisq. plenum, innatoq. eorum calore magna ex parte imminuto, omni ex parte frigidi sunt, & propterea ipsorum mens obtenebrata est ingeniumq. obscuratum, hoc tamen intelligendum est de ea senectutis parte, quae vltima est, & decrepitas appellatur, quando in prioribus eius partibus sapientia vigeat, & prudentia, coaceruato nimirum in iis magis atro humore, sanguineq. ad huc non multum imminuto.

Quintò, Hippocrates lib. de flatibus prudentiam, quę praestantissimum animalis facultatis munus est, & quae ex Aristotele 6. ethic. c. 12. partem animę rationalem perficit, in sanguine esse docuit, interq. omnia, quae in corpore sunt, nihil ipso sanguine ad prudentiam magis

conferre testatus est; Respondetur Hippocratem dixisse prudentiam esse in sanguine, quatenus ex ipso conficiuntur spiritus animales, qui sunt instrumentum facultatum ipsius animę, isti autem spiritus fiunt nō ex solo sanguine, sed ex massa sanguinea, de qua Hippocrates intellexit, & hęc ad spiritus animales perfectiores gignendos est aptior, quo magis ad melancholicum vergit.

Vltimo Aristoteles 2. de part. animal. c. 2. ait tenuiorem, & frigidiorem sanguinem perspicacius ingenium facere, quàm calidiorem, & crassiorem, ergo non melancholici perspicacioris erunt ingenii neq. sapientiores. Respondetur Aristotelem non absolute, sed respectiue loquutum fuisse, ita vt qui frigidum & tenuem sanguinem habent, plus valeant ingenio iis, qui illum crassum, & calidum satis habent, non autem iis, qui non multum crasso, sed tenui potius, & moderate calido abundant sanguine, quales melancholicos antedictos esse ostendimus; vnde Aristoteles paulo post subdidit, eos supra omnes ingenio excellere, qui paulo calidiori, tenuiq. abundant sanguine. Quod autem tali sanguine melancholici salubres abundent, duplici ratione probare possumus, quarum altera in humores sanguini commixtos (per sanguinē .n. non eum tanquam succum ab aliis humoribus seiunctum, sed totam sanguineam massam intelligimus) Altera vero in spiritus vitales præcipue referenda erit; Quoad humores igitur commixtos attinet, si in sanguine prędominetur pituita, hic frigidus, & crassus erit, si bilis calidior quam par sit tenuissimus erit, si vero melancholia, & in ea copia, quæ ą subdominante sanguine possit attemperari, quemadmodum in sanis contingit tunc melancholicus ille sanguis, & paulo calidior, & tenuis erit; & si diceret aliquis cum à sanguine ista melancholia attemperetur hoc est calefiat, & attenuetur, dum simul permiscentur, & vniuntur non ne & simili ratione pituita quoq. attemperari poterit? hic sciat pituitam propter viscīditatem non adeo commode permisceri posse, cum adhæreat valde, nec facile obsequatur; quoad spiritus vitales attinet, hi procul dubio sanguinem permeantes, illi & calorem, & tenuitatem præstant, & re vera tunc magis pręstabunt vbi eorum copia maior affluat, sed ex sanguine ad melancholicum potius vergente, quam ad biliosum, aut pituitosum, spirituum maiorem copiam prodire posse ex eo manifestum fit, quia pituita tanquam frigida, & humida, & quæ cum sanguine recte, & intimius commisceri nequeat ad calidos, ac siccos spiritus gignendos non est apta, bilis ipsos nimis fluxiles, ac cito dissipabiles produceret, melancholia vero cū visciditate careat, & ob id per intima quæq. sanguini commisceatur, eos plurimos, ac magis perdurabiles progignet; Ac si quis deniq. ex sanguine prædomināte vitales spiritus satis abundantius produci posse, quam ex eo ad melancholicum vergente, affirmaret, huic & ipse subscriberem, sed

non

non ex eo aptiores animales spiritus ad intellectus operationes efficiendas prosilire posse fatebor, quemadmodum ex eo ad melancholicum vergente prosilire posse iam supra fuit ostensum, & quemadmodum ex eo innotescere potest, quod semel accensus diutissimè flagrat, & lucet, quia firmissimè siccitatis vnitate gaudet, & ob id ex eo purissimi, & splendidissimi spiritus, qui siccissimi sunt, elaborantur, vnde illud Heracliti philosophi emanauit, lux sicca anima sapientissima. Sed qui de hac re plura desideret, Valleriolam lib. 6 Ennarat. 10. & Io. Baptistam Syluati cum Contr. 10. viros doctissimos consulat.

An melancholici vaticinentur? Cap. XVIII.

DVo nobis præ cæteris ad huius rei faciliorem dilucidationem animaduertenda sunt, quorum primum ad diuinationem, seu vaticinium spectat, alterum vero ad melancholicos, si igitur de diuinatione sermo sit, omnia diuinationum genera, vt describit Cicero in libris de diuinat. ad duo redigi videntur vel ad artē quam piam, vt sunt auguria, auspicia, obseruationes portentorum, astrologia iudiciaria, missiones sortium, prognostica medicinę, phisionomia, chiromantia, & similia; vel ad naturam, & hoc genus, quod arte caret, & natura potius constare videtur, subdiuiditur in ea, quæ extrinsecus petuntur, vt oracula, & Pythonum, & mortuorum responsa, & in ea, quæ in ipsa nostra anima esse videntur, vt insomnia, furores vatum, & similia, de quibus sermo intelligendus, dum controuertitur, an melancholici futura prædicant; Si vero de melancholicis loquamur, hi vel morbosi, vel salubres esse possunt, ita vt quinam ex his ad vaticinium, seu futura prædicenda sint aptiores non omnino constet. Multi inquiunt in hac re per melancholicos Aristotelem intelligere non morbosos sed salubres, vt ipsemet se ipsum explicare videtur, 30. sect problem. 1. dum ait, hoc non morbo, sed naturali intemperie, contingere, ita vt ad vaticinandum sint apti melancholici propter naturale intemperamentum, nō quia morbo aliquo melancholico afficiātur; Alii vero, ii præsertim, qui sine studio, & arte melancholicos vaticinari profitentur, de morbo melancholico affectis hoc volunt intelligi, nam Bacchantes, Cassandram Troianam, Manthon, Mopsum, & alios antiquorum vates, seu diuinatores morbis ab atra bile detentos fuisse asserunt, imo & Aristoteles in eodem problemate, dum eos qui ingenio claruerunt vel in studiis philosophiæ, vel in aliis scientiis & artibus exercendis excelluerunt, melancholicos fuisse ait, non solum naturaliter melancholicos intellexit, sed eos etiam qui atræ bilis vitiis infestarentur, & affert exemplum de Hercule, qui morbo sacro corripiebatur, nos autem docuit Hippocrates Epilepsiam in melancholiā

mutari, & vice versa, prout humor melancholicus, vel mentem, vel cerebri corpus occupat, sed & exemplum affert Aristoteles de Aiace, & Bellorophonte, quorum alter ad insaniam penitus prorupit, alter vero ad melancholiam, quoniam per loca deuia errabat, hominum vestigia vitans, suumq. cor edens, quare rectum de hac re iudiciũ ferre difficillimum puto, attamen vt inceptum opus prosequamur, dixero melancholicos non morbosos ad futura prædicenda aptissimos esse, si eruditionis, & exercitationis medio, propriisq. studiis eam virtutis excellentiam sibi comparent, quandoquidem maxime ingeniosi, & prudentissimi sunt à natura (vt in superiori quæstiuncula probatum fuit) quid ergo si eruditionem addant? sed sine arte & studio ipsos vaticinari, & futura prædicere posse, omnino à veritate alienum censeo hoc .n. esset supra naturæ vires, & quid diuinum; Ex melancholicis vero morbosis plures, imo fere omnes nullo pacto vaticinari videmus, sed cur de illis hoc pronũciauerint antiqui, & cur in aliquibus cõtingat, quærendũ est, & vt rem paucis amplectar, nullá aliam ob causam hoc antiquos dixisse existimo, nisi quia Baccantes Sybillas & vates suorũ temporum melancholia vexatos viderent, nam scimus Aristotelem hoc de Bacchis, & Sybillis in cit. problem. dixisse, quamuis re vera de Sybillis hoc asserere non deceat, cum has non melancholia, aut furore vexatas, sed diuino numine afflatas futura prædixisse credendũ sit, vnde à Lactãtio Firmiano lib. 1. Institut. Diuin. Sybillę dicebantur mulieres Deo plenę, quarum pectora cum diuinum numen recepissent vaticinabantur, & D. Augustinus de ciuit. Dei l. b. 18. Erithræam Sybillam de Christo quædam manifesta cõscripsisse dixit; Cęterum vt diximus, nulla alia de causa vaticinari putabant Antiqui suos vates, nisi quia atra bile agitarentur, quam vim huic humori attribuerunt nõ solum propter ipsius caliditatem, sed mentis propinquam vt scripsit Aristoteles, sed propter & ipsius insitam, & occultam proprietatem; hanc tamen opinionem ex eo falsam esse conijcere est, quoniam omnes maniaci ex atra bile adusta, & ij, qui lycãtropia vexantur, essét diuinatores, nec eos tamen diuinare inueniet aliquis; Cur tamen illi vates, qui atra bile angebantur vaticinati fuerint, & cur melancholici nonulli futura prædicere possint, certe nullam aliam crederem esse causam, quam aut malos dæmones, illorum corpora obsidentes, aut assiduas imaginationes, nam si de antiquis illis vaticinatoribus sit sermo, eorum corpora à prauis spiritibus obsessa fuisse facile est creditu, nam Cassandram Troianam apud Virgilium furiis agitatam habemus, quod et de aliis arbitrandum est possunt .n. Cacodæmones isti in quibus futurorum plura conspicua sunt per voces illorum, qui vaticinatores creduntur, prædicere, vel illorum, quo possunt, modo mentem illustrare, Hinc nos sæpe mulieres dæmone obsessas vidimus; quæ;

dum à Sacerdotibus exorcizantur circumstantium facta, quę nunquam viderint, aut audiuerint, patefaciunt, nec mirati debemus dæmone ob sessas melancholicas euadere, vel melancholicas dæmone obsideri, quandoquidem ex Auicenna habemus nigram bilem per melancholicos affectus à dæmone excitari quod & Valesius cap. 28. Sacræ philosophiæ, testatur, sic & ad melancholiam subsequi demones facile est, atra.n. bilis communiter dici solet balneum Diaboli, vt quæstiuncula 25. explicatum fuit; Sunt & assiduæ imaginationes in causa, cur melancholici futura pronuncient, & hic forte modus melancholicis magis proprius est nam sicuti dantur, quidam melancholici, qui imaginantur se esse principes, ita (inquit Clarissimus Saxonia) dantur quidam qui putant se esse prophætas aut uates, isti itaq. cæteris omnibus dimissis negociis toti sunt in speculatione alienarum rerum, cuncta ob seruant, præsentia, ac præterita, noctu diuq. in illis versantur, vt plerumq tanquam boni venatores, qui emisso iaculo norunt, utrum feru sint interfecturi, nec ne; ipsi quoq. ex principijs quibusdam cognitis, & attenté consideratis, vt plurimum futura prænunciant, sed hæc artificiola, non naturalis prædictio erit appellanda, quemadmodum superior? quæ cacodæmonis ope fit, nec ipsa à natura erit, imo naturæ vires excedet, & idcirco supranaturalis appellabitur, quo nomine etiam vera diuinatio, seu prophętia appellanda veniet, huius.n. proprié, ac vere nulla naturalis causa est, quandoquidem nulla est in nobis facultas diuinandi, sed effectiuum principium externum est, ac spiritale, tamen potest esse in ipso, qui talem accipit inspirationem, naturalis quępiam dispositio magis, aut minus accommodata ad accipiendum, non ita quidem, vt ea dispositio causa sit inspirationis necessaria, neq. qua pręsente necessario fiat, neq. sine qua fieri non possit, si. n. Deus opt: max: est principium efficiens veræ prophętię, cum ne ad creationem quidem adstrictus sit causę vllę necessariæ, multo minus sit in largiëdis his donis; sed cum is (quę est sua bonitas) soleat disponere omnia suauiter, in his quoq. quæ supranaturam facit, quoad fieri potest, rationem seruat naturæ. quare cum diuinatio non nascatur in nobis, vt reliquę sensationes ab obiectis (hec .n. nondum sunt) sed à diuinitus factis repræsentationibus, constat eam fore accomodatissimam dispositionem, per quam maxime vacat à motibus quos cient sensibilia; nam vt in aqua quieta facile redditur, quæcumq. figura, in agitata vero non potest reddi; ità & in quiescente à sensibilibus animo repręsentatio quæcumq. ab eo vero qui plurimum volutatur circa sensibilia excluditur omnis inspiratio Hinc igitur manifestũ fit nullã dari vaticinationẽ, quæ arte ac studio carens à naturę viribus omnino pëdeat, cui opinioni fuere Epicurei, qui omnia diuinandi genera deridebãt & hac præsertim ratione moti, nimirum, quæ neque sunt, neq. futurę

vnquam, nullo modo sciri possunt, nam neq. per se, vt quę actu sunt, neq. per sui species; ac velut vestigia, quę reliquerint, vt quæ præterierunt, ergo nulla est diuinandi ratio; Stoici vero hanc diuinationem concederent, tanquam qui omnia diuinandi genera admittebant, dicentes, quod sicuti naturaliter tributa est animæ vis quędam sentiendi præsentia, quæ dicitur sensus, & alia sentiendi pręterita, quę est memoria, ita oportet tributam esse aliam futurorum, puta vim diuinandi; & quam vis hęc ratio non concludat (neq. .n. quia pręsentium, & pręteritorum est sensus, oportet vt futurorum sit, cum illorum sit, vnde accipiantur certæ species, futurorum non fit, nisi per accidens, ex ipsis pręsentibus. & pręteritis) fulcitur tamen talis opinio Aristotelis authoritate, qui in problemmate iam cit. hęc habet " Multi etiam propterea quod ille calor sedi mentis in vicino, est morbis vesaniæ implicantur, & lymphatici fiunt, vnde Sybillę. & Bacchātes, & diuino spiritu afflati fiunt, ex quibus verbis Aristoteles cēset esse in hominum mentibus naturalem facultatem futura pręsentiendi, eam vero incitari calore, in quibusdam quidem morboso, eosq. dici maniacos, phrænitticos, aut lymphaticos; in alijs vero naturali, quod scilicet atra bile, eaq. calida naturaliter iuxta mentis sedem, hoc est in cerebro, abundent, eaq; causa fieri sybillas, & vates atq. adeo futura præuidentes; sed vt hæc lis dirimatur, dicendum est, diuinationem propriè vocatam seu vaticinationem nullam esse posse (quicquid grauissimi dicant philosophi) mere naturalem, nam qui diuinat, aut tunc primùm illud didicit, aut antea quoq; sciebat non animaduerterat tamen; tunc quidem discere non potuit, quia cum non didicerit colligens ex pręexistenti aliqua cognitione causarum, aut signorum, aut cuiuspiam corporalis passionis quam acceperit, neq. omnino collegerit ratiocinando ex aliis assertionibus (id .n. non diuinare, sed coniectare esset) oportet ex ipsius obiecti præsentia sciētiā cōparauerit, at vero quod neq. omnino est, neq. fuit, nō potest esse pręsēs obiectiuè, igitur superest, vt qui diuinat eius quod diuinat, notitiā sēper apud se habuerit, id vero nulli mēti facultatis finitę potest contingere, neq. igitur vlla potest esse naturalis diuinatio; nam facultas diuinandi si quæ est, non est quorumdam ita vt aliorū sit, aliorūq; nō sit, neq. futurorū quędā diuinari posśūt quędā nō possunt, sed ea facultas erit per se se omniū futurorū, vt memoria est per se omnium præteritorum, vt quantum in ea agitur, quicquid futurum in ea est, diuinari possit, necesse est ergo si quę diuinādi facultas naturaliter inest humanæ menti, in ea esse rerum omnium futurarum species, & notitiam; quoniam vero præsentia omnia, & pręterita aliquando fuerunt futura, tuncq. pertinuerunt ad diuinandi facultatem, necesse est ea quoq. sint in anima, quæ eam habeat potentiam, ergo necesse est, habeat humana mens in se se species, & notitiam rerum om-

omnium præsentium, præteritarum & futurarum, id vero fieri non potest neq. per infusas rerum species, neq. per participationem idearum, neq. aliter, cum sit finita, ac certæ virtutis, nam vt qui non est potentiæ infinitæ non potest omnia facere, ita qui non est infinitæ sapientiæ non potest omnia scire, fit ergo vt non possit esse in homine vlla naturalis facultas diuinandi; ponere .n. calorem quemdam siue atræ bilis, siue flatus cuiuspiam, aurę ue talis, quæ incitando mentem instiget ad diuinationem; nisi prius explicemus qua ratione possit mens ipsa diuinare, an euoluendo, quas in se habet notitias, an recipiendo, quæ accedant extrinsecus, inutile est. Quidam Neoterici hoc argumentum sibi videntur effugere ponentes humanam mentem per se, hac nisi corporeis impedimentis teneretur, omniscíam esse ac, proinde cũ aliquando dimissis rebus corporeis quasi vinculis soluta euagatur, per se se etiã sine vllis obiectis res alioqui occultas, aut futuras agnoscere; hinc Iamblicus de mysteriis, afferens causam cur melancholici prædicant futura melius cæteris, ait, Quia anima in talibus totaliter cessat à regimine corporum, & multum abstinent à cibo, quapropter anima exuta à mole carnis est spiritualis, & ideo videt spiritualia in inferno, & in paradiso, narrando de his aliqualiter quando sunt excitati à somno. Sed hi conditionem animę alligatę corpori non norunt, quæ nisi per sensus receperit, agnoscere nullo modo potest, & ipsam humanę cognitionis rationem tollunt, quæ nihil est aliud, quam quodammodo ab obiectis pati; non vident præterea se finitæ formæ perfectionem adscribere infiitam, scire .n. pręcipua mentis perfectio est, & quo plurimum est scientia, eo maior, quæ ergo omnium infinita; ea cum non nisi in prima causa (quam infinitę potentiæ, sapientiæ, & bonitatis esse scimus) existere possit, constat neq. scientiam futurorum esse posse, nisi penes primam, & infinitę sapientię intelligentiam; Itaq. vera, & certa futurorum prædictio, ac prophętia inspirationis à summo Deo per se, aut per bonos angelos factæ euidens argumentum est; falsa vero & incerta aut pertinens ad res præteritas, occultas tamen, vt furtorum, aliorum facinorum detectio (hanc .n. etiam vocant diuinationem) inspiratione fieri potest prauorum dæmonum, cuius inspirationis non nunquam ipsi diuinatores sunt conscii, vt cum consulto, & præ impietate cum illis pepigerunt, non numquam ipsi etiam ignorant, & hinc multi philosophorum sibi persuaserunt esse hominibus secundum naturam vim aliquam & facultatem, occulta, & futura diuinandi, cum .n. diuinationem videant, & inspirationem non agnoscãt, in naturam referunt; Certè longe faciliùs, ac suasibilius est, dæmonem tacitè rem quampiam phantasię, repræsentare, quam esse vim naturalem agnoscẽdi futura, quaq. nondum sint, & occulta, quorum formæ per organa sensum non subiecint, cum hoc adeo naturæ, ipsius animę, & conditioni

tioni humanæ cognitionis indicatum sit repugnare, illud vero sit perfacile, agitatione .n. specierum rerum præteritarum quę in memoria sunt repositæ, possunt fieri futurarum rerum, aut occultarum spectacula; id vero nisi raro & casu quodam fiat (in plerisq. .n. eorum, quę narrantur, casus, & credulitas pepererũt diuinationis opinionem) à dęmone fit; Itaq' omnis proprie vocata diuinatio, quæq. nullam habet adiunctam coniecturam, fit à dæmone bono, aut malo, neq. est in hominibus vlla naturalis facultas diuinandi, neq. vllus sensus futurorum Hoc vnum de melancholicis addere possumus. & pręsertim de non morbosis, nimirum eorum animas ad eam inspirationem, cuius ope diuinatio fit, recipiendam à Deo optimo maximo aptiores esse, atq. magis accomomdatas, cum hi, tanquam prudentiores, & sapientiores facilius, ac vhementius in Dei cultum, ac summi boni cognitioné se tràdant, hinc qui vitæ sanctitate fulserunt, et diuino numine afflati futura præsagierunt, eos macilentes, excarnificatos, in heremis degentes & in summa, habitu melancholico prædictos, vt plurimum adinuentos fuisse sacræ testantur historiæ; sed iam nimis quęstiuncula excreuit.

Cur melancholicorum somnia veriora sint? *Cap. XVIIII.*

MElancholici recta valde, subitaq. insomnia habent, teste Arist: 7. Moral: Eudem: c. 18. & lib: de diuinati per somnum c. 2. eos. quorũ quasi loquax natura est, et melancholica multimodas visiones videre scripsit, sed antequã ad melancholicorum somnia accedamus, non erit ab re nonnulla de diuinatione ex insomniis à grauissimis authoribus decerpta prælibare tanquam quę non parum ad huius rei cognitionem facere possint. Res igitur illæ quarum per somnum potest pręsentio fieri, vel quędam à nobis sunt agendę, ac sustinendę, veluti si quis iturus sit Romam, Rex futurus febricitaturus, aut moriturus, vel quędam omnino extra nos futurę sunt, neq. in nobis vllum sui principium habiturę, vti si futurum sit nauale bellum, fugandi turcę, aut futura ingens procella, aut largus imber; & eorum, quæ extra nos sunt, quædam talia sunt, vt cum eorum causis nullam habere possimus compassionem, aut talia vt possimus; Atqui vt non possimus cum eorum causis compassionem habere, aut ex natura rerum nascitur aut ex tanta distantia, vt nullus contactus esse possit (scimus .n. actiones nullas naturales sine contactu fieri) vt a causis futurę cras hic pluuiæ possum ego pati humectatus, emmollitus, atq. vexatus fluxionibus, quod palam faciunt podagrici, & hernia laborantes, à causis tamen futuri belli, aut fugæ Turcarum, ob ipsarum rerum naturam, nullam ego possim accipere passionem

sionem corporalē, neq Luce agens à causis futuræ pluuiæ Parisiis, aut futuræ hic anno sequenti ob distantiam loci, aut temporis; Rerum igitur, à quarum causis nullam accipere possumus passionem, nulla neq. dormientibus, neq. vigilantibus esse potest naturalis præsensio, nisi per coniecturas, sed cum euenit quempiam vigilantem cogitare aut dicere, vel dormientem somniare aliqu id, quod posteà re vera fiat, duorū alterum necesse est, aut id fortuito fieri non aliter ac cum nobis de aliquo homine loquentibus, ille superuenit, aut à Deo, cui omnia futura conspicua sunt, aut à sagacissimo coniectore dæmone factam esse reuelationem; Aliarum vero rerum, quarum principium intra nos est aut à quarum causis pati possumus præsensio multo melius ac faciliùs accidit dormientibus, quam vigilantibus, nam si quid facturi simus, consultamus, quid facere nos posteà expediat, & si quid passuri simus sentimus in nobis exigua imminentium, passionum initia, consultatio vero, & sensus minutularum passionum multo melius accidit dormiētibus, quam vigilantibus, si modo somnus placidus sit, neq. multis; crassisq. vaporibus conturbetur; tunc .n. velut in agitata, conturbataq. aquâ, multæ variæq. redduntur rerum imagines, nulla vero certa ac conspicua, cum verò somnus est moderatus, neq. perturbatus multis animi motibus, aut morboso apparatu, aut crapula, dicta illa accidunt melius, quia anima intro se colligens, & nullis externis sensibilium motibus distracta melius, ac perspicacius consultat; argumento est quod qui de rebus maximis cogitare volunt, in silentio, obscuris conclusisq; cubilibus, & sęp e etiam oculis id faciunt, nimirum subtrahunt se se ab externorum sensu, vt cogitationi vacent. Constat verò nulla ratione magis animam vacare ab externis sensibus, quam dormiendo, non ita vero vacat ab internis, si quidem somniat, quod Hippocrates l. bello de insomniis significauit his verbis, Cum corpus dormit, anima vigilat; eàdem ob causam fit, vt minutulæ passiones; quęq. vigilantes latent, à dormientibus sentiantur, videanturque illis esse multo; quam sint maiores, nimirum somnus habet ad vigiliam rationem, quam nox ad diem, tenebræ ad lucem; silentium ad clamores, at vero constat, noctu; & silentibus cunctis strepitus, vel exiguos videri magnos, interdiu, & vbi est magnus strepitus, magnos etiam latere; Horum vero causa est tum in ipsa anima, tum in ipso organo, in illa, quia sensus coniunctus semper est cum imaginatione, quę cum animaduersione operatur, distrahitur vero ob aliorum sensibilium magnitudinem, aut potentiam; in hoc vero, quia vbi multæ recipiuntur figuræ, aliæ alias obscurant, velut in aqua indicatum est; Itaq. anima per somnum attentius cogitat quam per vigiliam, & minutulas passiones maiores esse iudicat, Sunt verò hæ passiones, & à causis internis, vt ab humoribus & flatibus, & ab externis, vt ab aeris intemperie, & aliis; Hinc fit, vt ex insomniis possimus multa de imminentibus morbis, aut latentibus morborum causis præsagire

nonnulla etiam de externis, vt de procellis, imbribus, & eiusmodi. Si igitur quæramus causam, cur melancholicorum somnia veriora sint, & hi per somnia aliis magis diuinentur, supponendum est, vt alias iam diximus, melancholicos hosce, vel morbosos esse, vel non morbosos, sed salubres, si de prioribus sermo fit, male nonnulli horum atrabiliariũ & melancholicorum hominum diuinationem in atrę bilis quæ furoris est causa, naturam referunt per se quasi scilicet ea sit eius succi vis naturalis, quia talis substantia, aut quia calida, & sicca, non .n. atræ bilis est ea vis per se sed per accidens, quia scilicet atrabilarii somniabũdi sunt, & loquaces, fit vt nonnunquam incidant somniando, aut loquendo, in id quod futurum est, nimirum illi cum plurima eaq. varia somnient, fit casu vt aliquando in res, quæ futuræ vere sunt, incidant, non secus ac qui diem totum iaculatur (vt inquit Aristoteles) aliquando collimat, & si iaculandi peritus non sit. Aliam quoq. causam isti melancholici diuinationis habent, atq. eam etiam per accidens, nimirum dæmones facilius apprehendunt hos, quam alios homines, quia plus habent imaginationum, & minus prudentiæ. Cacodæmon vero vbi adest quandam ostentat diuinationis speciem, nimirum affectat diuinationis opinionem, ad quam solam scit pertinere veram futurorum, per se, & non per præsentes causas, ac notas præsensionem, parati etiam hi videntur ad inspirationes, quia cum sint alienati mente, minus intenti sunt corporalibus passionibus, vnde Hippocrates, eos ne dolores quidem sentire, qui mente laborant, scripsit, argumento vero est, quod videmus tales, & plagas, & vulnera, & nuditatem, & famem, & passiones alias quascumq. sensibiles facilius tollerare, tales ergo sint paratiores ad inspirationes recipiendas, sed demoniacas potius quam diuinas, cum recte videatur censere Arist. in lib. de insomniis, dum ait, indignum esse putare Deum cum hominibus dementibus colloqui præteritis bonis, & sapientibus. Si vero de non morbosis melancholicis habeatur sermo, his clariora, ac veriora somnia esse possunt propter eas somni conditiones, quæ ad clariora somnia producẽda facere iam superius diximus, & de quibus paulo post dicemus. Interim nonnulla Auicennæ proponere arridet, qui opinatus est imaginationem humanam, non tantum humana corpora mouere, vt bestiarum corpora ducuntur sua imaginatione, sed etiam insigne hoc habere externam materiam mouere sine actione quapiam per medium, & tota elementa alterare sine instrumento corporeo, vsq. adeo, vt non dubitauerit posse hominis cuiuspiam imaginationem fortem pluuiã congelare, & rationem afferunt huius opinionis authores, infusa .n. (dicunt) nobis anima humana forinsecus, & est naturæ intelligentiarum cælestium, quare vt illę intelligendo (non .n. dicunt aliter) mouent orbes, & multiplices vires infunduntin elementa, ita nostram animam, cum vehementius rapitur imaginatione quapiam forti extra materiam, nihil est improbabile, vt illas operari in externam meteriam

His ità positis, nec de insomniis ex illorum mente difficile est causam reddere, anima scilicet ipsa inter dormiendum deposita rerum humanarum cura, operante vt illæ supernę intelligentiæ, intelligenteq. ac diuinante, quæ ex sensibus non acceperat, non autem omnibus hoc æqualiter contingere, sed insignius quibusdam, quibus contingit intelligentia hac vi precipue prædita, aut fortasse quę minus materia est obruta, quare fortius imaginatur, sed illud (addas tu) in melancholicis sanis magis contingit, hoc vero in melancholicis morbosis, ergo vtriq. per insomnia diuinantur. Hæc tamen quantum iudicio assequor vt scripsit doctissimus vir Franciscus Valesius in suis cōtrouersiis falsa sunt, nam anima, & si nobis aliunde adueniat, quod bestiis non accidit, eodem tamen modo nobis inest, ac suæ illis, nempè vt forma, non .n. arbitrandum est aduenire forinsecus nobis mentem formatis forma quapiam priori, sed omnia nos ex rationali anima habere, vt equi habent ex sua anima, & ignis ex sua forma, quare verisimile est eam interim, dum in materia est vt in materia tantum operari, neque posse quicquam diuinare, quod non ex sensibus acceperit, neque remotam materiam alterare non alterata media neque quicquam aliud facere extra proprium corpus, quod substantiis ex elementis concretis denegetur; sed ad pollicitas somni conditiones accedamus;

Hæ igitur somni conditiones, quæ ad clariora, atque ideò veriora somnia faciunt, sunt, vt somnus sit placidus, sit moderatus, nec multis animi motibus sit conturbatus, sed in melancholicis non morbosis somnus est talis, ergo in iis somnia veriora erunt, & primo constat in iis placidum satis esse somnum, tum quia in sanis melancholicis sanguinis etiam copia subdominantis adest, ex quo somnus producitur placidus, tum quia tunc somnus est placidus, vbi cerebrum à multis & veluti impetentibus, seu valde commotis, vaporibus non repletur, quod in sanis melancholicis contingit, quandoquidem à sicca materia, & in actiuis qualitatibus temperata prædominante modici eleuantur vapores, iiq. sensim & quiete, præterea somnus moderatus est, quia non breuis, & leuior est, vt in biliosis ob calidos, ac siccos vapores, non longior ac profundus, vt in sanguineis propter copiam vaporum, & vt in pituitosis propter eorundem frigiditatem, & humiditatem; Tandem non multis animi motibus conturbatus est somnus, quia melancholici, qui sani sunt tanquam prudentes etiam eos compescunt, ac solis scientiis, vel artibus se totos tradunt, reliqua negligentes, ita vt pacatè, quieteq. viuant. Neq. his obstant, quę adduxit Aristoteles lib. de Diuinat. per somnum cap. 2. ibi .n. huiusce problemmatis duplicem rationem afferre videtur, quarum altera est, quod melancholici, cum secundum plura & multifaria moueantur, assequūtur; Altera vero; quod melancholici propter vehementiam imaginationum, quemadmodum iacientes eminus bene coniectant; quæ quidem rationes, inter se maxime contrariæ videntur, nam si melancholici plura, &

multifaria imaginantur, illorum imaginationes vehementes esse non possunt, quomodo .n. illa vehemens erit imaginatio, quę cito desinit? sed qui plura, ac multifaria imaginatur, vt in vna imaginatione parum sistat, necesse est. Amplius ait Aristoteles, quod propter vehementiā non expellitur melancholicorum motus ab alio motu, quare si aliqua eorum vehemens erit imaginatio, ab alia imaginatione non expelletur, quare nec etiam plura, ac multifaria imaginari poterit melancholicus, si vehementer imaginetur; Cęterum quamuis inter se pugnare videantur rationes istæ, ambæ tamen quadrant, si melancholicorum genus distinguatur: Cum igitur alii temperamento tantū melancholici sint, nec naturalis status limites excedant, alij verò melancholici morbosi sint, vt diximus ac præter naturam, & hi rursus vel improprie & largo modo melancholici appellentur, vt maniaci, vel proprie, & verè melancholici, dicendum est, hos postremos propter imaginationum vehementiam bene coniectare, quandoquidem in proprijs imaginationibus fixi peneq. immobiles manent, vnde semper cogitabundi apparent, imo cum hi imaginationi toti intenti sint, extrinsecos sensus veluti quiescere faciunt, quibus quiescentibus sensitiuæ facultates internæ suas actiones perfectiores edunt, hinc qui sine visu, & sine auditu sunt, sensitiuas virtutes internas, perfectiores obtinent, cum igitur somnium imaginatiuę potentię sit opus, mirum non est, si in his somnia certiora contingant. Si verò de maniacis sit sermo, cum hi propter ingentem cerebri caliditatem, exindeq; magnā spirituum commotionem plura, ac varia imaginentur, tam in vigilia, quam in somno, illis inter tot somnia posse nonnulla vera contingere quis neget? & idcirco Aristoteles ait, quod hi assequuntur, quia secundum plura ac multifaria moueantur, & assequūtur quidem non semper sed interdum vt à similitudinibus ab Aristotele subnexis coniicere est, nam sunt isti, veluti, qui multa tela iaciunt in signum, quorū nonnulla facile est vt ipsum cōtingant; Quod autem Aristoteles hic de maniacis intelligat, ipse, testatur, dum ait, eos multas visiones videre, quorumcunque quasi loquax, & melancholica natura est, nam maniaci valde loquaces sunt, verè autem melancholici taciturni, atq; silentes. Si tandem de melancholicis secundum naturam loquamur, his non tantum, propter vehementiorem imaginationem somnia veriora contingent, sed etiam quia sapientiores sunt, nam vt ait philosophus 30. sect. problemmate 13. qui instructi virtutibus sunt; meliora somnia vident, Quod etiam vigilantes meliora animaduertunt, & de his loquutus est ipse 7. moral. Eudem. iam cit. cum ibi, melancholicos inter eos adnumeret, quorum ratio soluta est, at morbosorum melancholicorum rationem solutam esse dicere minime possumus, sed corruptam, ac deprauatam, imo ex ipsomet Aristotele cit. problem. qui deterius vel animo, vel corpore sūt affecti deteriora concipiunt, quippe cū etiā affectio corporis faciat ad somni visionem.

Cur

Cur in melancholicis somnia frequenter fiant
Cap. XX.

IN superiori problemmate melancholicos morbosos somniabundos esse quoq.retulimus;huius autem rei causam referũt recentiores nonnulli in flatuum copiam, quibus melancholici abundant, (flatuosos .n. esse melancholicos, & hypocondriacos præsertim, omnibus satis patet) voluntq. quod flatus caput petentes per cerebrum agitentur, commoueantq. spiritus animales deferentes simulacra, & imagines, a quibus commotis, & ipsa simulacra,quę seruantur in memoria,commoueantur, & immaginationi repræsententur, hincq. fiant insomnia, cum nihil aliud sit insomniũ, quam phantasma in somno ex commotione imaginum in memoria seruatarum causatum in ipsa imaginatiua, sed copia flatuum huius euentus causam potius destruere videtur, quam ipsa sit statuenda causa, nam copiosi flatus in cerebro angustiori loco coerciti cum exitum non adinueniant, huc illuc impetuosè mouentur, & ita imaginum vehementē commotionem efficiunt, ex qua somnia non fiunt; ex vehementi nãq. agitatione omnia confunduntur, & hinc pueri ex Aristotele lib. 4. de hist. Animal. c. 10.ob magnum vaporum ascensum non somniant,nec hii qui post cibum dormitant ex eodem lib. de insomniis, ca. vlt. prætereа esto quod hypocondriaci maxime flatuosi sint,qui per essentiam melancholici sunt, vnde nam copiosos habeant flatus non est videre; Accomodatior igitur ratio huius problematis ex Aristotele elici posse videtur sect.30 problem.14.nãcum eos,qui grauiter,ac suauissime dormiũt,nõ somniare asserat,eos somniare qui leuiori tenẽtur somno quis à contrario poterit deducere; ergo cum melancholici; & propter cerebri siccitatem; & propter melancholicum humorem, qui terreus ac siccissimus est vigiliis infestentur; & leuissimo tantum somno teneãtur, frequentius somniabunt, preterea cum melancholici in immaginationibus valde fixentur & cogitabundi sint, mirũ nõ est, si somno superueniente ipsis somnia facilè occurrant,ea.n. ex Aristotele maxime somniamus,quæ agimus aut acturi sumus aut volumus,de his.n. maxime cogitationes imaginationesq.obueniunt; Cęterũ cur qui profundiori tenentur somno non somniẽt, contra vero, qui leuiori, somniẽt, ex ipsomet philosopho in eodem problemmate ita scribente docemur, Iactatur .n. animus noster maxime in somnis calore scilicet, qui vndiq. in partem se colligit interiorem, atq. ita efficitur, vt plurima, vehementissimaq. illa obstante iactatione nullum interuenire somnium possit, nec putandum, vt animus tunc conquiescat, & per se maxime fit cum nullum somnium trahitur, vt multitudinis opinio, est, sed contra omnino incidit, vt qui in motu plurimo est, nec paulisper quiescit hic intelligere nequeat, plurimus autem motus,cum suauissime quis

obdormiscit, merito propterea est, quod tūc maxime larga caloris copia in partem contrahitur interiorem; animum verò concitatum nō solum inter vigilandum, sed ne per somnum quidem intelligere posse argumentum etiam illud est, quod in somnis, quos cibo ingesto primos agimus, nulla facultas videndi somnii datur, cum maxime accidat, vt animus propter cibum ingestum concitetur & paulo supra, hæc habet; " Et quidem qui inter dormiendum somniant, non alia de causa videre sibi illa videntur, quā intelligentia constante, requiescenteq. quod quidem somno contingit leuiori; Sed & hic non leuis difficultas oritur, qñ quidē si qui profunde dormiunt, non somniāt eo quia in ipsis animus vehementius commoueatur, & agitetur ob largiorem calorem, interius se colligentem, & contra qui leuiter dormiunt, somniant, eò quia in ipsis animus quiescat, & tranquilletur ob paucum calorem, qui interius se colligit, merito concludendum esset, melancholicos, quia leuiter dormiant, somnia ncurrere, quod .n. leuiter dormiant & Aristoteles concedit, cum eos, in somnis crebro excitari consueuisse scribat; sed Aristoteles tum omnino contrarium concludere tum sibi inconstans esse videtur, dum cit. probl. hæc habet ad litteram. " Melancholici idcirco in somnis crebro excitari consueuerunt, quod calore largiore vrgente animus moueri æquo amplius cogitur, quod cum motus vehementior sit, merito dormire minime possunt, ex his igitur concludit Aristoteles melancholicos non somniare cum in ipsis propter nimium calorem vrgentem animus vehementius commoueri cogatur, qui ita concitatus, neq. intelligit, neq. apprehendit phantasmata, & ob id somniare nequit, Amplius sibimet Aristoteles contradicere manifeste videtur, dum ait, quod calore largiore vrgente animus æque amplius moueri cogitur, ex quo animi vehemētiori motu melancholici dormire nequeunt, cum dixerit superius, in iis, qui grauiter & suauissime dormiunt, largam caloris copiā vigere, animumq. idcirco vehementius concitari, atq. moueri. Cæterū vt hæc difficultas tollatur primo animaduertēdum est minus proprie appellasse Aristotelem melancholicos, cum non vere melancholicos, sed maniacos intellexerit, in his .n. magnus vrget calor, maximaq. adest cerebri efferuescentia, in melancholicos autem non tantus calor, sed præcipue siccitas vrget, & vt plurimum cum siccitate frigiditas, hoc autem confirmat Aristoteles lib. de somn. & vig. c. 4. dicens melancholicos somnolentos non esse, quia infrigidatus sit locus interior, vnde in ipsis non fiat multitudo euaporationis. Secundo per largam caloris copiam, quæ in melancholicis ab Aristotele appellatis viget, non natiui caloris copiam, sed extranei debemus intelligere, & huius non ad interiora contracti, sed ad exteriora expansi, quare cū somnus ex Aristotele loc. nuper cit. sit quidam conuentus naturalis caloris intro, & antiperistasis propter euaporationem alimenti ad cerebrum (hæc .n. euaporatio ad cerebrum, quod ex Aristotele c. 5. eiusdem libri

bri omnium, quæ in corpora sunt frigidissimũ extat, delata, & ipsa fri gidior fit, & calorem natiuum veluti fugat) mirum non est, si in melancholicis cerebrum pręter naturam calidius habentibus hęc euapo ratio non ita infrigidetur, ac proinde non fiat tanta natiui caloris cõcentratio; Tertio credendum est, quod Aristoteles de animi motu tractans, per animũ modo animum, seu animi facultates vere intelligat; modo illius organum, nempe spiritus animales, qui cum ex illius opinione in corde generarentur, ad cor etiam in somno retrahi putabat. His ita suppositis respondetur nequaquam concludi posse ab Aristotele melancholicos non somniare, nam dum ait, eos non somniare, in quibus animus vehementius commouetur ob largiorem calorem intus se colligentem, tunc per animum, non vere animum intelligit, sed illius organum, nempe animales spiritus, quos cum re vera à vitalibus non distingueret hos in somno ad cor refugere putabat, & propter antiperistasim, in ea .n. natiuus calor, atq. vitalis spiritus, qui sui natura ad exteriora feruntur ratione contrarii, quod fugiunt, intus retrahi coguntur, atq. ita assiduo fit in somno, & in profundiori maximè iste veluti coactus motus. Quod autem animi organum, & non vere animum subaudiat Aristoteles ex eo probari facile potest, quia animi facultates in somno quiescere vult ipse; hinc 1. Nicomach. c. 13. otiũ animæ appellauit somnum, & lib. de somn. & vig. c. 2. interiores, exterioresq. sensus in somno cessare scripsit, quare cum in melancholicis, qui leui fruuntur, somno, largior intus calor non se colligat, & ob id spiritus, animę organum, vehementius non agitentur, concludendum non erit ipsos non somniare; Nec etiã sibi contradicit Aristoteles, nam dum ait melancholicos ex animi nimia agitatione ob largiorem calorem prouenientem non dormire, tunc per animum, vere animũ intelligit, atq. illius sensitiuas facultates, externas, & internas, hinc sæpe (vt experientia patet) dum lecto cubamus, vt somno nos demus ob nimias cogitationes dormire nequimus, sic per largiorem calorem in melancholicis vrgentem non natiuum intus collectum, sed extraneum intendit Aristoteles, qui est in causa, ne intro tam facile retrocedat natiuus, cum euaporationes ad cerebrum delatas consumat, indeq. antiperistasim prohibeat. Duæ tamen ex dictis iterum difficultates emergunt, quarum vna est, quomodo animę, seu potentię sensitiuę organum, nẽpè animales spiritus in graui somno concitari possint, cum non à cerebro ad cor retrahantur, vt voluit Aristoteles, sed ad ipsum cerebrum confugiant, tanquam ad suum principium in quo generantur? Altera est quomodo somniare possimus, si in somno anima seu sensitiua potentia otietur? Ad primam respondetur, Galenũ non negare, quod natiuus calor in somno retrahatur ad cor, etiam si spiritus animales ad cerebrum renocari velit; quorum spirituum etiã proprium est ad exteriora ferri, nempe ad omnium organa sensuum, & ad neruorum initia, ita vt & ipsi ratione contrarii per antiperista-

sim in cerebri ventriculos reuocari cogantur, & ita illorum quoque vehemens motus fiat, quem non male quisquamdam veluti oppressionem appellet. Ad alteram respondetur in somno feriare quidem sensus omnes externos & inter internos, quem communem appellamus, quandoquidem, & hic non operatur, nisi præsente obiecto quẽadmodum neque ipsi sensus externi; reliquos tamen internos sẽsus suas interdum edere posse actiones testantur insomnia, & hos seclusit Aristoteles, dum lib. de somniis c. 1. somniũ esse quoddam in somno phantasma sensitiui quatenus imaginatiuum est enunciauit; ex quo patet somnum non esse necessario otium animæ, seu sensitiuę potentię quatenus imaginatiuę, sed quatenùs visiuę, auditiuæ, & ad reliquas sensationes externas ad communem usq. respicientis. Sed hactenus de insomniis.

Cur melancholici plurimos cibos appetant? Cap. XXI.



A Melancholicis plurimos cibos appetiuobis indicauit libellus de melancholia ex Galeno, Ruso, & Possid. ibi quoq. huiusce quęsiti affertur causa, nempe oris ventriculi frigiditas, ita vt a melancholicis, quia in ipsis oris superiori ventriculi frigiditas adsit, plurimi cibi appetantur, Huic tamẽ rationi duo videntur obstare, nimirum melancholia essentialis, in quascum solum cerebrum afficiatur, non est necesse vt adsit ventriculi dicta frigiditas item & hypocondriaca melancholia, quę ex Dioclis sententia a Galeno comprobata 3. de loc. aff. c. 7. cum phlogosi, seu accensione ipsius ventriculi fit, ita vt neq. melancholici per essentiam, neq. hypocondriaci plurimos appetant cibos, vel si appetant; non ob prędictam frigiditatem appetant, cum in illis hęc necessario nõ requiratur in his autem summa potius caliditas, quam vlla frigiditas adsit, remanet igitur vt tantum melancholici a toto plurimos cibos expetant, cum in ipsis nigra bilis frigida, & sicca ventriculi superno ori alioquin sui natura frigido, & exangui propriam intemperiem facile, ac cito communicare possit; veruntamen animaduertendum est in melancholicis per essentiam, frigidam & siccam cerebri intemperiem, qua laborant, ori superno ventriculi facile communicari propter neruos nõ exiguos, qui a cerebro in ipsum deriuant, nam quemadmodum ventriculi superioris affectiones cerebro communicantur, ita & cerebri ventriculo teste Galeno loc. cit. quare non mirum, si illi quoq. plurimos cibos possint appetere, Quoad hypocondriacos vero attinet, nõ est dicendum in ipsis frigidam ventriculi intemperiem, non positiuã quidem, sed priuatiuam reperiri, ob quam plurimi cibi expetantur, quoniam & si vere in eis priuatiua frigiditas adsit, hæc nequaquam appetentiam excitat, vt in ardentibus febribus, in inflammationibus,

aliisq.

aliisq; similibus affectibus videre est in quibus propria innataq. ventriculi caliditas quam maximè absumitur; Veriùs hoc dicant contingere ob humoris melancholici portionem ad os vsq supernum ventriculi protrusam, quod tùm ob ipsius in eis redundantiam circa ventriculum, tùm ob prędictæ particulæ imbecillitatem facilè euenit; Nō tamen credendum est hoc semper fieri, & in omnibus melancholicis, sed interdùm, & in nonnullis, nā alia ex parte habemus ex sententia Dioclis superiùs citata melancholicos hypocondriacos plurimum cruditatibus laborare, quæ cibi potiùs inappetentiam, quàm desideriū efficiunt, sic etiam eos maximè siti infestari habemus, vbi autem sitis, ibi fames deest, hæc .n. calidi & sicci appetentia est, illa verò frigidi, & humidi, quare & contrarias etiam eorundem causas esse fatendum est, Non negandum tamen ex Galeno ibidem. & pręsertim 6, de loc. aff. cap. 1. ex liene in ventriculum melancholicum humorem transfundi, non quidem naturaliter, ac modice, vt quotidiè in sanis cōtingit, sed præter naturam, ac excedenter, ex quo non solùm melancholicam affectionem produci, sed morbosam quoque famem existimare possimus nàm tunc melancholicus humor acidior factus os supernum ventriculi adeo constringit, atque corrugat, vt inde maior fames excitetur, & ob id plurimi appetantur cibi; hinc Galenus in 2. aph. 21. caninum appetitum fieri scripsit vel propter solam intemperaturam frigidiorem, vel propter humores acidos, quos exorbuit os ventriculi; præterea per plurimos cibos, quos melancholici appetunt, non semper plurimam cibi quantitatem subaudiendam esse existimarem, sed interdùm quoque varietatem, ita vt melancholici plurimos hoc est, varios cibos expetant, argumento autem esse possunt prægnantes mulieres, in quibus cum menstruus sanguis detentus & ad melancholici naturam conuersus coaceruetur, mirum non est, si ferè omnia, quæ viderint commestibilia, exoptent, eodem humore os ventriculi impetente; Tandem nonnulli aduersus hæc afferunt quorumdam melancholicorum exempla conscripta ab iis, qui medicas obseruationes adnotarunt, qui quidem melancholici, cum se mortuos putarent, comedere nolebant, hinc in ipsis ablatam, vel saltem admodùm imminutam fuisse appetentiam concludunt; non igitur plurimos, ac varios cibos melancholici appetant; Sed falsa est conclusio, quandoquidem non quia in eis deficeret appetentia cibos respuebant, sed quià se mortuos esse falsò existimabant, vndè cum alios, qui se mortuos fecerunt, ad mensam accumbentes, ac comedentes vidissent, & ipsi cibos assumpserunt; sed quià cibum potus subsequi solet, & hic vt plurimum ex vino est, & nos quoque de eo nonnulla subnectere non importunum duximus.

Cur ex melancholicis nonnulli vini plurimum bauriant? Cap. XXII.

Melancholicorum aliquos vinum plurimum haurire, quià calefieri frigidus humor desideret, habemus in libello de melancholia ex Gal: Ruso, & Possid: Hinc Hyeronimus Capiuacceus lib: 3. de aff: præter naturam c. 7. scripsit succos, vbi os vẽtriculi supernum occupent, qua sunt præter naturam esse in causa appetitus contrarii, quod & ante ipsum scripsit Auicennas lib: 3. fen: 13. tr. 2. c. 10. Nihilominus rectius intuenti non parum difficultatis habere videbitur allata ratio, quomodo.n. melancholicus humor, quatenus frigidus est poterit in ore ventriculi vini appetentiam excitare? frigidus frigiditatem imprimet, quæ etiam si præter naturam sit, & ob id contraria expostulet, non tamen potiùs hoc, quàm illud calefaciens expostulabit; Amplius multum potare ingentem sitim præesse commonstrat, in ò nisi sitis adesset, quænam ratio esset, ob quam potabilia potiùs quàm commestibilia appeteret iste humor? taceo quod ex melancholico humore circa os ventriculi supernum existente maxima cibi appetentia, & canina fames excitatur, ergo in iis in quibus vini maximum desiderium excitatur, necesse est vt præter melancholicum humorem sitis adsit, neq. hæc modica tantum, ac naturalis, sed fortè excedens, ac præter naturam, quare si quemadmodum sitis fit partim humoris inopia, partim caloris copia, vt nos docuit Galenus lib: 1 simpl. c. 30. sic præternaturalis, & aucta sitis, à caliditate, & siccitate in ore ventriculi adauctis fiet, quare tantum abest, vt à frigiditate sitis excitetur, quin potiùs expellatur; Rectiùs igitur fortasse erit melancholici humoris frigiditatem conticere, vel cum eadem siccitatem in medium afferre, ob hanc .n. ori superno ventriculi impertitam sitis excitari potest, nàm & siccitas est ex causis sitim inducentibus, quæ sitis eò magis etiam excitabitur, si siccitati caliditas iũgatur, vt iis melancholicis contingit, qui ventriculi phlogosi laborant, aut in quibus ob nimium hæpatis feruorem calidæ exhalationes ad os ventriculi effumant, isti .n. plurimum siti infestantur; Cur autem potiùs vinum, quàm cætera potabilia expetant, & hauriant, quisq. facile intelliget, qui vinum præ cæteris homini magis consuetũ esse animaduertet, vel dicamus cum Capiuacceo loc. cit succos, qua sunt præter naturam esse in causa appetitus contrarii, & hoc cum animaduersione quadam intelligendum est, nã quatenùs præternaturales isti succi sunt exiguæ actiuitatis, sunt in causa appetitus quidem contrarii, sed boni, quale est vinum in casu nostro; quatenùs verò sunt insignis actiuitatis sunt, in causa appetitus contrarii non boni, idest non alimen-

alimentalis, sed medicinalis, quale ex: gr: esset vrina; vel alia praua potio; Sed adhuc obiiciat aliquis, si isti non solum ob melancholici humoris frigiditatem, qui calefieri expostulat, sed etiam propter sitim vt diximus, multum vini expetant, & hauriant, certè hoc postremum erit, à veritate dissentaneum, nec ipsi contraria appetent, nam tantũ abest vt vinum sitim adimat, quin potiùs illam efficiat, cum calefaciat & exiccet, atq. ita sitis causas adaugeat; Respondetur, causam, obquã vinum appetitur pręcipuam, & à natura intentam, esse calefactionem frigidi humoris melancholici, cum autem, nisi mediante siti vinum expetatur, hinc, & ipsa secundo loco tamquàm causa cooperãs subnexa fuit, nec ista sitis præcipuè curationem expostulat, sed ad ipsam attemperandam, atq. mulcendam sat est actualis frigiditas, & humiditas vini.

Cur plerią natura melancholici propter vinum copiosius epotum penitùs resoluantur, labanturque? *Cap. XXIII.*

ARistoteles sect. 3. problem: 16. hoc experimentum asseruit, quo in problemmate, cur vinum in nobis diuersos pariat effectus (alios .n. timidos, ac tardos, alios superbos, & temerarios efficit) pręcipue rationem reddit, atq. huiusce effectus causam in humidam vini naturam refert, ait .n. vinum, vt quod suapte natura humidum sit, homines tardiores incendere, reddereque mobiliores contra mobiliores dissoluere; atq. retardare, vnde, (& hoc ad rem nostram spectat) plerosq. natura melancholicos pęnitùs resolui labiq. in crapulis nouit; Profectò à vino liberalius epoto non solùm melancholici, sed quicumq. alii quacumq. natura donati sint apoplectici possunt euadere, sed cur frequentius melancholici inuestigandum est, quod antequam fiat, vnum, vel alterum animaduersione dignum in verbis Aristotelis percurramus, nam quoad actualem vini humidam naturam pertinet, fortè non malè feceris, si ipsi calidam quoq. quam habet potentia, adiungas, etenim homines incendere, mobilioresque reddere caliditatis potiùs quàm humiditatis vis est; deinde cum ait, vinum mobiliores homines dissoluere, atq. retardare, vnde melancholici pleriq. ab ipso resoluuntur, ex his verbis melancholicos mobiliores esse colligimus, hoc autem fateri, certè rationi parùm consentaneum est, quomodo. n. melancholici frigidi, ac sicci, & qui fęculentiori, terrestrioriq. sanguine abundant, & ob id spirituum penuria laborant, cęteris hominibus mobiliores sint? neq. hic intelligere melancholicos atrabilarios, seu exustos possumus cum hi non natura tales inueniantur sed præter naturam tales euadant, Aristoteles verò de hominibus na-

tura melancholicis sermonem habet; sed ad rem, quam vt breuibus perstringamus, supponendum priùs est, tunc homines penitus resolui, labiq. cum in ipsis cerebri cauitates, seù ventriculi, ab aliquâ materia confertim obstruuntur, hęc autem materia dùm liberalius ebibitur, vel erit cum vino, vel potius cum vini vaporibus commixta (nec .n. solos vini vapores esse posse existimo, qui repleant, nàm si soli sint, nulla alia materia admixta, quærendum erit cur ventriculos cerebri melancholicorum potiùs obstruant, quàm biliosorum pituitosorum, aut ságuineorum hominum. Hoc vnum apud omnes constat, vinum sui natura vaporosum esse, & cerebrum ferire. sed rationabile est etiam cerebrum id à vino magis pati, quod debilius, ac sui natura laxius est, tanquàm ad recipiendum aptius; modò valdè magis laxum est melācholico pituitosum cerebrum, ergo hoc multo magis affici, ac repleri à vini vaporibus, quàm melancholicum deberet, & quamuis melancholicorum cerebrum quod frigidum, & siccum est (id .n. aliquis poterat obiicere) multa pituita abundet, non ea tamen scatet copia, qua pituitosum, non ergo dicendum est, à solis vini vaporibus cerebri ventriculos obstrui; Cum igitur præter vini vapores requiratur materies alia, quæ ventriculos obstruat hæc certè melancholica erit in melancholicis à prædominio, quemadmodum in pituitosis pituitosa, & sic de cæteris; Cur tandem hęc materia melancholica vna cum vini vaporibus permixta ventriculos cerebri frequentiùs obstruat, nobis cum Aristotele in eorumdem vini vaporum humiditatem referre non displicet, nàm cum melancholicus humor crassus, ac terreus humescit tenuior fit, ac fluxibilior, ita vt in vētriculos facile, ac cōfertim transfundi possit, si autem vini humiditati caliditatem etiam adiungamus vt superiùs diximus, non erit ab re, cum hæc corporis resolutio citò fiat, & ab actiuis qualitatibus citius, quàm à passiuis humorum commotiones fieri non ignoremus; Cæterum vel hoc humiditati melancholicum humorem magis fluxibilem reddenti, vel caliditati ipsum fundenti, vel vtriq. simul tribuamus, nihilominus fortasse scicitabitur aliquis, qua de causa hæc non adeò frequenter producat vinum in pituitosis, biliosis, ac sanguineis, dū pituitæ, bili, ac sanguini sui ipsiusmet vapores miscentur. nàm si propter vini humiditatem hęc contingant pituita, ac sanguis tanquam melancholia humidiora ab ipsa vini humiditate facilius coaffici deberent, inter se .n. symboleitatem habent; sic si propter caliditatem contingerent, sanguis ac, bilis calidiora sunt melancholia, si tandem propter humiditatem, ac caliditatem simul cōiunctas, sanguis calidus & humidus est; Huic respondendum erit, pituitā non adeò facilè in cerebri ventriculos præcipitare posse, cum viscīditate non careat, quę ipsam veluti conglutinat, atq. retardat; Quoad bilem spectat hæc in naturali statu nunquàm adeò copiosa in cerebro colli-

colligitur, quæ obstructionem prædictam possit efficere, nàm propria acrimonia ad sui expulsionem cerebri expellentem facultatem irritat Sanguis tandem magis à natura tuetur, ac regitur cæteris humoribu cum proprius illius thesaurus sit, prçterquam quod sanguinei homi nes robustioribus prç diti sunt facultatibus, ità vt ipsorum cerebrum morbificis casis magis resistat.

Cur varios mores quos vinum inpotantibus excitat, eosdem & melancbolia in nobis producat?
Cap. XXIIII.

VInum varios in nobis producit effectus non modice sumptũ nec in decenti quantitate, quç pro cibi vehiculo, & adiuuã da coctione inseruiat, sed immodicè haustum, vnde Aristoteles 3. sect. problem. 16. Cur vinum immodicè haustum diuersos producat effectus proposuit, & sanè hoc mirum esse videtur, nàm cum vnica sit causa, nempè ebrietas, vnicum etiam effectũ producmre deberet, sed hic omnino contraria produci obseruamus, cum aliuse ad motum sit segnis, alius verò nimis promptus; Actio omnis quam uis varietur, aut mutatione agentis, aut seruato eodem agente mutata quantitate, tempore, loco ordine, iis tamen etiam in eadem proportione seruati s nisi passum eamdem seruauerit naturam, procu dubio effectus, qui producentur diuersi esse solent, & sæpe numero contrarii, hinc si quis natura frigidus foueatur, medioeri vini potu, is idoneus magis reddetur ad proprias obeundas actiones; quod si immodice hauriatur à vehementer frigido, remissus ad omnia fiet, anxius formidolosus, delirus, sed iners si vero in temperamentum aliquantò calidius incidat, immodicè autem vinum absorbeatur, loquaces reddunt ludibundi, petulantes; Quod si aut quantitas vini maior sit absorpta, aut certe calidiorem naturam nactum fuerit, videmus in iram fatlimè proruere, minaces fieri, modòq. alios contemnunt, modò verò ab aliis contemni se putant, moxq. in furorem se vertunt, & ad contumelias, mox autem augescente etiam calore præter naturam, & natutali quasi suffocato in contrarium habitum incidunt, & quasi stertentes moribundis sunt quàm simillimi, . Hinc apertissimè patet horum effectum varietatem non solum in potantium diuersas naturas, sed etiam in variam quantitatem vini referendam esse, quod postremum & nobis ex Aristotele innotescit 30. sect. problem. 1. vbi cur hosce varios mores in nobis quoq. atra bilis producat, rationem reddit Aristoteles. nempè Quia similem ambo istæc sortiantur naturam, atra scilicet bilis, & vinum, idcircò eosdem in nobis parere effectus ipse existimauit, hinc vinum, ait dum bibitur varios mores condit, variosq. homines

mines reddit, vt ira cundos, humanos misericordes, audaces, hæc eadē & melancholicus humor, facit, & hæc quidem præstat, ex Aristotelis mente propter sui temperiem toti corpori impertitam, à temperatura enim totius proueniunt mores, animiq. affectus qua in re, & Aristoteli totus assentitur Galenus in libello, Quod animi mores corporis temperaturam sequantur, nàm nisi atra bilis sui temperiem reliquo corpori, aut saltem cerebro tanquàm principi parti in qua fiunt animales actiones, communicaret, morum varietatem non produceret, sed potiùs morbos, qui sui copiam insequerentur, vnde de atra bile pertractans Aristoteles hęc habet" Parti igitur hominum, maximè victu quotidiano redundans, nempè atra bilis, mores nihilò immutat, sed morbum melancholicum, tantummodo creat, at quibus habitus natura talis constiterit, mox his multa', & varia morum genera exoriūtur, pro vt scilicet, alius aliam habitus intemperiem sortitus est, quare pro vt atra bilis tali, vel tali temperamento donatur, ità hoc vel illo temperamento corpus coafficit, illi neq. varia morum genera profert atra .n. bilis, vt aquæ exemplo probat philosophus, & calidissima, & frigidissima reddi potest, sed si extremos, ergo & multo magis medios qualitatum gradus obtinere poterit, atq. ità plures, variiq, erunt frigiditatis, aut caliditatis gradus, quibus donari poterit atra bilis, ex quorum diuersitate varii posteà proueniunt effectus; vnum autem est, in quo atra bilis, & vinum differunt, nam atra bilis dùm propriam tēperiem corpori communicauit, prędictam morum varietatem semper auget, & efficit, vinum vero breui tempore, & eo tantum, quo ebrietas perdurat, hoc efficere, solet, ex quo inquit Aristoteles vinum non longo hęc tempore augere, sed breui, naturam verò dum vita eduret assiduis incrementis amplificare, & per naturam ipse totius corporis temperaturam siue ab ortu profectam, siue temporis spatio contractā intelligit, nàm ait temperamentum omne calidi & frigidi esse, & ex his duobus naturam, & seruari & constare, Vinum verò largius sumptum cum breui moretur in corpore, non est necesse, vt totius temperamētum immutet, & (vt Aristoteles de atra bile asserit) se se constantię naturæq. vniuersi corporis intermisceat, confundaque: sed sat est spiritibus animalibus tanquàm animæ organo, se se suis euaporationibus immiscere, confundereq. atq. ipsorum temperiem illo saltem breui spatio alterare, Vnum tamen est ab Aristotele prolatum, quod nonnullis maximam difficultatem parit, nimirum quomodo vinum, & atra bilis eamdem sortita sint naturam, quandoquidem atra bilis ex ipso, & frigidissima, & calidissima esse potest, vinum autem nequaquam frigidissimum esse potest, imo nequidem frigidum, dicunt isti, cum ipsum ex secundo ordine calefacientium esse, & si admodum vetus sit, ex tertiò scripsit Galenus de simpl. medicam: fac: lib. 8. qui etiam in 5. aph. 5

ait

ait vinum facile replere neruos, vt quod calidam habeat temperaturã talis si quidem natura promptè omnia subintrat,; si igitur vinum calidũ est, quomodo eamdem naturam obtinebit cum atra bile frigidissima? prætereà quomodo timores, mæstitias, taciturnitatis, aliosq. similes pariat affectus, qui frigiditatis soboles, esse solent? Respondent aliqui vinum & si non eamdem omnino naturam sortitum sit cum atra bile, eosdem tamen varios affectus producere, quos & atra bilis, nãeos, qui calidi atem sequuntur, vt ex: gratia liberalitatem, loquacitatem, audaciam, petulantiam, cum calidum sit, per se producit, illos verò qui ex frigiditate fiunt, non per se, sed ex accidenti producit, vbi scilicet nimis copiosè epotum, naturalem calorem extinguit, sic Aristoteles dùm gradatim vini effectus commemorat, eos prius describit quos caliditas parit, tandẽ quos prę nimia copia vinum non calefaciendo, sed suffocando calorem natiuum, & proinde refrigerando inducit, ait .n. vbi vinum hominem frigentem, taciturnumque à sobrietate accepit paulo liberaliori poculo refouet, excitatq. ad verba, tum largiori potu verborum vberem, eloquentem, fidentẽque reddit, post hac processu ampliori audacem, propensumque facit ad agendum, deinde plenius amplificato in cotumeliam, & petulantiam vertit, mox ad insaniam propemodum accendit, & accendit, ait, quia hucusque vinum calefaciendo agit postremo nimio ex potu resoluit stultumque agit in modum eorum, qui à pueris morbo comitiali, laborant, aut etiam eorum, qui vitiis atræ bilis maiorem in modum continentur, & ista non calefaciendo, sed vt diximus refrigerando, caloremq. suffocãdo agit: Hęc sanè responsio veritati maximè consentanea est, cui & ego libentissimè subscribo; Aritotelis tamen sententia vndequaque verificari non videtur, qui vinum & atram bilem similem sortiri naturam confessus est, quare cum atra bilis & calida, & frigida reperiri possit, vt & frigidum vinum reperiatur, necesse est, si inter ipsum & atram bilem similitudinem istam fateri velimus, quæ res profectò nullã apud eum difficultatem faciet, qui Galenum legerit in lib. Hippocratis de fract. com. 3. t. 24. vbi de vino tum habitu, tum natura frigido loquitur Galenus, nec ex ipso vina diuersas qualitates habentia desunt, nam 3. de cõpos. medic. secundũ loc. c. 2. & ętatem, & qualitatẽ vini consideranda esse monstrat, multum n. differre acerbum, aut austerum, aut acre, aut dulce, aut recens, aut vetus, aut crassum, aut tenue, aut fuluũ aut album, aut nigrum vinum scribit; sed etiam lib. de succ. bon. & vit. c. 11. vinum albnm, & austerum, & nouum, & crassum sensibiliter refrigerare apertissimis verbis explicuit, & ratio est in promptu, nãm vina austera fiunt ex acerbis, & immaturis vuis ex quibus etiam fit omphacium, quod valde refrigerat; deinde cum frigidę, & indigestæ vuarum partes non ad huc à calore solis coctionem, maturitatem, &

ex

ex consequenti calefaciendi potentiam receperint, in vino adhuc postea remanet refrigerandi facultas, ex quibus omnibus quàm simillima fit, & vini & atræ bilis natura intelligi potest, cum vtraq. & calefaciẽdi interdùm, & refrigerandi interdum potentia prædita reperiantur.

Cur melancholicis aluus fere semper adstricta sit?
Cap. XXV.

HOc melancholicis propter flatus circa præcordia vagantes, nec deorsum admodum inclinantes euenire legitur in libello de melancholia ex Galeno, Ruso, & Possidonio, hinc tamẽ essentialis melancholia excludẽda venit, quoniã cum in ea cerebrum tantùm afficiatur, non generantur flatus in hypocondriis, possemus fortasse dicere & melancholicos quoq. per essentiam alui stypticitate affici, non quidem ratione flatuum, sed ob fixam imaginarionem circa phantasmata morbosa, qua detinentur, ita vt mente ægrotantes alui irritationem ad excernendas fęces non sentiant vnde ipse ob diuturniorem in intestinis moram induratæ augeant stypticitatem, ob quam etiam rationem phrænitici tum aluo deiicere, tum mingere etiam obliuiscuntur; In reliquis melancholiæ speciebus flatuum copia distendentium viscera, fæcesq. suspendentium locum habebit, hypocondriaca n. melancholia ob copiosiores flatus flatuosa appellatur, in ea vero quæ est per consensum a toto, cum totius corporis habitus hac progrediente ad frigidum & siccum vergat, plurimę cruditates gignuntur, ex quibus, & eximminuto natiuo calore producuntur flatus; Sed pulchra sanè oritur dubitatio ex 73. aph. sect. 4. inquit. n. Hippocrates. quod quibus hypocondria suspensa murmurãt lumbrorum dolore superueniente iis alui humectantur, nisi flatus erumpant, aut vrinæ multitudo proueniat, ex quibus verbis clare colligimus quod erumpentes flatus alui humectationem impediunt, cõtra verò ex libello de melancholia iam cit. habemus, quod flatus circa hypocondria vagantes, nec deorsum inclinantes, ac proinde non erumpentes, alui adstrictionem faciunt; quid igitur in hac re decernẽdum erit? Hunc nõdum facilè dissoluimus ex Galeno Hippocratis tententiam rectè interpretante, quandoquidem cum aliqua etiam humiditas vna cum flatibus circa hypocondria extet (vbi hæc suspensa murmurant) si contingat, vt prædictus humor per alias vias distribuatur, tùnc etiam si per sedem flatus erumpant, nihilominus non humectatur aluus, quemadmodum humectaretur, si vna cum flatibus prę dictis humor emitteretur, ita vt flatus per aluum erumpentes non ipsam adstringant, sed humor alio conuersus, vnde Galenus in comm rait quod humore aliquando ad distributionem concitato, solus spiritus flatuosos emittitur, nonnunquam verò vna cum humore; Tandẽ

me-

melancholicorum ventris ſtypticitati aliam non raro ſuperaddere cauſam par erit, nempè nimiam hypocondriorum, & iecinoris præſertim caliditatem, quę ſecum humiditatem adeo abſumit interdùm, vt ipſæ omninò exiccatę nequeant expelli.

Cur melancholicorum plurimi piloſi euadant? Cap. XXVI.

MElancholicorum plurimi piloſi euadunt quia multis, & craſſis excrementis abundant; ex Galeno, Rufo, & Poſſidonio in libello de melancholia, quæ craſſa excrementa mediante propria fuligine ad pilorum generationem aptiſſima ſunt, vt optime ex Galeno colligi poteſt in lib. de humor: comm. 1. t. 8 dùm generationis pilorum modum explicat his verbis" Pili hunc in modum gignuntur, humor plerumque minoribus meatibus continetur, & aliquid intrò ad imas, corporis partes recurrere cogitur, ſi verò vapor veluti fuliginoſus, craſſuſq. & terreus fuerit, periculum eſt, ne in anguſtis viis impactus nec facilè intus redire nec etiam euacuari poſſit, quocirca natura alium ſtatim parauit, qui hunc è profundo ſubiens feriat, ac prorſum pellat, & hunc rurſus alius atq. ità corpus tale conficiunt, quale eſt ea fuligo, quæ foris cernitur, ac tale corpus totum prorſus pellitur loci formam iam adeptum; hactenùs Galenus Sed huius problemmatis veritatem nonnulla infìcere videntur, & primo quod ſcriptum fuit à Galeno in 6.aph.69.nēpè quod multitudo pilorum cutis raritatem indicet, quandoquidem ſi plurimi innaſcuntur, pili in habentibus raram cutem, in melancholcis & præſertim à toto admodum pauci debent innaſci, tanquam in iis, qui cutem denſiorem habent propter totius corporis ſiccitatem, quod & ratione comprobatur, nàm quemadmodum fieri nequit, vt in terra ſicca herbæ naſcantur, nutriantur, & incrementum capiant, ſic nec pili in ſicca cute; Secundò intemperies frigida & ſicca glabra eſt, vti teſtis eſt Galenus 2. de temperem. c. 5. ſed melancholici frigidi, & ſicci temperatura ſunt, quomodo igitur piloſi euadere poſſunt? Tertiò nigrorum, & frequentium pilorum prouentum boni in cerebro temperamenti notam eſſe dicebat Galenus 2. de t mperam. c. 6. ergo melancholici, ſi in his pili plurimi gignantur, cerebrum benè temperatū habebunt; quod tamen falſiſſimum eſt, nam cum in melancholicis perpetuò cerebrum afficiatur, vel per eſſentiam, vel per conſenſum à vaporibus, atq. ab atris humoribus, neceſſe eſt vt breui temporis tractu ipſius temperies peruertatur, & ob id minimè verum erit melancholicos plurimum piloſos euadere. Cæterum hæ dubitatiunculæ facilè tolluntur, nam quo ad primam attinet, reſpondetur ſiccam melancholicorum intemperiem non eam cutis denſitatem parere, quæ pilorum exortum prohibere poſſit, non .n. omnis denſitas, aut ſiccitas cutis prohibet, ſed quę valdè talis extat, quemadmodum apertiſſimè

colligitur ex Galeno in 6. Epid. comm: 3. t. 1. qui ait neque ex prę humida cuti, neq. ex valdè arida pilos enasci, & calui indicio sunt, qiibus capitis cutis immodice arida est, sic & ad allatam rationem in comprobatione dicimus claudicare similitudinem quandoquidem non eo modo producuntur, & augentur pili quo herbæ s. d. & huic respondet Galenus 2. de temperam. c. 5. his verbis " Quippe terra, vt terra sicca dicitur, cutis vt cutis, itaq. siccitas, quæ in terra est, maximè sine humore est, quæ verò in hominis est corpore, & eius similium animalium, nec humoris est expers, & maximè omnium ad pilorum generationem est idonea; si quidem nec ex iis, quæ silicea testa tecta sunt, nec crustatis, veluti ostreis, locustis, cancris, sed nec ex iis, quæ in cauernis delitescunt, quales sunt serpentes, nec quæ squammata sunt, cuiusmodi sunt pisces, oriri pili possunt, sunt .n. horum cutes verè, & in totum siccæ ritu testæ vel petię; ceterum ex ijs quę molli sunt cutæ vt homo, quantò vtiq. siccior, calidiorq. cutis fuerit, tantò magis potest pilos gignere; nam (vt ab exemplo terræ proposito non recedamus herbæ nec in sicca, & squallente, admodum terra nasci possunt, nec in humida, & lacustri, verum cum absumi caperit redundātia humoris, tum enascuntur, jè terra, augentur autem largius, vbi hęc quoq. siccescit, modicè quidem in verè, celerrime vero & plurimùm ineunte ęstate siccantur autem omnino arefacta terra æstate iam media. Ad secundam dubitationem dicimus, melancholicos antequam frigidi, & sicci fiant, pilosos euadere, nam in huiusmodi intemperiem non initiante melancholia, sed iàm valdè progressa incidunt, tā vt nō frigida & sicca, sed calida sicca intemperies pilorum sit causa, cuius rei veritatem declarat Galenus 2. de temperam. c. vlt. sic scribens " Siquis ab initio licciore, frigidioreq. temperamento statim fuit, is nō melancholicus est, sed vtiq. pituitosus ab exstementis, quod si ex habitus mutatione frigidus siccusq est redditus, necessariò hic talis iam etiam melancholicus est, v. g. si quis ante calidus & siccus ex sanguine vrendo plurimam generauit atram bilem, est .n. is præterquam quod siccus est. & frigidus protinus etiam melancholicus; sin à principio frigidus & siccus fuit, habitus quidem corporis eius albus, mollis, depilis &c. Ad Tertiam deniq. respondetur Galenū non de totius corporis, sed de capitis tantum pilis verba facere, & ideò non concludere argumentum, nam melancholici non quia frequentes habeant capillos, sed quià frequentes habeant pilos in vniuersa ferè totius corporis cute pilosi dicuntur, Adde quod & bene temperatum cerebrum habent melancholici non morbosi, vt ex quæstiuncula, 27. huius sectionis colligere quilibet potest quos & in hoc problemmate comprehendere non denegatur.

Cur melancholici libidinosi sint? Cap. XXVII

PRoblemma est Aristotelis sect. 4. in ordine 31. cuius causam in flatus retulit philosophus, voluit .n. semen esse decessionē flatus, & flatibus melancholici abundant, Cæterum duas melancholici humoris differentias inuenire longa oratione demonstrauit Galenus lib. de atra bile, quarum vna naturalis est, altera præter naturam, & hæc ex aliorum adustione fit, modo dū queritur, cur melancholici luxuriosi sint, videndum est, an de iis, qui fœce sanguinis & naturali melancholia abundant, sit intelligendum problēma, an de iis, qui atra bile scatent. Petrus Aponensis conciliator dictus de his postremis solum intelligi vult, cum .n. ad rem veneream exercendam tria requirantur, materia scilicet multa suppeditata, sensus multus partis, & spirituum, & flatuum copia, in melancholicis primi generis vix vnum, aut ne vix quidem reperiri posse scribit, non materiam, quia frigidi sunt, & sicci, & Galenus lib. art. med. tractatu de causis melancholicis seme n inesse ait exile, & merito quidem, quoniam semen calore, & humore constat, non adsunt flatus, quia ii à calore fiunt, ex Aristotele 2. metheor. Neq. etiam partis sensibilitas, cum .n. frigidi & sicci, ac terrestres sint, non multo sensu prediti esse possunt, cum sensuum exquisita ratio potiùs calore, aut temperie innitatur; Addit quod contrariorum contrarii sunt effectus, sed biliosi & melancholici contrarii saltem in caliditate, & frigiditate sunt, biliosi autem maxime in venerem ob calorem sunt proni, non ergo tales me lancholici erunt, Galenus tamen & de illis quoq. intelligit, qui naturali melancholia referti sunt 3. in 6. Epid. comm. t. 12. quod & ex Aetio lib. 6. c. 9. colligimus, hosce .n. melancholicos ob multam copiam flatuum libidinosos esse scribit neq. verum est, quod in hisce flatus non adsint, quandoquidem certum est in iis adesse cum calorem, qui solet flatus excitare, debilis .n. calor, est qui plurimos eleuat flatus nec dissoluit, quemadmodum calor fortis, nec valet argumentum à contrariis desumptum, quia biliosi ad venerem stimulantur, ab acrimonia seminis melancholici autem ad eam excitantur à flatibus; hinc Auicennas dicebat, habentes choleram nigrā esse plurimæ erectionis, & fortis valde propter multitudinem inflationis, qui vero melancholici sunt ob copiam atrę bilis, hi ad venerem maximè sunt proni tū ratione materię acrioris stimulos addentis naturæ expellenti, tum ratione flatuum tum ratione deniq. partis valde sentientis, Sed si ex Aristotele melancholici ob flatus sunt admodum venerei, cur non & pituitosi obiiciat aliquis, qui ob ventriculi cruditates, non minus quā melancholici flatibus redundant, libidine vexantur? Cui responderi potest non frigidos flatus, quales pituitosorum extant, sed qui aliquā caliditatem obtineant, dum semini miscentur, naturam ad libidinem

proritare, quod & ex Aristotele 21. problemm. eiusdem sectionis elici potest; dum ostendit, quod varicibus detenti gignendi facultatem amittant. ait .n. varicem flatu translato (nempè à genitalibus partibus ac crura) fieri solere, & concubitum quoque cum flatus excursu fieri, quamobrem (subdit ipse) si impetus ille agitur, cum varix exercet, semen non insuper excitatur, sed refrigeratur, hinc etiam colligere possumus non quoscunque melancholicos in libidinem pari gradu ferri, sed eos magis, in quibus ob hæpatis feruorem copiosa melancholia producitur, aut qui hypocondriaci appellantur, in iis .n. ferè semper alicuius hypocondrii est accensio, Verùm sicco pede prætercũda non sunt Aristotelis verba nam dum voluit semen esse decessionem flatus, videtur flatum cum spiritu confundere, certum .n. est semen esse vndiq. spirituosa substantia refertum, quæ quidē spirituosa substãtia cum purissimi, sanguinis tenuissimus vapor sit, & calor influens multum distat à flatu, quo melancholici abundant, hic .n. ab excrementitia materia eleuatur ob paupertatem natiui caloris, quam habēt melancholici. sed existimandum est Aristotelem hanc spirituosã substantiam veluti per similitudinem quamdam, quã habet cum flatibus (vaporosa .n. & ipsa est) flatum appellasse, communiori quasi quodam nomine. Galenus verò qui magis propriè loquutus est lib. 1. de sem. c. 5. semen esse plenum vitali spiritu scripsit. Sed cur magis melancholici, quam bona valetudine donati homines ferantur in venerem, cum hi copioso semine; eoq. spiritibus vitalibus referto abundent, illi verò pauco, eoq. flatibus tantummodo turgido? Respondetur seminis eiaculationem esse naturę quandam expulsionem illius vtilis excrementi, quę expulsio non secus ac in aliis inutilibus excrementis fit tum à copia, tum à qualitate seminis expultricem irritantis modo cũ homines benè temperati à copia potiùs, quam ab aliqua seminis irritante qualitate in venerem ferantur, dum se copia seminis exonerarunt, iam cessat libido, melancholici vero qui pauco semine abundant, non à copia sed ab eius irritante qualitate ad venerem excitantur, nam calidis flatibus turgidum est illorum semen, neq. quamuis pauco semine excreto in eis cessat libido, cum semper adsint flatus, qui semen turgere faciunt, ac genitales partes distendunt. proritantq; adde ex Aristotele 1. de generat. animal. c. 18. quod senes, & qui morbo pessimè se habent, iis aut nullum semen omnino inest, aut non prolificum propter inutilis, ac morbidi excrementi permixtionem, quare melancholici cum morbosi sint infæcundum eritorum semen, ac flatibus, inutilibusq. excrementis permixtum, vnde in ipsius emissione non adeò defatigati euadunt, imo potius leuantur vt cit. problemm. innuit Aristoteles, nam propter copiosos flatus ipsis semen amplificatur, hoc est turgescit, quare mirandum non est, si sæpius, ac frequentiùs venerē expetant bene costitutis viris. sed Aristoteles problemm. 21. aliquo pacto nobis contrarius esse videtur, dum varicibus deten-

tos

tos gignendi facultatem amittere scribit, quia flatus semen, ac genitales partes deserant, & ad crura transferantur, vbi varices fiunt, aliquo pacto dixi, quia quemadmodùm melancholicos venereos fieri ex flatibus comprobat, ita quoque gignendi facultatem in flatus refert, quod ab iis, quę nuper diximus, omnino dissentaneum est, sed hoc discutiendum obiter subnectere necesse erit, tum vt presentem difficultatem tollamus, tum quia non erit, alienum a nostro scopo, & de iis interdùm agere, quæ à materia melancholica, non secùs ac melancholia producuntur, vti sunt varices iam dictæ.

An ÿs. qui varicibus detinentur gignendi facultas tollatur? Cap. XXVIII.

IAm superiùs diximus ex sententia philosophi seminis eiaculationem cum flatu fieri, vnde & problemm. 31 semen flatus decessionem esse scripsit, qui flatus si ad crura transferatur, inibiq. coerceatur, vt in varicibus contingit, semen non insuper excitatur (flatuum n. impetu caret) sed refrigeratur, fit igitur inde vt penis tentigo emarcescat, his verbis 31. problemmatis explicationem claudit Aristoteles. Verùm si, quid sentiam fateri velim, non parùm à veritate alienum propositum problemma videatur nonnullis, nam per flatum Aristoteles aut vaporem ab atra bile, vel alia mater a excremētitia elatum, aut spiritum vitalem intelligit; Hunc certe subaudire nequit, quandoquidem (& hinc nostra pro defensione Aristotelis, quam superius adduximus interpretatio corruit) spiritus vitales non transferuntur ad crura in varicibus, neq. inibi detinentur, cum hi ex materia melancholica non gignantur, quemamodum gignitur, flatus ille, qui cum prædicta materia melancholica venas varicosas extendit imo qui atra bile abundant spirituum vitalium indigeni, sunt, cum tamen ex Aristotele melancholici qui hoc scatent humore flatibus redūdent, vaporem igitur eum intellexit Aristoteles, qui ab excrementitio humore, & à melancholico præsertim eleuatur, qui si in varicibus ad crura transferatur, tantùm abest, vt gignendi facultatem has patientibus tollat, quin potius ad generationem conferat, nàm cum flatus hic veluti quoddam excrementum sit (præter naturæ .n. intentum flatus in humano corpore generantur) dum semini se se commiscet, illud potius infæcundum reddit propter inutilis .n. ac morbidi excrementi permixtionem semen nō prolificum fieri ipsemet scripsit Aristoteles 1. de generat animal. c. 18. modò si flatus iste qui nō secus ac excremētū est, semini non commisceatur, sed ipsum immune relinquens ad crura tanquam in remotiorem locum se sequestret, non ne seminis fecunditati ex accidenti conferet? Doctissimus Guastauinus in huius problemmatis eruditissima commentatione hæc habet ad litteram "Cum; varice igitur multus flatus coniunctus est, & cum multi flatus trans-

smuta-

ſmutatione fit, fit itidem concubitus cum multo flatu, qui intùs conclusus eſt, verum in concubitu ad penem vergit flatus, cuius auxilio arrigunt, in varicoſo autem ad crura cum humore melancholico itidē flatus declinat, ſi igitur exiſtente varice r i venereæ impetus aliquis fiat, non poteſt flatus àd illud opus ſemen adiuuare, vimq. illi ſufficere, quippe alio diſtractus, & ad crura tranſlatus; ſemen itaque calidi flatus deſtitutum auxilio refrigeratur, pudendiq. vis, & robur emarceſcit, nec res venerea rectè peragi, aut liberi gigni poſſunt, hactenus doctiſſimus vir, ſed nos non paucos nouimus (quemadmodum & ante nos quoq. obſeruauit Conciliator) qui varicibus detenti plures habuere natos; Rèſpondet doctiſſimus Guaſtauinus hoc problemma ſicuti & pleraque alia, non ita præciſe rem definire vt aliter ſe habere non poſſint, ſed probabiliter maxima ex parte in eis rem diſquiri; Sed doctiſſimi Septalii (qui & ipſe in Ariſtotelis problemmata erudititſſima commentaria conſcripſit;) in hac re ſententia valdè arridet, ait.n. hoc loco Ariſtotelem intelligere varices non quaſcumq. ſed eas tantum, quę in venis teſtium cōtingunt, vt ex poſtremis problemmatis verbis coniicitur, quæ poſtrema verba ita intepretatur doctiſſimus vir" Infringit itaq. fortitudinem teſticuli, quę ſane interpretatio optimè quadrat, quandoquidem dictio illa τὸ αἰδοῖον qua Ariſtoteles vtitur, non ſolùmodo penem, ſed etiam teſticulum indicat; Cum igitur ſemen (ſubdit doctiſſimus Septalius) à teſticulis, & vaſis ſeminariis, non niſi impetu quodam propelli debeat, vt ad vterū profundatur, operatio hæc huiuſmodi eſſe non poteſt, niſi cum ſeminali materia ſpirituum multa copia miſceatur, quin & flatuum multitudo, vt & penis in tumorem eleuetur & ſemē ſpirituoſum, & ſpumeū reddatur; vbi in teſtibus ſinuoſi illi & tortuoſi tumores fuerint & impetus propellentis refringitur, quod recta nō exeant, & ſpiritus qui ſemini admixti sūt, vèto in tumore extento admixti refrigerātur ità, vt minus fœcūdū ſemē efficiāt; verū nec huius grauisſimi viri opinionem alii tentent infrigere dicentes hanc vocem ξίας hoc eſt varices, ita ab Ariſtotele vſurpari, vt teſtibus nullo pacto poſsit accomodari, quod comprobant ratione, quam mox ſubdit Ariſtoteles, nimirum, quià hæc pasſio fiat tranſlato ſpiritu, aut flatu, putant .n. iſti in teſtium varicibus hanc flatus tranſlationem à ſemine ad alias partes non fieri, cum ſemen & ipſum in teſtibus contineatur, ſed tantùm fieri in varicibus iis, quæ crura ac coxas occupare ſolent, at re vera non ità ſentiendum exiſtimo, quandoquidem cum varix ſit extenſio quedam venę ac paruulus tumor flatu, ac melancholico humore repletus, quid ne obſtat, quin flatus in venis teſtium contentus & ſemini immixtus, vel in paruulum illum tumorem transferatur, nēpè in varices teſtium iam factas, & illas adaugeat, vel vna cum atro humore particulas quaſdam earumdem venarum teſtium extendat, & in tumorē eleuet, & ita à ſemine in prędictas particulas ſequeſtretur ac transferatur? certe minor erit huius flatus translatio, & in propinquiorem

quiorem locum, quàm si à testibus ad crura, vel coxas transcurreret, sed quę rationi magis consentanea sit, quādoquidem facilius est flatui in angustis locis detento in propinquas partes erumpere, quā ad longinquas, & remotiores impelli; & presertim si ad ipsas per laberintheas vias, ac tortuosos gyros permeare necesse sit, præterea eo sensu intellecta Aristotelis sententia à veritate longè recederet, quare summa cum ratione de testiculorum varicibus interpretatus est problema hoc doctissimus Septalius.

Cur melancholici semper medelas quærant?
Cap. XXVIIII.

HVius problemmatis rationem reddere Aristotelem 7. Ethic. cap. 14. nonnulli volunt, dum scribit, quod atra bile affecti natura semper medela indigent, quia corpus eorum extēperatura semper mordeatur, semperq. appetitu vehementi incitentur ità vt si semper natura medela indigeant, mirum non sit, si eam perpetuo quæritent, sciendum tamen est, melancholicos qui per essentiam delirant, medicamenta non expetere, cum nec se ipsos etiā morbo teneri cognoscant, imo ipsis medicamenta prębere, vt plurimū difficillimum est, nec nisi vi, & verberibus ad ea sumenda cogi possūt sic & qui per consensum à toto corpore melancholia afficiuntur, nam etiam si horum corpus (vt ait Aristoteles) ex temperatura mordeatur nihilominus cum totum forte ęqualiter affectum sit, indigentiæ sensus non inducitur, pręterquam quod & ipsi se melancholia laborare non percipiant, non negatur tamen quod ipsi semper indigerent medelis; Hypocondriaci igitur, sunt qui semper medelas à medicis expetunt, cum enim à melancholia immunes per interualla sint, & se desipere interdum cognoscant, sanitatem vehementer affectant, & cum morbus iste diuturnior, difficiliorq. curatu sit, vnde primis non cedat adhibitis medicamentis, cumq. melancholici vehementi trahantur appetitu (vt dixit Aristoteles) hinc est quod semper medicamenta, & varia remediorum genera expetant isti miseri ægrotantes, Sed vnum memoria, & animaduersione dignum elicimus ex Galeno, Rufo, & Possidonio libello de melancholia, Quippe oportet, incipiente morbo mederi nam inueteratum, & auctum malum medentis manus respuit, Cum igitur plerìq. non incipiente melancholia, sed ipsa iam progressa & aucta medicos consulant, & tunc frustra ab ægris assumantur remedia mirum non est, si semper nouum remedii genus experiri desiderent, Verū aliquis hic dubitare posset, cur incipientes melancholiæ curādę sit, non autem progressę, vt quartanę febres, quarum nō ab initio sed iam progressarum curationem molimur ex Galeno 1. de arte curat. ad Glauc. c. 11. & tamen vterq. morbus ab eodem melancholico humore producitur, Respondetur forte in quartanis melancholicum humorem

morem tractu temporis attenuari, & ob id tunc facilius educi, & dissipari à medicamentis, quod non contingit in melancholiis in quibus progrediente, tempore melancholicus humor magis incrassatur. magisq. rebellis euadit, ac propterea incipiente non autem progressa melancholia curatio est adhibenda, præterea si materia turgēs euacuāda est, ne principem partem petat, tanto magis euacuanda erit, & eradicanda, quanto principem partem actu occupat, sicuti in melancholia contingit, persępe, dum in cerebrum confluxa est atra materia, ità vt summa cum ratione præceptum fuerit melancholia incipiente medelas esse adhibendas, sed fusiùs de hac re in postremis.

Finis Secundæ partis.

QVADRIPARTITVM Melancholicum,

GASPARIS MARCVCCII Nobilis Lucensis.

PARS TERTIA.

An melancholia sanari possit? Cap. I.



RES ista exactiùs ex singulis melanchòlię, speciebus petenda esset, nihilominùs si generico quodam sermone omnibus simul satisfaciendum sit, breuissimè negocium hoc decidi potest, nàm animaduertere oportet, an recens sit hæc affectio, an antiqua, & confirmata, hæc si recens fuerit, sanari poterit cum Galenus se solo victu, ac balneo melancholicos sanasse testatus sit lib. 3. de loc. aff. c. 7. quinimo & lib. de atra bile c. 9. asserrit omnes ex melancholico humore ortos affectus, statim inter initia strenue purgantes talem humorem euacuantibus crescere nos prohibere, vel vsq. ad cancros, si vero antiqua, ac confirmata sit melancholia, omnia remedia irrita facit, vnde Actius, & Auicennas asserunt non curari, & Trallianus c. proprio hæc habet, " Si confirmetur hic morbus cerebrum ad sui naturam mutat, & æger ad assumptionem medicinarum fit inobediens; Refert tamen Balduinus Ronsseus in suis miscellaneis epistola 3: de quadam muliere, quæ à melancholia liberata fuit, cum tamen anteà plura, & per longum tempus, sed frustra adhibita essent remedia, cumq. ipsa etiā vinculis coercissent, & hæc mulier libera euasit postquam se se ab alto proiecit, in pauimentum, quamquidem essentiali melancholia laborasse intelligeñdum est, quæ fit ex sanguine tantum iuxta cerebrum alterato, reliquo in toto corpore illæso permanente; verisimile siquidem est violento illo, ac forti casu corporis compagem concuti, atq. melancholicum humorem forri illa concussione à cerebro ad partes inferiores delabi; Cęterum & si medicus non possit talia operari per sua remedia, qualia fortuito operatus est casus ille ab alto, nihilominùs extremis, ac sæpè repetitis remediis melancholiam etiam progressam, & antiquatam in-

terdum curare poterit, & præsertim vbi robustiores vires adinuenerit, ac validiora corpora tractauerit, nec obstant citati authores, quandoquidem inueteratam melancholiam, vt plurimùm, non autem vt semper, sanari non posse volunt, vnde eorum sententia non impossibilitatem (vt ità loquar) sed maximam difficultatem arguit; hinc Trallianus de ea loquens scripsit ferè incurabilem, fieri, & tunc extremis egere remediis praetereà quantò faciliùs hodiè sanari poterit, cum habeamus salubriora multo, efficaciora, ac diuina pene remedia ob purissimam substantiam, qua prędita sunt, nobis ab arte spagyrica elargita?quę si Galenicis dogmatibus rectè coniunguntur, certè nihil amplius in re medica desiderari potest; Tandem si eam melancholiã, quæ à natiuitate, & in vtero contrahitur sanari posse non est impossibile, nec rationi repugnat, vt in sequenti quęstiuncula apparebit, quanto magis ea, quæ nobis connata non est, sed ætatis progressu contracta sanari poterit?

An melancholici à natiuitate sanari possint?
Cap. I I.

HAnc curationem difficillimam, non autem (vt diximus) à ratione alienam, aut impossibilem fore censendum est, profectò ad actiones edendas facultates cerebri, & partis structura, temperamento, calore, & spiritu tanquam instrumentis vtuntur, quæ si vitiata sint, medicamentis quoque corrigi posse, non est negandum, & quoad vitium structuræ cerebri pertinet, modo non est, vt loquamur, quandoquidem hac vitiata corporis actiones potius quam animæ læduntur; vitia quæ in temperamento accidūt sunt, ea, quę ad animam vergunt, & illius actiones lædunt, vt ex Hippocrate & Galeno constat de melancholia loquentibus 6. Epid. nàm cum hęc vergit in corpus, & eius structuram lędit epilepsiam cōcitat, cæterum cum in animam, idest (iuxta eorum loquendi modum) temperamentum euertit, deliramenta concitat, hinc ex Hippocrate lib. de diæta, & ex Galeno 2. de sympt. caus. constat sapientiam sequi cerebri temperamentum, & eiusdem intemperamentum insipientiam, per tēperamentum autem cerebri non meram qualitatem, sed aggregatum ex calore, spiritu, & mixtione quatuor substantiarum humorum, quibus cerebri compago constat, intelligendum esse non ignorandum: Modo cum melancholia non secus ac insania, & phrænitis, morbus sit & morbus corporea sit affectio, hęc non potest per se lædere nisi facultates corporeas, mentem verò læsio non attingit nisi ex accidenti, quia scilicet dum in corpore est, sensibus vtitur, quare cum corporeę facultates pendeant ex temperamento, poterit hoc immutari medicamentis.

mentis adhibitis, & si sit à natiuitate, nam quemadmodum cerebrum à natiuitate frigidius calefieri potest, & calidius refrigerari, quid obstat quin cerebri temperamentum in melancholico à natiuitate immutari possit? sed anteà rationes eas, quę contrarium persuadere possunt, in medium adducere necesse est, sic igitur exordiamur. Morbus habitualis, & connaturalis est insanabilis, sed melancholia contracta ex principiis generationis est connaturalis & habituata, ergo incurabilis; & hoc ratio suadet, nam quemadmodum se habet de habitu acquisitio ita, & longè magis se debet habere de naturali, sed habitus acquisitus est difficillimę remotionis ex Aristotele, ergo & longè magis naturalis. Amplius ille morbus est insuperabilis, qui remoueri non potest sine subiecti corruptione, sed morbus contractus à naturę primordiis remoueri non potest sine subiecti corruptione, ergo insuperabilis, & minor probatur, nã tunc sequitur subiecti coruptio, quãdo tollitur materia vel forma cõpositi, sed in transmutatione constitutionis naturalis contractę ex semine, aut sanguine menstruo, tollitur materia cõpositi quia debet remoueri materia morbifica firmata in partibus solidis, ergo fiet hoc cum subiecti corruptione; Prętereà natura est morborũ medicatrix, medicus verò naturæ minister ex Hippocrate, sed in morbis hæreditariis natura ad malum transmutata non potest pugnare contra morbum, ergo neq. morbo mederi; Tandem illi morbi sunt insanabiles, qui valdè recedunt à naturali statu, & destruunt calidum innatum, sed melancholia morbosa valdè recedit à naturali statu puerilis ętatis, quia frigida, & sicca, & ex toto destruit calidum innatum, ergo incurabilis esse videtur: Verùm .n verò si quis attentius considerauerit morborum connaturalium differentias, non difficulter inde colligere poterit, non omnes esse prorsus insanabiles, cum .n morborum connaturalium alii sint in partibus solidis à materia morbifica independentes, alii sint materiales morbi, illi sunt prorsus incurabiles, nisi per ætatis mutationem iuuamentum recipiant, sic tabes connaturalis est insanabilis, sic & intemperies melancholica frigida, & sicca quãdo est in solidis à materia morbifica nõ dependens, sic & nephritica passio hæreditaria ex Auicenna; Sed si morbi connaturales dependeant à materia morbifica, vel recepta in vtero materno, vel post ortum genita ex lacte vitioso, aut ab intemperie morbosa connatũrali, tales quidem morbi curationem admittere valebunt, ad quos respiciens Hippocrates in 2. Prorrhet. dixit de epilepsia loquutus, quod qui hunc morbum congenitum habent, ii ægrè ab ipso liberari possunt adducens difficultatem, non impossibilitatem, sic lues gallica contracta ex sanguine materno infecto sanari poterit, quando impressionem non fecerit in partibus solidis nec minus melancholica passio, saltem quoad accidentia melancholica sanari poterit, quemadmodum sana-

tur arthritis per euacuationes dùm euacuata materia morbifica illius causa prohibetur dolorum concursus; non tollitur tamen ex toto aliquis ex prędictis affectibus hæreditariis ob permanentem connaturalem & hęreditariã morbosam dispositionem partium solidarum; His igitur ita se habentibus facilè tolluntur argumenta in contrarium adducta, nàm morbos connaturales, & habituatos esse incurabiles, verificatur de morbis immaterialibus, sic morbos hæreditarios non tolli sine subiecti corruptione, verificatur de morbis partium solidarum, cuiusmodi sunt gibbositates strabismi, claudicationes ac alii similes morbi; Quod autem natura sit morborum medicatrix, dicendum est naturam esse medicatricem morborum superuenientium, non connaturalium nisi per mutationem, ętatis, nec omnium superuenientium, nam situs deprauatus à natura non reponitur, vt luxatio; Quod tandem melancholia valde recedat à naturali statu & calidum innatum destruat, hoc difficultatem, non impossibilitatem arguit, quare melãcholiam morbosam etiam à naturæ primordiis, seu à natiuitate ortam admittere aliquam, curationẽ licet difficilem concludendum erit.

Cur melancholia, quæ cum risu coniungitur, faciliùs tollatur? Cap. III.

MElancholia, cui risus adiũgitur; aut admixtum esse sanguinem melancholico humori, aut sanguinem adustum esse pręmonstrat, quam vtramq. causam optimè tetigit elegantissimus author Rodericus à Castro in suo tractatu de morb. mulier. nam reddens causam, cur melancholici rideant, ait, quod vbi sanguis humori melancholico permiscetur, tristitia vehemens non est, per temporum interualla lętitiæ signa edit, sanguinei humoris genuina, & paulo post reddens causam, cur melancholici magis cãtent, & saliant, quàm dum sani sanguine abundant, ait hoc euenire, vel quia ratione orbentur renitente, affectibus humorum, vel quià dùm sanguis vritur, magis splẽdet, vnde animo spes, vigor, & alacritas oritur, & doctissimus Ludouicus Mercatus lib. 1. de inter. morb. curat. c. 17. ex risu insolito futuram melancholiam pertimescendam esse testatur, quia risus exustionem sanguinis arguit, Hinc igitur est, quod ratione sanguinis melancholia cum risu leuior sit affectus, ac proinde facilius curetur. non .n. in ea adeo crassa materia reperitur, quæ medicamentorum viribus difficile cedat, vt si melancholicus humor simplex esset, & impermixtus, hic etenim, vel esset fæx sanguinis frigida, & sicca, vel esset atra bilis: si prior foret, ipsi competeret quo Galenus scripsit in 4. aph. comm 44. nimirum non solum propter multitudinem, & viscididatem, sed etiam propter frigiditatem, ac crassitudinem humorum morbos in longum pro-

protrahi, si postrema, quid de ipsa idem Author scribat lib. de constitutione artis medicæ c. 17. quisq. perlegat, inueniat enim perniciosissimum succum esse atram bilem cum aliis præualuerit, vt potè quæ præ cæteris, & corrodat, & maligna admodum sit, concoctuq. difficillima & ad purgationem ineptissima, atq. etiam plurimum indicet calorem, à quo fit per assationem genita; Aliquis tamen contradicendi ergo posset obiicere, naturam ex Hippocrate. 6. Epidem. morborum medicatricem esse, & hanc eò citius, ac facilius morbos auferre, quo magis ipsa robusta, ac validior extiterit, cótra verò tardius, ac difficilius, quo debilior, quare si verum est hoc, verum quoq. erit à natura difficilius edomari morbos, dũ in sanguine vitiũ est quam dũ in cæteris humoribus nã cũ sit ille naturę thesaurus à quo calor à quo vita, cui dubium sit debiliorem esse naturam vitio potius in sanguine, quam in reliquis humoribus existente? Respondetur sanguinis vitium maximam habere latitudinem, nec semper ipsum in sui à naturali statu recessu naturę vires prosternere, aut debilitare, nisi corrumpatur, aut putrescat, ita vt influentem calorem, ac spiritum naturæ parcius impertiatur, scimus enim, quod corruptio optimi pessima est in cęteris autem dum sanguis naturæ limites egreditur omnium mitissimus est, vt qui & dulcissimus sit, & ad concoctionem facilis, quemadmodum, subdit Galenus loco iam cit. de const. art. medicę; Neq. valet etiam nonnullorum obiectio dicentium morbos à sanguine in longius protrahi debere, quam morbos à cæteris humoribus dependentes; etenim cum ob humoris multitudinẽ protrahantur morbi, sanguis in humano corpore seiunctim consideratus, maior est quantitate, quam cæteri humores simul iuncti, ergo & ab ipso geniti morbi longiores fieri debeent, quam à reliquis producti humoribus, & præsertim à melancholico succo, qui omnium paucissimus est; dupliciter, huic obiectioni respondetur, primo quantitatem sanguinis valde quidem maiorem esse quantitate melancholici humoris .n humano corpore, & nihilominus has quantitates, & si non inter se, nostræ tamen naturę æquales esse, ità vt hoc habito respectu neque sanguinis quantitas excedat, neq. melancholici humoris deficiat, ea .n. proportio in humoribus naturæ commodo seruari debuit, vt si exempli gratia sanguinis quantitas sit vt decem melancholici humoris sit vt duo, quare cum non possimus in naturali statu has quantitates iter se conferre, nec etiam in statu præter naturam illas inter se conferre liceat; Secundò quando dixit Galenus ob multitudinem humorum morbum protrahi, non humorum multitudinem inuicem contulit, sed sibi ipsis, ita vt si morbus à melancholico humore excitetur, ille longior euadet, quo a maiori copia melancholici humoris producetur, & si mixti sint humores efficientes morbum, ille longior erit, quo maior admixtorum humorũ extiterit copia, a hoquin

quin falsissima esset sententia illius, videmus enim à maxima bilis quātitate breuissimos fieri morbos, qui si fierent à triplo minori melancholia in longum tempus producerentur; Concludamus igitur melancholiam, quæ cum risu est leuiorem esse affectum, faciliusque curari, quam eam quæ cum studio, & hoc quia melancholicus humor ipsam efficiens sincerus nō sit, sed sanguini admixtus, præter .n. sanguinē (vt docuit Galenus in Progn. Hippocratis comm. 2. t. 47. quiuis alius humor si sincerus fuerit, prauam indicat affectionem, & hoc quia forrasse non adeò à natura regitur.

Cur melancholicæ affectiones diuturniores sint, quam quæ ab alijs prodeunt humoribus? Cap. IIII.

HVmor melancholicus frigidus, crassus ac terreus est, quare si exuperet, & in aliquam partem præter naturam decumbat difficulter à naturali calore euincitur, longoq. temporis spacio à natura edomatur, ita vt morbi ab eo geniti diutius perdurent; hinc Galenus in 6. Aph. comm. 47. melancholiam inter diuturnas passiones commemorat; Contēndunt nonnulli tamen à pituita longiores morbos produci, tanquam ab ea, quæ non solum frigida & crassa sit cum lentore, & viscid itate, sed quę etiam copiosior admodum melancholico humore redundare soleat, cum non tantum, ex sola morbifici humoris qualitate, sed etiam ex copia morbi diuturni fiant; Respondetur ex sententia Alexandri problemm. 48. lib. 1. pituitam humidam esse, humidum autem quodq. facilè immutari potest, & à natiuo calore resolui, non ita siccum, siccus verò melancholicus est humor, & quamuis pituita copiosior sit, & ob id ipsa quoque longos producat morbos, non tamen longiores producit, quam melancholia faciat, nam quemadmodum ait Alexander, pituita nostræ naturæ accomodatior est, quam atra bilis, vnde per esuritionem pituita pro alimento natura vti consueuit, quare quicquid vtile in ea adinuenerit, id totum ad corpus alendum concoquet, atque dispensabit, nec immerito, nam ex Galeno passim pituita per vlteriorem coctionem in sanguinem vertitur, quorum nullum atræ bili conuenit.

Cur in ætate consistenti, & in autumno potissimum vigeant melancholiæ? Cap. V.

AETatis, & anni tempora inuicem comparari rectè quidem possunt, nam quemadmodum homo per ætates, ita & per anni tempora diuersas corporis constitutiones sortitur, hinc pueritię, quę calida & humida est, ver calidum, & humidum respondet

pondet; iuuenili, ætati calidæ, & siccæ æstas calida, & sicca, consistēti verò frigidæ, & humidæ hyems frigida, & humida, hinc etiam cum in hac, vel illa ætate hic vel ille humor prędominetur, ita & in diuersis anni temporibus hic, quam ille magis abundat humor; vnde Galenus in lib. Hipp. de nat. hum. t. 4. nos docuit; Quod sicut in anno quādoq. humidum, & frigidum dominatur, & hyems appellatur, quandoq. humidum & calidum, quo tempore ver est, quandoq. siccum, & calidum, quæ æstas vocatur, postremo vero omnium in autumno frigidum, & siccum, ita in homine, hyeme quidem pituita viget humor frigidus, & humidus, in verę sanguis; qui calidus est, & humidus; flaua vero bilis facultate calida, & sicca prædita in æstate, atra, quæ frigida & sicca est, in autumno, ex quibus iam vtriusque particulæ problemmatis ratio manifestè habetur; Sed vlterius progredi non tędeat, nam difficultatem facere posset, quod de consistenti ętate dictum est, quandoquidem frigiditas, siccitas, & atra bilis, ei, quę declinans dicitur, ætati magis conuenire videntur, quam alteri; Hęc tamen leuis est difficultas, quamuis .n. diuersa sint nomine, nihilominus vnum & idē sunt consistens, atque declinans ætas, nam si quæ vni tertio conueniūt inter se sunt eadem, consistens atque declinans ætas vni tertio conueniunt ex Galeno, quandoquidem vtraq. iuuentutem insequitur, ergo vt diximus, vnum & idem erunt, hinc Galenus quam per consistentem ætatem intelligere debeamus nobis declarans in 1. aph. comm. 13. hæc habet " Appellat autem (scilicet Hippocrates) ætatem habentes consistentem, eos, qui mediam ętatem habent, inter iuuenes ac senes, ita vt ab ætate quidem vigente recedant, nondum tamen habent sensum senectę manifestum, Hanc eamdem vero ętatem declinantem quoque appellasse Galenum patet in 3. aph. comm. 30. vbi ait, quod declinātium ætas iuuenilem, quæ maximè æstati assimilatur, subsequitur; Cur igitur in hac ætate, & in autumno magis vigeant melancholiæ, atra bilis, quę his ętatę, ac tempore in humano corpore magis abundat erit in causa, quod optimè loco nuper citato ita declarat Galenus." Sane horum temperatura atra biliosior quodammodo est, atq; ideo in ea multi melancholia afficiuntur, veluti ex anni temporibus in autumno sicuti .n. hoc tempus frigidum existens pallidam excipit bilē tempore ęstiuo exassatam. sic declinantium ætas iuuenilem, quæ maximè æstati similatur, subsequitur, Hinc colligimus quod quemadmodum in autumno abundat atra bilis propter pallidam exassatam bilem in ęstate, ita & in ęstate declinante abundat propter pallidam exassatā bilē in iuuentute. Sed statim obiiciet aliquis, si in iuuenili ætate, ac in æstate pallida bilis exassatur, cur non etiam in his fiunt melancholiæ potius, quam in subsequentibus ętate ac tempore? Respondetur in æstate, & in iuuentute propter feruidum quidem calorem pallidam bilē exas-

fantem atræ bilis maiorem copiam produci, ſed diſſipari etiam, & ob id non adeo frequenter melancholicos morbos excitari in autumno verò, ac in ętate conſiſtentiæ feruidus ille calor remittitur, qui ex aſſatam bilem diſſipare nequit, nec eam, quæ à feruido calore genita remanſit, nec quam ipſe producit, ita vt atræ bilis plurimum colligatur, atq. coaceruetur, ex cuius copia melancholici morbi excitentur, quæ omnia Galeni authoritate confirmari poſſunt, nam in ſupracit. loco de inclinanti ætate loquens ita ſcribit, " Omnium ferè ætatum quæ iam declinat, pauciſſimis indiget ad corporis reſumptionem, ſi quidem & id, quod ex ipſis reſoluitur pauciſſimum eſt, neq. .n. corpus ſimiliter calidum eſt, vt prius, neq. amplius in augumentum quicquam aſſumitur, & in comm. 22. eiuſdem libri de autumno hęc habet, "Neq; n. ſicuti æſtas veri ſuperueniens humores euacuat, ita & autumnus ęſtiuos, ſed contrarium ex toto accidit. nam ex partibus extimis ad intimas ducit Cęterũ & Auicennas nobis obſtare videtur, dum cap. de mania ait ab humore exuſto non fieri melancholiam, ſed eo loci intelligit Auicennas humorem exuſtum, in quo adurens cauſa & ſerui dus ille calor ad huc perſeueret, non eum à quo iam receſſit, & de quo verba fecit cap. de melancholia, dum ſcripſit humorem ex uſtum melancholiam parere.

An facilius curentur qui melancholici euadunt ante quadragesimum annum, an qui poſt quadrageſimum ætatis annum melancholici fiunt? Cap. VI.

EXtat Hippocratis aphoriſmus 85. ſect. 7. quo habetur, quod quicumq. ſupra quadrageſimum annum inſani fiunt, non admodum conualeſcunt, minus .n. periclitantur, quibus proprius, natuæ, & ętati morbus fuerit, aphoriſmus tamen iſt e ſpurius ab omnibus exiſtimatur, qui pręterea etiam ſi genuinus fore t Hippocratis non de melancholicis, ſed de maniacis intelligendus eſſet hi .n. propriè appellantur inſani, nihilominus quis poſſet arguere, quod quemadmodum mania, ſeu inſania difficilius abigitur poſt quadrag. ſi mum annum, ſic & melancholia, vtraq. .n. eſt principum actionum deprauatio, atq. eiuſdem cerebri affectio, nec difficultatem facit aphoriſmus, quia inter Hippocratis ſpuria reponatur, nam non valde diſſimilis, & genuinus Hippocratis aphoriſmus extat in 8. ſect. in quo hęc habentur ad litteram, " qui ſupra quadraginta annos phrænitici fiunt, non omino ſanantur, minus .n. periclitantur, quorum & naturę, & ætati morbus ſit conueniens; quapropter ſicuti hæc vera eſt Hippocratis ſententia de phrænitide, ſic & ſimilis allata de inſania erit vera,

ra, nam præterquam quod vtraq. sit cerebri passio vtraque etiam ab eodem progignitur humore, Sed quis dubitet melancholiam á quadragesimo anno difficilius auferri posse quam ante quadragesimum facta, si vires respiciat? vires .n.in curandis morbis precipuas tenere partes quilibet non ignorat, cum natura sit morborum curatrix, & profectò in his, qui quadragesimum etatis annum excesserunt, iam natiuus calor præcipua virium basis labascere incipit, & cerebrum, vbi propriam erigit melancholia sedem, frigidius, ac siccius, infirmiusque reddi, ita & mentis functiones magis defatigari incipiunt, quo fit, vt noxa, quæ cerebro functionibusque animalibus in ea ætate inducitur, vix, ac ne vix quidem deleri possit sed commoriatur, Altera tamen ex parte, si supracitati aphorismi rationem spectes, necesse est fatearis melancholiam facilius abigi posse post quadragesimum, quam ante quadragesimum ætatis annum exortam, cum á quadragesimo anno hæc sit affectio, quę & hominis naturæ, & ætati magis consentiat, etenim cum á melancholico humore producatur, & siccam cerebri intemperiem sibi associet, certè ab eo tempore, & melancholicus humor magis redundare solet, & vniuersa corporis, non solùm cerebri temperatura fieri siccior incipit, quare tantum abest, vt prædictus aphorismus nostrę melancholię accomodari possit, quin potius eidem omnino contrarius extet. neque aliquis hanc coarctare velit sententiam ad acutos tantum morbos, atque ab ea chronicos excludere quandoquidem illa simpliciter prolata de omnibus morbis verificatur, quo stante inferendum est, melancholiam faciliori negotio profligari posse á quadragesimo anno, quam ante, nec á ratione alienum, est quoniam, si ante quadragesimum annum melancholia producatur, necesse est, melancholici humoris causa producatrix adeo potens, intemperiesq. viscerum adeò ingens, & insignis sit, quod difficulter admodum, aut vix amoueri queat, & proinde talis melancholia incurabilis sit, non.n.vegetiori ætate tam multus colligi potest melancholicus humor, aut tam cerebrum exiccari, nisi valida præcedat affectio, & quæ adeo corpus vniuersum commutet, quod in pristinum statum arte reduci nequaquam possit, loquimur .n.modo de essentiali melancholia, & de ea, quæ per consensum á toto fit, nam si de ijs sit sermo quę per consensum ab aliqua determinata parte vel á retentis menstruis, vel á vermibus vel á febribus, vel á similibus fiunt, nemini dubium est, quod vegetiori ętate ob virium robur facilius hæ poterunt edomari, sed si vegetior ętas aut essentialem, aut per consensum á toto melancholiam admiserit, certè ad vtriusq. pręinsignes, ac admodũ validas causas necesse est vt vires quoq. melancholiam patientis adeo fractæ, ac imbecillæ sint, quod minus sint aptæ contra morbum pugnare, quam vires illius, qui in ætate consistenti melancholiam incurrerit cum hę non tantam noxam receperint, á causis melancholię vti minus validis, & ætati, temperamentoq. corporis valde, minus

dissentientibus; vnum tamen de melancholia essentiali noto, nimirū quod si hæc fortè phrænitidi, aut etiam maniæ superuenerit, tùnc certè facilius abigetur in ætate vegetiori, quam consistenti, & post quadragesimum annum, namq. præcedens melancholiæ causa nempè phrænitis, morbus est congruentior iuniori ætati, quàm seniori, sed si melancholia prænitidi, aut maniẹ non succedat, sed ex se incipiat, secus se res habet; Tandem huic opinioni aduersari videtur Hippocrates, dum ex eo habemus aph. 7. sect. 5. Comitialem morbum ante pubertatem amotionem recipere, verum post vigesimum quintum annum ad mortem vsq. comitari; Sed quod pronunciauit Hippocrates de comitiali, illud & de melancholia dici posse comprobatur, cum alias idemmet Hippocrates, imò & experientia ipsa, ex comitiali morbo melancholiam, & ex melancholia comitialem fieri morbum nos certiores faciat, quare si comitialis à 25. anno non sanatur, sed commoritur, ita & melancholia, sed si melancholia à 25. anno exorta ita se habet, ergo & valde minus sanabitur ea, quæ à quadragesimo anno exoriatur, Sed facile soluitur hic nodus, nam dum ait Hippocrates hoc morbos ex se inuicem exoriri, intelligit de eo comitiali morbo, qui sui causam atram bilem habet, in aphorismo vero citato de comitiali intelligit, qui à pituita, & cruditate originē trahit, & qui ab codē puerilis etiam dicebatur morbus, Pueri .n. propter intemperantem vitam, & intempestiua exercitia crudos colligunt humores, quos facilè suscipiunt eorum nerui, vt qui molles satis, & imbecilli sint, vnde epilepsia gignitur, quam in ætatis mutatione solui posse spes est, succedet .n. ætas calida, & sicca, quẹ materiam morbum cōstituentem attenuare, & incidere, eiusdemque frigiditatem, & humiditatem corrigere, nec non simul neruosum genus roborare valeat, At Epilepsia illa, quæ ab atra bile fit, rarissimè in hac puerili ẹtate contingere solet & si forte contingeret, non secus ac melancholia, numquam, aut vix sanationem reciperet.

An melancholia viri, vel mulieres facilius tententur? Cap. VII.

NAtura, & in vniuersum mares fœminis longioris vitæ esse scripsit Aristoteles lib. de long. & breuit. vitẹ c. 3. quia calidius animal sit mas, quam fœmina longitudinis .n. vitæ calida humiditas in causa est, quare si longioris vitẹ sunt viri ergò magis resistent melancholico humori frigido, & sicco, qui è diametro aduersatur natiuo calori in quo tanquam in calido, & humido vita consistit, & ob id minus in melancholias incident, non ità mulieres, quẹ viris frigidiores sunt, præterea mares prudentiores sunt, & experientia ipsa eos quoque robustiores, & magis animosos esse videmus; ita vt tum ob animi, tum ob corporis vires insipientia & melan-

lancholicis deliramentis minus affici debeant, Nihilominus viris fæminas rarius, sed peius à melancholia tractari voluit Aretæus, & peius tum ob sanguinis menstrui prauitatem, atq. colluuiem (adeo.n. tædus interdum, & ob id naturæ intensus est hic sanguis, vt quotiescumq. humori melancholico coniungitur, horribiles, & incredibiles producat effectus) tum ob animi deiectionem fœminei sexus, qui vbi semel ab hoc humore capitur, se se totum in ipsius potestatem tradit; rarius vero hoc affectu fœminas tentari volunt, tum quia menstruis gaudeant purgationibus ita namq. ab omni excrementorum colluuie vniuersum corpus expurgatur, tum quia frigidiori, & humidiori fruãtur corporis temperamento ita vt non multum melancholici gignant humoris, plurimum .n. melancholiæ ab excedenti potius caliditate quam secus generari voluit Galenus) & humiditate etiam melancholię siccitati resistant, & ob id in feminis, quam in viris fortior causa in hoc affectu producendo requiritur, quapropter etiam segnius affliguntur, Quod autem ob humidius temperamentum rarius hoc affectu capiantur mulieres indicio sunt pueri, & eunuchi, qui numquam, vel rarissimè saltem melancholia tentantur, A nonnullis tamen obiici potest ob mulierum frigidius, atque humidius temperamentum in illis maiorem in modum cruditates coacetuari, quę quantum valeant ad melancholicos affectus producendos iam satis explicauit Galenus 5. de loc. aff. c. 6. nec mirandum est si a viscerum obstructionibus frequẽtissime hypocondriaca appellata melancholia excitetur, quarum præcipua origo cruditates esse solent, præterea si menstruis purgationibus retentis aut imminutis facilè, ac sepe eleuatur in cerebrum fuliginosa, ac tetra euaporatio, indeq. melancholica symptomata exoriuntur, nonne semper mulierum caterua hisce vteri affectibus detinetur? Adde his omnibus tamquam passi accomodatam dispositionem ad recipiendum, innatam mulierculatum ad timiditatem propensionem, querimonias, ac mestitias, & fæminas fortasse magis, quam mares melancholia infestari coniicies,. His obiectionibus facilè responderi posset, essentiali melancholia, aut ea, quę est per consensum à toto viros frequentius occupari, tum ratione calidioris, ac siccioris temperamẽti ad melancholicum humorem producendum magis accomodati, tũ ratione fixioris imaginationis, non.n. vt fæminę valde variabiles, & instabiles sunt, sed valde constantes in opinionibus permanent viri, hypocondriaca vero melancholia mulieres facilius apprehendit, neq. responsionem hanc perturbat innata illarum propensio ad timiditatem, hęc n. naturalis omnino est, melancholicorum autem timiditas a causa præternaturali omnino dependet, itavt & audacissimi quique viri hac causa existente in corpore necessario pertimescant.

Cur ex mulieribus viro iunctis steriles melancholiam magis patiantur? Cap. VIII.

HAec sententia clarissimè ex Hippocrate colligitur in extremis verbis libelli de virg. morbis, nec huius reddere causam difficilè erit, si prius id supponamus, quod Galenus in lib 5. aphor. comm. 62. scripsit, nimirum corpus totum, vt plurimum, esse vteris simile; Hoc supposito, cum in vtero conceptio fiat, videndum est etiam prius, quinam sint vteri ad conceptionem inepti, mulieres .n. talibus vteris prędıtæ steriles, erunt; Id autem nos docet Hippocrates in eodem aphorismo inquiens, Quod quęcũq. frigidos, & spissos vteros habent, & quæcumq. humidos, & quæcumq. siccos magis, & adurentes non concipiunt; Modo quemadmodum propter vteros frigidos, & spissos, nec non propter vteros siccos magis, & adurentes steriles mulieres ad melancholiam dispositas censemus, ita steriles propter humidos vteros melancholicis affectibus minus subiici credimus, quandoquidem cum corpus vt plurimum vteris simile sit, humidiora, ac pituitosiora corpora difficulter, & non nisi raro melancholia tentantur, Sed vlterius dubitabit aliquis, quomodo mulieres steriles propter vteros frigidos, & spissos melācholiæ subiici possint, nam cum corpora, sicuti dictum est, vteris vt plurimum similia sint, hęc quantumuis frigida, non atrabilarem, aut melancholicum succum, sed pituitosum copiose generabunt vt optime adnotauit Galenus 2. de temperam. c. vlt. quia natiuus calor imminutus cruditates affert, Huic respondetur mulieres, quę propter frigidos, & spissos vteros steriles sunt, non quidem ex sui natura melancholicis morbis esse dispositas, sed ex accidenti, nimirum, quia in ipsis non expurgentur menstrua; quod optime notat Galenus in cõmento pręcitati aphorismi, vbi .n. immodica frigiditas (inquit ipse) exuperat adeo, vt vterus spissior efficiatur, angusta quidem sunt summopere in iis mulieribus ora vasorum, quę ad ipsum pertingunt, ita vt nullo modo fiant in hisce mulieribus purgationes, vel omnino paucę, & hæ ipsę vitiosę, solo tenuiore, atq. aquosiore sanguine perlabente, crassior autem qui intus permanet, dum ad huc magis ex frigiditate exprimitur, atq. dēfatur, atrum colorem acquirit, & in cerebrum effumans melancholica producit symptomata, Quæ tandem mulieres ob siccos, & adurentes vteros steriles sunt, hę melancholię valde dispositę extant, tum quia eorum corpora valde calida, & sicca atræ bilis prouentum maximum aggenerent, tum quia si quis ad vterum confluat sanguis, hunc exurant, & in atrabilarem vertant, qui crassefactus, cũ exire nequeat, in ibiq. diutius detineatur vt sursum effumet, necesse est, & hinc melancholica deliramenta concitantur.

An Spadones, seu eunuchi melancholia tententur? Cap. VIIII,

QVibus amputantur testes, eos frigidam, & humidam naturam assumere effeminatosq. euadere experientia patet, vnde Eunuchos à sectione testium similes effici fœminis scripsit Galenus in 6. aph. comm. 28. Quicumq. igitur frigidi & humidi sunt non melancholico humore, qui à feruidiori hepate plurimus gignitur, sed pituitoso abundant, quare nec melancholicis affectionibus subiecti sunt, hinc Aristoteles sect. 10. problem. 39. Spadones vel omnino varicibus vacare, vel minus habere, quam cæteri testatus est, non .n. ea melancholici humoris quantitate redundant, quam ad crurum venas grauata natura deponere coacta sit, sed & rationem quoque addere possumus, quam ob eamdem eos podagra non vexari ex Hippocrate recenset Galenus loco cit. nimirum amissum venereorum vsum, nam qui venerem immodicam exercent, cerebro aliisq. neruosis partibus imbecilliores fiunt; Modo Eunuchi cum ob denegatam venerem cerebro robusto constent, melancholiam non patientur, cum ad hanc efficiendam non solum præsens agēs nempe melancholica materia, sed etiam dispositum patiens, nempe cerebrum imbecillum ad suscipiendum aptum requiratur, Nihilominus quemadmodum Galenus suo tempore Eunuchos podagra laborare nouit, ita eos melancholia affici posse censemus, nam quamuis frigido, & humido sint temperamento, ac proinde pituitosis potius abundent excrementis, hoc nihil obstat, quandoquidem à cruditatibus originem ducere hypocondriacam melancholiam non negauit Galenus lib. 3. de. loc. aff. c. 7. Sed nonne & fœminæ, quibus ipsis Eunuchi temperamento similes sunt, melancholia afficiuntur & quacumq. melancholiæ specie? Dices fortasse hos melancholiam hypocondriacam pati, cum hypcondriorum obstructiones incurrere possint; non autem eam, quę vel per consensum a toto, vel per essentiam fit, non hanc, cum cerebro robusto sint non eam cum feruidius iecur non habeant, Hæc & si aliquid faciant ad huius morbi resistentiam, non tamen eum in Spadonibus excitari non posse necessario concludunt, nam etiam si ob coitum amissum cerebro robusto sint non desunt alia plura, quę ipsum imbecillum reddere queant, nam præter externa errata hoc efficientia, cerebri imbecillitatem à genitoribus ea, parte male dispositis contrahere possunt, ita hepar in eis, quamuis ob proprium ipsorum temperamentum remissiori calore donatum, fit euadere feruidius potest tum propter obstructiones a crassis, ac lētis humoribus in eo genitis, tum propter aromatum, ac salitorum vsum, propter vina generosa epota, atq. similia, ita vt feruidiori existente hepate, additisq. melancholicis cibis, atræ bilis prouentus accumulari

possit,

possit, ex qua non solum melancholia, sed varices etiam, aliæq. meancholicę affectiones producantur, vnde & ipse nobilem virum e unuchum ad plures menses quartana febre laborantē Bononiæ noui, verū istas melancholicas affectiones in cæteris frequentius, in Eunuchis rarius excitari posse rationi maximè consentaneum est.

An melancholico habitu præditi breuioris sint vitæ? Cap. X.



Vi duriori sunt corpore fortiores extant ex Aristotele 10. sect. problemm. 57. ergo melancholici fortiores, & per consequēs longioris vitæ sunt debilioribus, melancholicos .n. duriori corpore præditos esse ex eo conuinci potest, quod crassiori, ac terrestri sanguine abundent, vnde Galenus lib. art. medicinal. c. 41. dicebat, Qui calidum, & siccum hæpar habent, illis esse sanguinem crassiorem hosq. non solum venarum, sed etiam vniuersi corporis duritie donatos esse; Amplius quæ densiora sunt corpora ab extrinsecis iniuriis solis, aeris, ventorum, pluuię, & similium difficilius lædentur, quam rariora, ergo melancholica tamquam densa cum minus lædantur diutius etiam san tatem & vitam protrahent; Altera tamen ex parte corpora quæ fac le perflantur, non secus ac vrbes, & loca in apertis locis sita salubriora sunt, hæc autem corpora non densa sed rara sunt, & ita sensit Aristoteles 1. sect. problemm. 54. & ratio est, quia ea salubriora sunt corpora, in quibus vel non existunt excrementa, vel quam primū excernuntur, & quę excrementa mouentur, non autem quiescunt, quæ .n. quiescunt, illa putrefiunt, vt patet aquæ immotę exemplo, putrescentia autem morbum faciunt, in illis vero, quæ bene perflantur, excrementa vel non existunt, vel excernuntur, antequam morbum faciāt item in iis, quæ mouentur, motus .n. excrementis, eorum ve putrefactioni locum non conced t, fit igitur, vt quæ bene perflantur, salubriora sint, sed rarus habitus perflatur, non perflatur densus, in hoc .n. obturati meatus sunt, per quos perflatio fit, in raro autem aperti, & laxi, rara igitur corpora salubriora sunt; Est omnium medicorum sententia, moderatum corpus cæteris pręferendum esse, non quod in raritate, aut densitate excedat, vnde Galenus libello de optima corporis nostri constitutione c. 4. hæc habet, " Moderatum corpus neq. rarum, aut densum dici debet, sed sicuti inter alios, sic quoq. inter hos excessus medium constituendum est, paucisque interpositis subdit, idemque inter vniuersa corpora saluberrimum censemus; quare non indistinctè loquendum, nam si ad moderatum respicamus, dubium non est, quod melancholico, & denso pręferri debeat, si vero densum raro comparemus, & rarum quoq. præferendum erit, nam præterquā quod externæ iniurię plurimum euitari possint, melancholica, & densa corpora plurimo semper scatent excremento crasso, fęcosoq. quod

cum

cum semper intra se gerant, euitari nequit, & ideo cum magis vrgeat, quam externæ iniuriæ, neq. propter meatuũ angustiam facile difflari possit, hinc est quod sanitati, vitæq. magis officiat; Aristoteles lib. de vita, & morte definiit vitam esse vegetatricis animæ in natiuo calido mansionem, & per natiuum calidum, tùm naturalem calorem, tum radicale humidum medici omnes intelligunt, quæ duo humanæ vitæ veluti subiecta, ac fundamenta sunt; Quicumque igitur hoc calido innato magis abundant longæuiores sunt, qui vero minus breuioris sunt vitæ, quare superuacanea omnino videtur hæc quæstio, omnes .n. sciunt, quod qui calido & humido constant temperamento longæui sunt, cum principiis, vitæ abundent, contra vero melancholicos, qui frigidi & sicci sunt temperamenti, esse breuioris æui, vt quibus qualitates insint vitæ aduersariæ frigiditas, & siccitas, Preterea Arist. lib. de long; & b, eu. vitæ inter præcipuas vitæ breuitatis causas non solum substantiæ nostræ ex contrariis constitutionem, verum etiam excrementorum in nobis prouentum reposuit, Modo quinam maior excrementorum prouentus abundat, quam in melancholicis? etenim hi frigidi & sicci sunt, optima autem coctio à calido, & humido celebratur, Denique si vitam minuant, vigiliæ, curæ, metus, ac tristitia, vt quæ innatũ calidum abstrahant, dissipent, & extinguant, quinam magis hisce vexantur, aut in has animi perturbationes melancholicis ipsis prouiores sunt? Nonnullæ tamen ad huc ex aduerso rationes, quæ veritatis quandam speciem repræsentent, adduci possunt, quandoquidem cum nostri corporis substantia perpetuo fluat, in melancholicis tamquam qui propter siccitatem sint habitu densiori, minus fluit, ergo rationabile est longæuiores eos esse in quibus propriæ substantiæ minimum, quam in quibus plurimum dissipatur, quorum in albo sunt humidiores omnes, & qui rara admodum corporis textura sunt, dein habemus ex Arist. 30. sect. problem. 1. quod qui habitu melancholico præditi sunt prudentiores extant, tales autem tum propter vitæ continentiam tum propter animi moderatos mores vitam producunt, cum in ea nõ incidant errata, quæ ab aliis perpetrari solent, Demum Aristoteles 14 sect. problemm. vlt. eos, qui loca habitant calida, timidos esse scribit quoniam frigidi sunt, frigidi autem & timidi melancholici sunt; & problemmate 9. eiusdam sectionis scribit eos diutius viuere qui locis calidis suam degunt ætatem; ex his igitur melancholicos diutius viuere colligimus, Cur autem illi diutius vivant, Arist. in sicciorem ipsorum naturam refert, namq. quod siccius, firmius & diuturnius est, cum .n. mors ex philosopho putredo quædam sit, quæ humidiora sunt siccioribus facilius putrescunt, Ego, vt ingenue fatear, quemadmodum eos, qui loca inhabitant calida non diutius viuere opinor, ita & Aristotelem sibimet ipsi contrarium extitisse existimo, Nam cum mors caloris interioris refrigeratio, sit vel ipso teste, nemini dubium est, quod ii breuioris erunt æui, quibus innatus, interiorque calor citius

tius foras euocabitur, ac profluet, quam quibus intus diutius perseuerabit, sed in locis calidis vitam degentibus ocyùs profluit, & euocatur foras, ergo ipsi breuioris sunt æui, minorem propositionē 16. problem. probat Arist. dum ait" Accidit ergo vt qui loca calida colunt refrigerari nimirum possint, cum .n. solutum, rarumq, corpus eorum sit, calor foras profluere potest; His autem ita perspectis, quod sibi contradicat Aristoteles facile erit inspicere percurrenti nonū problēma, hic .n. loca calida inhabitantes vult esse ficciori natura, ac proin de densiori corpore, superius autem soluto, raroq. corpore, hic ambientis aeris caliditate (calet.n. locis calidis aer, sicuti frigidis friget) innatum, internumq. calidum calefieri, illic refrigerari scribit, Quāobrem crederem ego Aristotelem problemmate 9. per loca calida intellexisse calida temperata, problemmate vero 16. intellexisse calida intemperata, & excedenter calida, quo pacto vbiq. verum, nullibi falsum prolatum fuerit, Quod autem melancholici ficciori sint habitu, ob idq. propriæ substantiæ minus dissipent, hoc ad longitudinem vitæ nullo modo facit, cum cetera non respondeāt, etenim quamuis minus dissipent, minus etiam quod dissipent habent, nempe radicalis humidi, quod natiui caloris pabulum ac propria substantia est. Quod tandem melancholicos prudentes esse dixerit Aristoteles, non de iis, qui frigida & sicca donati sunt temperie audiuit Philosophus, sed de aliis, vt 17. 2. sect. quæstiuncula iam enarratum est.

Cur qui melancholico habitu constant, hæsitent lingua? Cap. XI.

Lingua hæsitantes sunt melancholici, sed non omnes, & melā lancholici lingua hæsitant, sed non omnes, quare & de melancholicis, & de linguæ hæsitantiæ causis distinguendū erit, vt problemmatis veritatem assequamur. Cuius problemmatis causam reddens Aristoteles. 11. sect. problemm. 38. ea refert in imaginationem, nempe in phantasmatum copiam, nā cum lingua eas innummeras imaginationes assequi velit, non secus ac animus visa, nec possit, inter loquendum hæreat, atq. ita impetus dicendi præruat, verū idemmet Aristoteles problemmate 30 eiusdem sectionis linguæ hæsitantiam declarans, ait hanc esse alteram alteri syllabam iungere properè non posse, & hanc in pueris contingere (namque hi viris magis hæsitant lingua) propter eiusdem linguæ imbecillitatem, quę certe quemadmodum, & in ceteris ipsorum musculis ab excedente, neque adhuc satis reficcata humiditate fit, quinq agesimo vero quarto problēmate, cur aliqui lingua hæsitantes fiant, in membri quo loquimur refrigerationem refert, quasi stupens & attonitum id membrum euadat; sexagesimo tandem tertio non solum refrigerationi, sed & magno etiā calori, atq. nimio feruori linguæ hæsitantiam adscribit, ita vt inter loquendum

quendum lingua offendendo adhereat, quasi in salebris, quomodo affici iratos homines noscimus; Hinc tres linguæ hæsitationis causas præter imaginationum frequentiam ex Aristotele attulimus, nimirùm linguæ imbecillitatem ab humiditate excedenti, vt in pueris, eiusdem frigiditatem vnde quasi obstupescat, ac tandem nimium sanguinis, atq. spirituum feruorem, insuper & linguę breuitas, & siccitas, siue accidentalis ariditas, imo & ex Aetio flatus, qui linguam velocius impellere possunt, possunt esse causę prædicti affectus, vt optimè adnotauit Septalius vir doctissimus; Remanet modo explicare de quonam melancholico habitu intellexerit Aristoteles, nàmq. tam melancholico habitu donatus erit is, qui melancholico humore frigido, & sicco abundat, quam qui atra bile pręcalida, & sicca; Per habitum igitur melancholicum non frigidum & siccum intellexit Arist. quoniã & si ob frigiditatem lingua obstupescat, proindeq. hæsitet, non tamẽ adeo frigidum hunc humorem melancholicum subaudire debemus, vt sua frigiditate linguam veluti torpore afficere possit, namq. in viuente corpore actu calidus est, ac tandem hoc magis vitreæ pituitæ, quam ipsi competeret, prętereà melancholici, qui frigido & sicco sunt habitu fixas potius, quam vagas habent imaginationes, tùm propter crassitiẽ, tum propter spirituum quamdam veluti immobilitatem, atq. pigritiam, cum tamen Aristoteles in his vagas, atq. frequentes imaginationes esse voluerit; Habemus in libello de melancholia ex Galeno Ruso, & Possid. hæc ad litteram" melancholici linguam velocem ferè semper habent, sed & balbè, & exili voce loquuntur ob linguę incontinentiam, nàm vehementes linguę motiones à spiritu crasso fiunt, omne autem quod vehementer mouetur, celeriter quoq. motum suum absoluit; Sed si per spiritum crassum animalis spiritus intelligatur, vti intelligi debet) hic .n. solus motricis facultàtis est delator) iam suspecta redditur hæc sententia, nam spiritus animalis sua substantia ad linguam vsq. non pertingit, sed sola irradiatione; Cæterum & si pertingeret non vehementes efficeret motiones, nam si quæ de linguę eadem de cæterarum partium musculis sit ratio, nos videmus vehementes motiones à præcalefacto ac tenuissimo spiritu fieri, vt in maniacis, ac phræniticis, Tandem non est vt in hoc habitu melancholico, tamquam frigido, & sicco linguæ hæsitantiam fieri ab imbecillitate, quæ ex nimia humiditate prouenit, intelligamus; Reliquum erit igitur, vt per melancholicum habitum eum Aristoteles intelligat, in quo atra bilis feruida, ac exusta prædominatur, & quod hoc sit verum, tum causa ab ipso assignata problemm 53. sect. 11. nempè ingens calor, ac feruor, tum frequentes imaginationes, seu phantasmatum copia, quam 38. problemm. affert, nobis declarant, namque & à calore & à phantasmatum copia linguæ hæsitantia fit, neq. tandem in

alio quem melancholicum habitum appellare possimus, nisi in calidiori atq. atrabilario ingens hæc copia phantasmatũ excitari poterat, nām spiritus animales à feruore exagitati huc, illucq. in cerebro vagātes, varias semper suscipiunt imagines; exemplo vinolenti, seu ebrii sint quibus ob spirituum animalium agitationem obiectum, quod vnũ est, sub specie multorum obiectorum apparet, vnde phantasmatum frequentia, & simul ipsi lingua oberrant, & hęsitant, quamuis & ipsis hoc contingat, vel propter madescentiam, ex qua ampliatur & extollitur linguæ caro mollis, & spongiosa, quemadmodum docuit Aristoteles sect. 3. problemm. 30. Censendum igitur est, & iure optimo Aristotelem de iis melancholicis loquutum fuisse, qui calido cum sint temperamento sanguinem aliqua adusta melancholia refertum habēt aut sanguine aliqua ex parte exusto abundant, & hoc ante ipsum cognouit Hippocrates qui lib. 2. Epid. sect. 5. quod morbos habeat balbus atrabilarios scripsit, & sect. 6. clarius hæc profert " Balbi, celeri lingua præditi atræ bilis humori obnoxii biliosique sunt oculis non nictantes, iracundi, quare hinc quoque excludendi erunt balbi illi, & hęsitantes lingua, qui intemperie capitis nimia humiditate excedenti laborant, quiuè imbecilla lingua præditi sunt ob imbecillitatem aut formatricis facultatis aut diminutionem caloris, vel innati, vel influentis, nam hi siue loqui tantum, siue cantare velint, siue cunctanter, siue rapidè (vt ait doctissimus Septalius) numqūam non balbutiunt, neque sunt iracundi, sed calidos potius, & potissimum biliosos, qui ob caloris excessum in iuuentute etiam melancholici fiunt exusta bile flaua; Hos igitur lingua hæsitantes esse Aristoteles scripsit, quoniam nimis properè sequi imaginationem, melancholicorum sit: hi .n. conantur dicendi impetu ac celeritate ea, quæ visu, aut aliis sensibus exceperunt in internis potentiis lingua exprimere antequam conceptus recte sint formati; ac ad expressionem dispositi, neque impetus dicendi præruit, anteceditque facultatem eorum, sicque hæsitantes fiunt & blęsè proferunt; Cæterum & de balbis ab hac causa loquutus fuit Hippocrates 2. Epid. iam citato, cum eos celeri lingua præditos appellet, nam si de balbis à siccitate loquutus fuisset (tale ab humiditate iam exclusimus) tantum abesset vt hi celeri lingua præditi essent, quin potius tarda, nam etiam si ex Galeno in 6. aph. comm 32. lingua vehementius exiccata sit in causa balbutiei, nihilominus ex eodem etiam lib. 11. de vs. part. c. 10. lingua ob siccitatem efficitur tardior.

Cur

Cur si lingua repentè incontinens fiat, aut pars aliqua corporis stupida, tale melancholicum sit? Cap. XII.

SEntentia est Hippocratis lib. 7. aphor. 40. quam Cardanus interpretans, per incontinentiam linguę dicacitatem, siue impotētiam quamdam tacendi explicat, sed refellitur, illius opinio à Hyeronimo Mercuriali in sua praxi cap. de melancholia, quandoquidem non de morbis animi, sed de corporis vitiis loquutus est Hippocrates, præterea addamus nos ex sententia Galeni in cōm. huius aphorismi Hippocratem eam incontinētem nominare linguam quæ aut infirma est, ita vt non possit integrè dearticulare vocem aut immobilis, & omnino resoluta, ita vt linguæ dicacitas Cardani excludenda sit, Duo autē Gal. addit, vnum, se nescire causam, prop ter quā incontinentia linguę sit melancholię signū cum nullę melancholicę passiones eā antecedāt. Alterū, quod si vlla causa huius rei assignari debeat, erit melācholicus humor, qui nō secus ac quartanarii circuitus est causa ita & linguę incōtinentię sit, fieriq. posse, vt propter humoris crassitudinem talis passio consequatur, qualis ex crassa, & lenta euenit pituita. Hoc postremum Galeni dictum non integrè huius euentus explicat causam, verissimum tamen est, in crassitiem .n. melancholici humoris neruorum linguæ principia obstruentis referenda est incontinentia linguæ, sed an ob eandem rationem propter quam est quartanarii circuitus, linguæ quoq. incontinentiæ sit in causa, non est in præsentia disputandum, hoc vnum vtriq. affectui commune esse videtur, nimirum melancholicum humorem veluti quemlibet alium, tunc de loco ad locum à natura expelli, vbi vel quantitate, vel qualitate ipsi est infensus, sed cur in quartanario circuitu de quarta in quartam diem ista repetatur expulsio, in linguæ autem incontinentia vnica tatum vice vt plurimum fiat, causam reddere tenebatur Galenus, si inter vtrumq. affectum istam causæ identitatem (vt ita loquar) agnoscebat, Quoad alterum vero ipsius dictum respondetur non esse necesse, vt præcedant melancholicæ affectiones, & præsertim cum melancholicus humor, & paucus est, & quietus manet, Hyeronimus Mercurialis se huius rei veram attulisse causam ex Aristotele 11. sect. problemm. 38. opinatur, dum ait melancholicos propterea hęsitare lingua, & fieri incontinentes, quoniam tanta sit copia imaginationum vt lingua non possit sua celeritate eas assequi, & idcirco firmetur, sed neque hæc sententia planè arridere potest, quando quidem loquitur Aristoteles de ea linguæ hæsitantia, in qua lingua titubat, & inter loquendum hæret, nec syllabam syllabæ præproperè connectere potest,

& quæ homini ferè connata est ac perdurans, quamuis & hæc quoq. (vt superius ostensum fuit) in melancholiam referatur; Hippocrates verò de ea linguæ hæsitantia intelligit, quæ repente fit, cum anteà non esset, & quę omnino, aut valdè saltem vocum dearticulationem tollit, accidit .n. in paralysi, vt fiat lingua incontinens, idest pereat linguæ firmitas ad dearticulandas voces; nàm quemadmodum, si quę pars corporis stupore elangueat, illius impeditur, & imminuitur motus, ità & linguæ si hæc stupore afficiatur impeditur, aut imminuitur motus adarticulandas voces, non aliud.n. intellexit Hippocrates per linguæ incontinentiam nisi illius stuporem, qui paralysis, vel si propriè, & strictius loqui velimus semi paralysis est, & hoc ex eo magis cõfirmatur, quia tam repentinę linguæ incontinentiæ, quam repentini stuporis alicuius partis corporis eadem est causa, nempè melancholicus humor, sed quomodo horum sit in causa melancholicus humor videndum est; Benedictus Victorius fauentinus in proprio huius aphorismi commento, & lib. de morb. cur. c.14. ait hæc euenire ob cerebri refrigerationem ex melancholico humore in eo aceruato, contribuente linguę eãdem intemperiem, qua lingua ipsa ægra redditur, & impotens ad dearticulationis motum, pariter si aliqua pars corporis stupore infestetur, id quoque accidens ait melancholicum est, quoniam stupor refrigerato cerebro exoritur ob intemperiem frigidam ipsi condonatã à præsentia melancholici humoris, quam cerebrum sic affectum contribuit parti corporis stupidæ factæ, Ego tamen in hac parte tanti viri sententiam recipere non possum, quoniã cum hæc symptomata repentè fiant, quomodo poterit ista frigida intemperies à cerebro tàm citò communicari ex. gr. cruri? credendum potius est à melancholico humore in cerebro existente initia neruorum aut linguæ, aut huic vel illi corporis parti inseruientium obstrui, dum cerebrum à talis humoris copia vel qualitate irritatum illum ad subiectas partes expellat, sed cum hæc symptomata à pituita quoq. contingere possint, vt superius innuit Galenus, inter illa discrimen extat, namque si lingua repente incontinens fiat, aut aliqua pars corporis repente stupore elangueat, tale melancholicum est, & indicia sunt perstantis melancholiæ, vbi vero vtrumque symptoma sensim & paulatim exoriatur, tale pituitosum est, & nequaquã indicium præsentis melancholiæ, sed pituitæ cerebrũ offendentis, & si quispiam ambigeret, vnde nam si pituitam sensim, & paulatim ea efficere symptomata, melancholiam vero eadem repente inducere, Respondetur esse huius rei in causa pituitæ viscididatem, ob quam pituita hæreat in viis ducentibus ad linguam, & ad partem corporis stupore elanguentem, quod melancholico humori haudquaquam contingit, hic .n. etiam si crassus & terreus, sit & ob id tardi motus, nihilominus cum viscididate careat, celerius quam pituita ab

vna ad aliam partem expelli poteſt, & idcirco prædicta ſymptomata repente valet efficere; ſed & aliam præter hanc cauſam affert Iacobus Hollerius in ſcholio citati aph. ob quam hæc à melancholico humore potiùs fiant, quam à pituitoſo, nempè melancholici humoris paucitatem, quam & nos ſuperius tetigimus; Melancholicus .n. humor (inquit ipſe) paucus eſt in corpore, omniumq. humorum pauciſſimus; pituitoſus autem humor multus, ac poſt ſanguinem omnium humorũ plurimus, at paucus humor rarò non niſi particularem paralyſim, plurimus autem ſæpius vniuerſalem paralyſim efficit; proinde particulares partium affectiones, reſolutiones, ac ſtupores ferè à melancholico homore fiunt, vniuerſales vero pituitam magna ex parte ſequuntur.

An gracili voce præditi melancholicis morbis ſint obnoxÿ? Cap. XIII.

QVi gracili voce præditi ſunt atrabilariis morbis affici ſcripſit Hippocrates 2. Epidem. ſect. 5. vnde fortè habemus in libello de melancholia ex Galeno, Ruſo, & Poſſidonio, quod voce exili loquuntur melancholici, & ſi quę fides ſpuriis Galeni libris habenda eſt, hæc in libro de ſpermate leguntur" Vox ſubtilis non alta eſt conceptis in hora melancholiæ; Certè ex ipſa voce aliquam de morbo coniecturam deprehendi poſſe declarauit Galenus in 6. Hipp. de morb. vulg. comm. 2. part 43. Verùm hæc Hippocratis ſententia difficultates patitur, nàm Pueri & Eunuchi vocem reddunt gracilem, & exilem, & nihilominus melancholicis morbis rarò ſubiiciuntur; amplius videmus hydropicos, aſthmaticos, & alios, ex defluxu materię catharralis ad ſpiritales partes exilem vocem reddentes, qui non melancholicos, ſed omnino contrarios patiũtur affectus; Dicendum fortaſſe erit vocis gracilitatem ex a guſtia aſperæ arteriæ prouenire (quemadmodum etiam ſubtilem, vel grauem reddi ſonum ex anguſta, vel ampla ſiringa, aut alio muſico calamo obſeruamus) quæ quidem anguſtia tum ex nimia humiditate, tùm etiã ex ſiccitate contingere poteſt, ſi ex nimia humiditate contingat, vt in pueris & eunuchis, qui humidiori ſunt temperamento, naturaliter euenit (quamuis in pueris alia etiam de cauſa vocis exilitas fiat, nempè à paruitate aſperæ arteriæ, nec ad iuſtum incrementum auctæ) & vt præternaturaliter in quibus ſpiritales partes pituitoſa materia implentur, aut premuntur, tunc Hippocratis ſententia locum non habet, ſi vero ex ſiccitatę fiat, tunc ſiccitas aut cum humore ſibi congenere, nempè melancholico cõiuncta erit, aut ſola; ſi ſola, nõ eſt vt morbi melãcholici contingant, ſi vero adnexos habeat humores, facile eſt vt hi in calidiori parte contenti iam in cerebrum effument, & melancholiam inducant,

atrabilari, quoq. temperamento eos donatos esse credendum est, at homines atrabilarii cum calidiori constent, temperamento, vti in iis, qui lingua hæsitant, superius manifestum fecimus ex Aristotele. in ipsis quoq. partes spiritales, & trachæa ob calorem magis dilatabuntur, & proinde non exilis, sed grauior vox reddetur, & hæc veritas à contrario magis elucescit, nam ii, qui frigidiori sunt temperamento, vt mulieres, & Eunuchi exilem vocem reddunt, ob remissum .n. eorum calorem partes spiritales vocem edentes non adeo dilatantur sed compressiores remanent, ex quibus ita dispositis vox gracilis, & exilis editur, præter humiditatem .n. superius adductam, & frigitas, seu remissus calor in his gracilis vocis est causa. Respondetur melancholicos, siue hi sanguinis fęce abūdent frigida & sicca, siue atra bile, vel adusto sanguine, partium quoq. siccitatem sibi adiunctam habere, ità vt quantum calor dilatare posset, tantum siccitas dilatationem prohibeat & ob id exili voce loquantur, præterea cum in melancholicis semper copiosius effument exhalationes crassæ hę spiritales partes magis angustare, quam eas calor dilatare possunt, Tandem non me fugit, quod Galenus scripsit in 1. Hipp. de morb. vulg. comm. 2. part. 78. nimirum per gracilem, & exilem vocem idem significari, quamuis in hoc differant, quod exilis vox fiat ob angustiam asperæ arteriæ gutturis, at gracilis propter musculorum guttur mouentium innatum vitiū, quod nam autem sit hoc innatum vitium non declarat Galenus, sed eos à natura imbecilliores conformatos esse credendum est, & ob id ad recipiendum valde dispositos. ita vt & à cerebro, & à glandulis proximè positis nimis irrigentur, nimisq. laxentur, vnde nec possint (vti par esset) laringē satis aperire, ac dilatare, ex quo vox gracilis reddatur sed de gracili voce ab hac causa proueniente non est intelligendus Hipp. hanc .n. varix in testibus superueniens non solueret.

Cur Calui melancholiæ sint dispositi? Cap. XIIII.

HIppocrates, vt iam superius diximus caluos melancholicis affectionibus obnoxios esse enunciauit 2. Epidem sect. 5 & 6. Ratio autem facile desumi potest ex Galeno lib. art med c. 14. vbi ait, quod qui calido sunt cerebro caluitium patiuntur, atq. eo magis, qui plus modico sunt calidiores, nec non c. 16 inquo qui cerebro sunt sicco, cito caluos fieri scribit, nam in cerebro calidiori, ac sicciori intemperie affecto aut sanguinem aduri aut sanguinem adustum, ac proinde melancholicum reperiri rationabile est, vnde non mirum erit, si in his etiam melancholicæ affectiones excitentur, Item non dissimilis quoq; ratio ex Galeno elici potest 2. de temperam. c. 5. dicente nonnullos procedente tempore caluos redi,

di,

di, quibus scilicet à primo ortu ficcior cutis erat, Modo autem verisimilius est, cutem à primo ortu ficciorē contrahi, vbi caliditas adiūgitur, quam vbi frigiditas, non .n. primo ortu tanta frigiditas esse potest quæ exiccare valeat, qui igitur calidiori, ac ficciori temperatura sunt copiosiorem melancholiam producūnt, quemadmodum Galenus adstruit 2. de facult. nat. c. 8. ac proinde melancholicis morbis magis vexantur, verum hic non inepta difficultas meo iudicio exoritur, dum Galenus loco de temperam. iam cit. scribit, quod calida & ficca intemperies maxime hirsuta, est quomodo in capite, seu potius capitis cute, calua erit, ac debilis? quomodo à tali intemperie maximus pilorum prouentus fiat, & ab eadem nullus? Respondeat fortasse aliquis ab ista intemperie caluitium produci, dum nimis excrescit, tum quia cutis pori ex nimia ficcitate in se contrahantur, ac veluti occludantur, & ita succorum per cutem transpirantium limosam materiam quę pilos progignit non recipiant, tum quia prędicta materia dissipetur & absumatur, hinc Galenus 2. de temperam. ex valde arida cutæ pilos non enasci asseruit, quemadmodum neq, ab arida terra herbam produci cernimus, Verum respōsio ista difficultatibus non caret, quandoquidem neq. in ardentibus febribus, neq. in hecticis inde sequentibus pilos vel pectoris vel sub axillis, vel super cruribus ac brachiis existentes defluere videmus, cum tamen maior sit in sic affectorum totius corporis cute intemperies ista, quam in capitis cute homines naturaliter se habentis, ac caluitium patientis, Quare dicendum est caluitium & pilorum amissionem in capitis cute potius, quam reliquarū partium contingere, quia cerebrum ficcitate affectum à caluaria recedat, ficcius .n. euadens veluti constringitur, ac coarctatur, & ita à caluaria, quam suo corpore tangebat, recedit, qua de causa capitis cutis materia pilorum productrice priuatur, quæ sibi antea à cerebro veluti per contiguitatem mediante caluaria suggerebatur, quod aliarū corporis partium cuti non contingit.

Cur melancholia affectis si tremores accedant malignum sit? Cap. XV.

QVibus melancholico modo mente motis tremores accedūt malignum hoc est, teste Hippocrate lib. 1. Prędict. ad initium; cuius rei causam non aliam putant aliqui, quam atræ bilis melancholiam facientis confluxum ad cerebellum siue spinalis medullæ initium, quæ dum semel neruos petierit, ac semiobstruxerit, cum crassa, ac rebellis sit, difficillime, aut potius nunquam inde abigi possit, & idcirco hoc malignum sit, quia ægrorum nec sic subsequantur, Hinc vel ex eodem Hippocrate in calce 6. Epidem.
quemadmo-

quemadmodum atrabilarii etiam comitiali morbo corripi pleru mq solent, ita & tremore superaffici posse credendum est, inquiunt, nam vt diuini sen s vtar verbis, sicuti ex melancholicis comitiales fiunt vbi ater humor ab animo ad corpus inclinarit, nempè ad ventriculos cerebri, ità vbi ab animo ad initium spinalis medullæ secesserit, tremores fiunt, tunc .n. ex Galeno 2. de symp. caus. cap. 2. succi tremoris causæ fiunt, vbi virtutis viam sic obstruunt vt parcior influat, nàm semper tremorem ex facultatis, quæ corpus sustinet mouetq; infirmitate accidere voluit Galenus lib. de trem. palpit. &c. cap. 3. Hoc tamen alicui suspectum videri posset percurrenti 26. Hippocratis aphorismum sect. 6. nam ibi si tremores, qui in febribus ardentibus fiunt delirio soluuntur, quomodo melancholico delirio tremores accedant? ego suspicionem illam certé paruifacerem, quandoquidem Galenus in commento preterquam quod impropriè loquutum fuisse Hippocratem dicat, addit quod quemadmodum ex arteriis & venis ad neruos transfluxus noxiorum humorum fieri potest, ità & ex neruis ad has, quare eò faciliùs fieri poterit iste transfluxus à cerebro ad ventriculos, & à ventriculis ad cerebrum, vt in Epilepticis, & melancholicis dictum est, nec non à cerebro ad cerebellum, seù spinæ initium, & ab hoc rursus ad cerebrum tanquàm quę propinquiora sint, vt hinc melancholia tremori, & tremor melancholiæ superuenire possit, Quod magis difficultatem faciat, est, cur malignum sit, si melancholię tremor superueniat, cum potiùs minus malum esse deberet, quoniam fit transfluxus materiæ noxię à cerebro principe parte, ac nobilissima ad spinalem medullam ignobiliorem, nec principē partem; Respondetur quod tremor in melancholicis fieri potest manente ad huc in eis melancholica affectione, absq. eo quod atrabilis ex toto recedat à substātia cerebri ad spinalem medullam, nam adeò iste humor redandare potest interdùm, vt & cerebrum, & spinalem simul afficiat medullam quo modo in presentia intellexit Hippocrates, nàm dixit " Quibus melancholicis tremores accedunt, idest coniunguntur hoc malignum est, nàm geminata mala malignitatem efficiunt, & præsertim cum vnumquodq. suapte natura ad perniciem potiùs, quàm ad salutem tendat, quare hinc manifestum est etiam in præsentia non habere locum similitudinem à melancholicis, qui fiunt Epileptici, desumptam.

An quemadmodùm ex melancholicis non raro fiunt epileptici, & vice versa, ità ex melancholicis apoplectici euadant, & vice versa? Cap XVI.

FVit Hippocratis sententia in fine libri 6. Epidem. quod melancholici comitiali morbo afficiantur, & contrà morbo comitiali laborantes efficiantur melancholici, quorum vtrumlibet magis accidere scripsit Galenus 3 de loc aff. cap. 7.

raro capit apoplexia. Epilepsia autem, ac melancholia præterquam quod morbi frequentiores sint, frequenter etiam hominem, quem semel afflixerunt, inuadunt; præterea cum in apoplexia ventriculorum cerebri omnimoda requiratur obstructio, in epilepsia autē nequaquā fit necesse vt iidem omnino obstruantur, hinc est quod potius in Epilepsiam, quam in apoplexiam commigrat melancholia; nam cum atrabilis, quę melancholiam parit, facile propter sui, aut acrimoniam aut asperitatem, aut malignam qualitatem contractam irritet naturam ad expellendum, accidit vt dum illius a cerebro ad ventriculos fit depositio, ventriculorum expultrix facultas ad eam expellendam insurgat, antequam omninò ipsi repleantur, Nequaquam autem, vel rarissimè saltem (vt diximus) in melancholiam vertitur, apoplexia (non.n.ex rei natura omninò impossibile est, etiā si de hac re nullas hucusq. perleger.m historias) & ratio est, quoniam et habemus ex Hippocrate 2. aph. 42. solui-re apoplexiam fortem quidem impossibile, debilem verò non facile, deinde apoplexiæ solutæ crebetrimè succedit paralysis ex Galeno 4. de loc. aff. cap. 2. ità vt cum apoplexiam, vel mors vel paralysis sequatur, non possit illa in melancholiam transire, & quamuis (vt optimè notat Galenus in 2. aph. comm, 42.) extet apoplexia, debilior, quę si omnia fiant, quę necessaria sunt, cito curatur hęc, certè non ab humore melancholico tamquam qui admodum rebellis sit, & expellenti naturę valdè resistat, sed à flatu potius, seu vapore vt plurimum ortum habuerit.

Cur melancholico delirio tententur, qui febre ardenti laborant, si sonitus aurium cum visus hebetudine, & grauitate in naribus accedant? Cap. XVII.



IN febre ardenti sonitibus aurium accedentibus cum visus hebetudine, & grauitate in naribus accedente, melancholico modo mēte moueri scripsit Hippocrates lib. 1. Prędict. Modò sub ardenti febre, tum quę causo, tum quę Synochus appellatur, complecti iam notum est medicis, quare non de causo, nisi de Synocho tantum intellexisse Hippocratem credendum est, quādoquidem cum causo fiat à bile, hæc nō cum timore & mestitia inducit deliramenta, sed cum temeritate & audacia, Synochus verò cum fiat à sanguine, hic adustus, & crassefactus pro splēdore, & claritate quam obtinebat, opacitatem, & nigredinem acquirit, & pro hilaritate, ac fiducia quam inducebat, mæstitiam, metumque affert, præterea quod Synochum per ardentem febrem intelligat Hippocrates, declarant quæ superueniunt symptomata, nempè sonitus aurium, visus hebetudo, nec non grauitas in naribus, nam ab humore crasso in capite redundante grauitas producitur, & cum ab ipso nigri vapores eleuentur plurimi, hi animalibus immiscentur spiritibus, & quatenus audi-

cui inferuientibus sonitus aurium, quatenus verò visui inferuientibus miscentur visus hebetudinem pariũt, sic etiam vbi cum spiritibus principum facultatum instrumentis confunduntur, imaginationem vitiãt, deliriumque cum metu, & mestitia inducunt, Sed quid plura? Hippocrates se ipsum declarat in Coac. prænot. illatamque sententiam coarctat, dùm ità scribit " In febribus ardentibus si aurium sonitus accedant cum visus hebetudine, & grauitate secundum nares melancholico modo ab atra bile mente mouentur, sanguine ipsis non erumpente, Hinc manifestum fit in febre ardenti, quam synochum appellant, a ccedentibus prædictis symptomatibus sanguinem cerebrum petiisse, qui nisi per nares erumpat, necesse est, vt detentus in atram bilem vertatur, ac melancholicum delirium producat.

An in melancholia floridus faciei color bonum sit signum, vel malum? Cap. XVIII.

FOrtè à ratione videatur aliena præsens quæstiuncula, quoniam si ęgri, vt qui sani sunt, bene colorentur, quid mali hoc possit portendere? imo si quę sanorũ sunt propria in ęgris appareãt signa, semper salutis spem præseferunt, quandoquidem eos à statu naturali non multum recessisse indicant, hinc Hippocrates, & cũ eo Galenus 6. Epidem. comm. 2. part. 3. ait ingentibus malis bonam faciem optimum esse signum, præterea si humorum in corpore abundantium certam notitiam ex colore habeamus vti nos docet Galenus 4. de san. tue. c. 4. quem florida, ac benè colorata facies indicabit humorem, nisi sanguinem? ergo bonum, quoniam melancholiæ, quę fiũt à sanguine mitiores, ac securiores sunt, Contrarium tamen sentiendi ansam dedit Hippocrates 1. Prorrhet. sect. 2. vbi hæc habet "faciei color bonus, & męstitia multa malum, quare cum melancholici semper mereant, in iis non erit laudabilis colorata facies, imo cum hi semper timore ac tristitia afficiantur, & in talibus animi affectibus spiritus ac sanguis in altum se recipiant, non potest in ipsis benè colorata facies apparere, sed exanguis erit potiùs, ac obscura, quare si rubicundior extiterit, alium morbum simul adesse testabitur (hinc rubentem faciem post aures futurum abscessum significare colligimus ex Hippocrate & Galeno 6. epidem. sect. 2. part. 18.) & idcirco malum. quoniam plures morbi ægrius feruntur, quam vnicus, Cæterum breui res ista determinatur, si dicamus in melancholia quæ fit per essentiam in capite rubicundam, ac benè coloratam faciem malum portendere, in reliquis autem melancholiæ speciebus bonum potius testari signum, in illa malum, quia vt ait Galenus in comm. 14. particulæ allatæ ab authore Prorrhet, quædam in cerebro valdè calida affectio esse videtur, quæ sanguinem exurit, eamq. ob causam bilem atram gignit, fieri .n. nequit. ait Galenus, vt ægri ità colorentur, vt qui optime valent, pro ea

quidem

quidem, quæ in illis est affectione, sed ob caliditatem multam impense rubros ipsos factos, & bene coloratis similes videri relinquitur. In reliquis autem melancholię speciebus bonum potiùs erit signum benè colorata facies, & præcipuè in ea, quę fit per consensum à toto, quoniam in toto corpore sanguinem superabundare ostendet, à quo prodeuntes morbi mitiores, ac tutiores sunt quam si ab aliis pendeant humoribus, vt colligitur ex Galeno in Progn. Hippocratis comm. 2. part. 46. quare & in hoc casu prioris sententię rationes veritatem habebunt.

An melancholiam sanguinis per nares effluxus soluat? Cap. XVIII.



A Sanguinis profluuio desipientia ac conuulsio malum, dixit Hippocrates 9. aph. sect. 7. si ergo à sanguinis profluuio desipientia fit, quæ est delirii genus, quomodo ab eodem delirium soluatur? Respondetur à sanguinis profluuio, & immodico delirium excitari, tunc .n. facultas sentiendi præ imbecillitate vacillat, inanito si quidem, ac profuso sanguine inaniuntur spiritus, qui pręcipuum animæ sentientis instrumentum sunt, vnde sua munera rectè exercere nequit, sed delirare cogitur; At si delirium adsit, potest à sanguinis fluxu, qui vires non eneruet, tolli, vnde sanguinis per nares effluxus, etiam si inter symptomata, quæ à toto genere præter naturam sunt, reponatur, nihilominùs hunc mentis emotiones soluere dictum fuit ab Hippocrate in Epidemiis referente ludouico Mercato cap. de Mania; & Galenus 2. de motu musculorum cap. 6. quemdam Romę delirio detentum fluxu sanguinis per nares copioso sibi facto conualuisse refert, sed hoc remedii genus à natura emolitum fortè à doctissimo Ludouico Mercato damnaretur in melancholia, cũ ipsum damnetur in mania, quæ non à sanguine quidem, sed à flaua, & atra bile proueniat quod non alia de causa fortè existimat periculosũ nisi quia sanguine euacuato, qui sui natura mitis, ac temperatus est, vtraq. bilis magis effrętur, nam fręnũ bilis dicitur sanguis ab Auicenna, sic pari ratione calido, & humido euacuato sanguine (nam qui moderatè talis est succus tẽperatus dicitur) eũ qui remanet in melãcholia melãcholicus humor frigidus, & siccus, rebellẽ magis euadere necesse est, Sed paruifieri hanc rationem ego semper repetii, quandoquidẽ in affectibus, inquibus bilis, aut melancholicus succus peccat, numquàm per sectã venã detrahendus esset sanguis, & tamẽ ab omnibus sanguinis missionem proponi videmus, sed quid plura? non ne febriũ ardentium, in quibus pręd ominatur, per nares sanguinis efluxu iudicari peculiare est? hoc patet experientia ab Hippocrate allata, & à Galeno confirmata in 1. Epidem. sect. 2. part. 63. Nec quod sanguinis profluuium à toto genere pręter naturam sit, ità vt melancholiæ nequeas

queat esse auxilio, dicendum est, non .n. adhuc præter naturam est, si tempestiuè fiat: vti nos docet Galenus de sympt. diff. cap. vlt. tempestiue autem fit, cum id quod contristat, expellitur, cum igitur in melancholia per nates melancholicus sanguis qui contristat, expellatur, hoc tempestiuum, ac vtile erit, nequaquam autem præter naturam, Neque quod à natura hoc præstari possit dubitandum est. namque si arte melancholicum sanguinem ? secta vena euacuamus, quantò magis id præstare poterit natura rectè segregans atque discernens id, quod grauat, ab eo, quod alimentum præbet? quare non solùm in ea melancholia quę, cum risu, & à sanguine fit, sanguinis fluxus è naribus laudabitur, sed etiam in ea quæ, à melancholico succo, & præsertim si per essentiam in capite sit tunc .n. commodè, quia per vicina ac conferentia loca expurgatur, qui contristat melancholicus succus; imò & in melancholia quoq. laudabitur interdum, quę per consensū erit, quoniam ex Hippocrate 5. aph. 33. mulieri menstruis deficientibus sanguis ex naribus fluens bonum, sed sæpè menstruis deficientibus melancholię fiunt, ergò in illis sanguis è naribus fluens bonum esse dicendum erit.

An in melancholia sanguis per inferiora deiectus bonum? Cap. XX.



A Furore difficultatem intestinorum bonum esse habemus ex Hippocrate. 7. sect. aph. 5. illam verò intestinorum difficultatem appellat Galenus 4. aph. comm. 65. quam sanguineam nominant, quæ est sanguinis euacuatio per intestinum absq. exulceratione, vnde per intestinorum difficultatem, non esse intelligendam dysenteriam patet, quamuis hanc alibi subaudiat Hippocrates sicuti in 24. aph. sect. 4. dùm ait, quod difficultas intestinorum, si ab atra bile inceperit, lethalis est, quoniam si dysenteria intelligeretur, cum furor non rarò ab atra bile fiat, tantum abesset, vt bonum foret, quin potiùs pessimum, ea igitur sanguinis euacuatio intelligenda erit, quæ vt diximus, per intestina absq. erosione, aut exulceratione fit, hæc furori conuenit, quia ratione transmutationis (à capite .n. ad inferiora transferuntur, humores noxii) est furoris sanatio, vti Galenus in commento asserit, Eamdem igitur ob causam, & melancholiæ proderit euacuatio ista, imò & magis, quoniam in melancholia ex melancholico qui deiicitur, sanguine, non imminet intestinorum abrasionis periculum, quod ex acriori sanguine in furore posse contingere non est prćter rationem. Hanc rursus deiectionem in melancholia tutam esse ex eo coniectare licet, quod sanguis per intestina certis periodis nullo corporis incommodo à natura euacuari soleat interdum. vt in iis, qui valentem exercitationem subito, & prorsus dimiserunt, aut artuum aliquem præciderunt teste Galeno 3. de nat. fac. cap. 13.

c.13. Alia tamē ex parte cū, in melancholia sanguis feculentus, ac niger abundet, hic delubter excretus nequaquam bonum, quoniam ex Hippocrate 4. Aph. 21. deiectiones nigræ, qualis est sanguis niger, sponte venientes, siue cum febre, siue sine febre, pessimæ, imo cum melancholici affectu, qui longissimus est, detineantur, ac valde emaciati, sint, iis talis euacuatio proximam mortem minabitur, quibuscumq. .n. ex diuturno morbo extenuatis veluti sanguis niger deorsum exierit, proxime mortis est signum, ex eodem Hippocrate aph. 23. eiusdem sectionis, Ad Hippocratis authoritates respondetur eas non esse vniuersaliter, & absolute tamquam veras recipiendas, sed cum limitatione, non .n. in omnibus emaciatis proximā minatur mortem nigra deiectio sed in iis, qui ad extremam extenuationem venerint, ita vt eorum natura, quemadmodum Galenus in commento affirmat, adeò imbecillis, sit vt neque concoquere, neque discernere, neque excernere morbificas materias valeat, Melancholici autem non omnes ad extremam deuenerunt emaciationem, neque in omnibus natura adeò imbecillis est, quod non etiam possit quicquid morbificum est, per intestina expellere, antequam ipsa omnino secumbente parui humores qui contineri nequeunt, effundantur. ; Neque etiam pessimæ semper sunt nigræ deiectiones, cum salutares non rarò reperiantur & præsertim coctionis signis apparentibus, vnde Galenus in commento huiuscemodi deiectiones sequi sæpius ad morbos in vigore consistentes natura superfluitates expurgante scripsit, & in commento aphorismi. 22. eiusdem sectionis hæc habet " Quando igitur post morbi coctionem aliquis humor vitiosus excernitur, tùnc corpus à natura expurgatur, & propter hoc atra bilis, & alius omnis huiuscemodi humor, vbi signa coctionis in morbi processu apparuerint, bonam significat euacuationem, sed ad quid in longius quæstiunculam protrahere, si infra nigra deiecta bonum esse 4. aphorismorum 25. ipsemet enunciauit Hippocrates. ? & hinc deniq. pateat non de optimo, ac laudabili sanguine, & proinde florido, quæstiunculam intelligendam esse, sed de vitiato sanguine, ille .n. cum integer, sit ruber, et dulcis saporis est, hic autem vbi vel natura, vel morbo vitiatus est, atrior cernitur teste Aristotele lib. 3. de hist. animal. cap. 19. præterea ille cum naturæ familiarissimus sit, vacuari non potest, quin simul multum caloris, & spiritus efluat, vnde exoluantur vires.

Cur hæmorroidibus, aut varicibus superuenientibus ægri à melancholia liberentur? Cap. XXI.

HAec fuit Hippocratis sententia lib. 6. aph. 11. et 21. quare Galenus in commento ab hæmorroid bus melancholiam sanari scribit, non solum ratione euacuationis, sed & ipsa qualitate humoris euacuati, nempè sanguinis crassi, ac

melancholico humore pleni, a quo melancholia excitari solet, dùm in cerebro existit, aut dùm in ipsum effumat, addamus & prçter hæc reuulsionem, quç maxima fit a capite apertis hæmorroidibus, aut varicibus superuenientibus, hæc.n. ambo materiam auocant, & abducũt à partibus pr ncipibus ad ignobiles, quç sanè omnia experiẽtia ipsa confirmat, vti videre est apud Galenum lib. de atra bile cap. 4. vbi de iis qui varices patiuntur loquens, ait periculum in his esse, ne.si affectas resecueris venas, melancholia corripiantur, etenim hoc crebrò fieri visum est non solum in varicibus, sed in hæmorroidibus etiam, quç ab eiusmodi humore melancholico proueniunt, & paulo inferiùs hęc habet "Alios declaraui melancholia correptos ex varicum quoq. sublatione aut hæmorroidis, Si igitur restricta hæmmorrois melancholiam faciat, mirum non erit si aperta eamdem soluat, & summa cũ ratione, quia crassus, ac fęculentus sanguis, qui in venis, ac toto corpore redundat, aut per hæmorroidas excernitur aut ad varices decũbit, quemadmodũ nos docuit Galenus lib. 2. de art. curat. ad Glauc. cap. 19. vnde ob eamdem rationem hæmorroidas aperire ad melancholiam curandam artificiosum, atq. vtile admodùm erit, vti suo loco ostendemus, Quod tandem varices melancholiam soluant ex eo argumentari potest (vti rectè excogitauit Hollerius in 6. aph. comm. 21.) quod in melancholia prodest detrahere sanguinem è cruribus, & malleolis imitatione naturæ, constat & exemplo (subdit ille) melancholici illius, qui dum noctu vagaretur per vias fortè; vulneratus est in crure, & multo effuso sanguine melancholia est liberatus.

An melancholia soluatur hydrope superueniente? Cap. XXII.


IN hac re duas opiniones reperio, Galeni vnam, Auicennç alteram, quarum vtramq. discutiendam esse duxi, Prior Galeni opinio elicitur ex commento ad 5. aphorismum sectionis 7. vbi Hippocrates hæc habet " A furore difficultas intestinorum, vel aqua inter cutem, vel mentis alienatio bonum, Cuius sententiæ rationem reddens Galenus, difficultatem quidem intestinorũ vel aquam inter cutem transmutationis ratione esse furoris sanationẽ dixit, cùm a capite noxii humores transferantur ad inferiora. Auicẽnas autem lib. 3. fen 14. tr. 4. c. 4. hæc habet ad litteram " Si alicui accidit hydropisis habenti melancholiam, resoluitur melancholia, propterea quia hydropisis humectat eam, Cęterùm quoad Galenum spectat, quomodo atra bilis in cerebro redundans, ac melancholiam inducens in abdominis cauitatem detrusa hydropem excitet? Sed quod ab omnibus pro certò habetur, & nos veluti fundamentum subiiciamus, nimirùm tam hydropis, quam melancholiæ tres esse species, hæc.n. vel essentialis est, & a materia tantum in cerebro existẽte fit, vel est per consensum a toto corpore, & a materia in toto genere venoso

re venoso redundante pendet, vel deniq per consensum ab hypocondrijs, & à materia circa eorum aliquod inexistente producitur; Hydrops autem vel Anasarca est, & ab humore pituitoso per carnes dispersò, easq. tumefaciente prodit, vel est Ascites, & à seroso humore in abdominis cauitate contento fit; vel deniq. Tympanitis est, & à flatuosa materia in prædicta abdominis cauitate detenta generatur. Modò vt ad Galenum redeamus, ipse quidem de maniaco delirio cum Hippocrate loquitur, sed si, & de melancholico idem pronunciare posse aliquis velit, dicendum est de essentiali delirio intellexisse Galenum cum de materia in capite redundante verba faciat, nec non de Ascite hydrope, cum non ad totum corpus (in Anasarca [n. ferè totum corpus intumescit), sed ad inferiora tantùm prædictam materiam transferri velit sed de vera hydropis specie intellexrit, nullo pacto materia in cerebro peccans, inibiq. melancholiam efficiens, poterit ad inferiores partes translata hydropem inducere, tum quia melancholicus humor à pituitoso, atq. seroso aquam inter cutem efficientibus differt, tùm quià non potest in cerebro ea melancholici humoris copia redũdare, qui ad inferiora transmissus abdomen, vel totum corpus in tumorem attollat, quod si de melancholico humore, cui tanquàm crasso plurimum ferri natura permiscuit, contingere nequit, eò minus de bilioso humore in capite existente, ac maniam efficiẽte continget, cum illi tamquàm subtili, ac facilè permeanti valdè minus ferri permixtum sit; præterea biliosus humor præcalidus frigidum morbum qualis est hydrops, an potiùs calidum inducet? abdomen ac reliquas corporis partes tumefaciet, & augebit, an potiùs exedet, & imminuet? Quod autem ad Auicennam specta, ipse ab hydrope superueniente non nisi humectando melancholiam resolui pronunciauit, sed & hæc opinio plures patitur difficultates, nàm si de melancholia essentiali sermo fit, hæc neq. ab Ascite, neq. ab Anasarca resolui posse arbitrandum est (tympanitis tanquàm ea quæ à flatuosa materia fit prætermittitur) Non ab Ascite quoniam cum ad hoc vt melancholia morbus resoluatur, melancholia humor in cerebro existens humectari debeat non potest hic humor ab aquosa materia in abdomine contenta humectari cum inter se loco valde distent, & omnis actio fiat per contactum, Nec dicat aliquis hanç fieri posse humectationem mediantibus vaporibus ab aquosa materia in cerebrum elatis, quandoquidem vapores, qui calidi, & sicci sunt, nequaquàm humectant, hoc commõstrat Ascite laborantium sitis, quæ calidam, & siccam agnoscit causã & ab iisdem vaporibus ad os ventriculi delatis assiduò, trahit ortum, Non ab Anasarca resolui potest melancholia, quandoquidem illam producens melancholicus humor vbi diutiùs in cerebro moratur, ipsiq. iàm frigidam & siccam qualitatem impertitus est, non parum

sibi ob prædictam cerebri intemperiem pituitosi humoris associat, nec tam. n vnquàm ab eo humectatur ità vt melancholia resoluatur, quare nec à pituitoso humore Anasarcam efficiente humectabitur. Si verò melancholia sit per consensum à toto, neque hæc resolui potest, cum melancholicus sanguis totius venosi generis à neutra hydrope humectari queat, non .n. ab Ascite, cum aqua in abdomine contenta totius corporis, uenas non attingat, non etiam ab Anasarca, & primò quià vbi plurimum melancholici sanguinis generatur, ibi minimum pituitosi producitur vt in melancholia à toto, ità vt anasarca superuenire nequeat, cum hæc iecinoris frigiditatem, melancholia verò à toto caliditatem insequatur; secundò esto quod superueniat, nihilominùs melancholicus sanguis non humectabitur, cum à plurimo sero, quod commixtum habet non humectetur. Restaret hypocondriaca melancholia, cuius humor circa hypocondria detentus à serosa materia in cauitate abdominis contenta posse humectari videtur, cum hypocondria in ea serosa materia innatent, sed neq. hoc rationi consonum est, quandoquidem illa serosa materia etiam si sui natura frigida & humida sit, detenta nihilominùs, atq. conclusa incalescit, acrimoniamque adipiscitur, ità vt adscititiam naturam calidam & siccam acquirat. Verùm .n. verò posset aliquis pro Auicenna his obiectionibus respondere, & (retrogrado ordine incedamus) materiam serosam in abdomine conclusam incalescere quidem, aliquamq. acrimoniam acquirere, sed non eam, ex qua calidam, siccamq. naturam adscititiam acquisiuisse possimus asserere, nam illa aquea materia sane putrescit, sed putrida calida & humida quidem dicenda sunt, nequaquàm sicca prętereà si illa serosa materia adeò sicca potentia esset, vt quod contangeret, non humectaret, sed siccius redderet, in dissectis hydropicis viscera, quæ in ea innatarunt veluti computrefacta, ac flaccida non apparerent, Sed hæc responsiones quemadmodum meo iudicio reprobandę non sunt, ità non omnino quadrant, tùm quià aqua in abdomine contenta, etiam si putrida sit vt ex fætore patet, nonnullas obtinet partes, quæ tanquàm salsæ redditæ. & acrimoniam, & siccitatem possident, tùm quia in dissectis hydropicis ego semper viscera, lienem præsertim & iecur prædura, ac scyrrhosa adinueni, Quoad melancholiam verò à toto spectat, respondeat Auicennæ assecla ille, ipsi Anasarcam supernenire posse, nec obstare, quod illa iecinoris caliditatem, hæc verò frigiditatem insequatur, nàm melancholicus sanguis etiam si caliditate hæpatis producatur, frigidus nihilominus, & siccus est, & adeò vt temporis tractu totum corpus, & hepar ad huiusmodi intemperiem commutet, quo casu plurimum pituitosi sanguinis produci, atq. inde Anasarcam hydropem fieri posse non negandum, nam à frigiditate, & siccitate non melancholicum humorem, sed pituitosum gigni pluries

testatus est Galenus, Hæc responsio verissima est, sed patiens melancholiam, præterquamquod huiusmodi hydrope mediante difficulter à priori morbo euaderet, in proximam mortem incideret, nequaquàm sanitatem recuperaret; Hippocrates autem, & cum eo Galenus dùm dicunt melancholiam ab hydrope solui, intelligunt quoquè & hydropem istum faciè decedere, alioqnin hoc non posset appellari bonum vti appellat Hippocrates, imo malum esset appellandum, quare neq. de hydrope, qui hoc pacto producitur intelligendus erit Auicennas; Quod autem à pituita melancholicus sanguis non humectetur, quià à plurimo sero, quod commixtum habet, non humectatur, respondeat iste pro Auicenna non esse parem rationem, nàm omne serum sui ipsius humoris qualitates obtinet, & idcirco melancholicum serum cum frigidum. & siccum potentia sit, quomodo humectet? Item & argumento desumpto à pituita melancholico humori commixta in essentiali, melancholia respondeat, pituitam illam non esse in tanta copia, quæ melancholici humoris siccitatem obtundere queat, quod inde cognoscitur, quià in melancholicis illis sicca adhuc cerebri intemperies remanet cum vigiliis, aliisq. symptomatibus siccitatem insequentibus; Ad id tandem, quod de serosa materia hydropis Ascitis dictum fuit & ipse concedat eam non posse totius corporis, neq. cerebri melancholicum sanguinem humectare, cum ipsum in abdominis cauo conclusa non contangat, sed hoc per proprios vapores efficere posse non repugnare dixerit, nec quod ipsi ad os ventriculi supernum delati sitim inducant, indeq. calidi, & sicci sint, eum amoueant, quandoquidem ad cerebrum sui natura frigidius delati accidentalem illam, quam ex putredine, atq. incalescientia serosæ materiæ, caliditatem, leuemq. siccitatem contraxerunt, deponunt, in aquamq. reuersi suæ naturæ proprias frigiditatem, atq. humiditatem retinent, hincq quod contangunt humectare possunt; Hæc tamen non me ad Auicennæ sententiam amplexandam impellunt, de Anasarca .n. & Ascite, ac illis hydropis speciebus intelligenda sunt, quę hæpate languidior reddito ac labefactato fiunt, nos autem de ea hydropis specie intelligimus, sub qua hæpar nullam, vel paruam recipit noxam, vt mox ostendetur; præterea quomodo Auicennam tueri possumus, si melancholicus humor non siccitate, sed nigredine melancholiam parit? quantumlibet humectes ipsum, nisi nigredinem tollas, hic semper melancholiam producet, Rectius meo iudicio sensit Galenus, dum in materiæ transpositionem à capite ad subiectas partes, nimirum ad abdominis cauitatem detrusa producitur, nàm vt scribit Hercules Saxonia grauissimus author in suarum Prælect. parte 2. cap 27. interdùm fit hydrops à materia purulenta, interdum à sanguinea, & interdum ex colliquatione humorum in venis existentium subitaneos hydropum status in-

duci docuit Galenus lib. 3. de sympt. caus. cap. 2. ad calcem. Tandem hydropem de quo loquimur fieri à materia melancholica à cerebro ad abdominis cauitatem translata testatur Iacobus Hollerius in commento aphorismi iam cit: cuius hæc propria sunt verba, " Iam per aquam inter cutem verisimile est, quod hoc loco intelligitur non ea quæ fit magno vitiò hæpatis, sed à materia illa translata à cerebro ad ventrem, & hæpar, quæ cum robusta sunt eam transmittunt ad spatium interceptum inter peritonæum, & intestina, vbi fit hydrops, non quod a materia afficiat hæpar, vt volunt nonnulli.

An quemadmodùm mentis alienatio furorem soluit, ita & melancholiam soluere possit?
Cap. XXIII.

A Mentis alienatione, quę vocatur ἐκστασις furorem solui scripsit Hippocrates 7. lib. aph. 5. Galenus verò in commento ait tantùm abesse, vt mentis alienatio sit furoris solutio, quinquispiam potius dicat esse incrementum, at profectò (subdit) si modò re vera Hippocrates continuum, atq. vehementem furorem alienationem mentis nominauit, quendam nouimus à furore meeri, quo prius detinebatur fuisse liberatum, vnde ratiocinando perpendimus ex vehementi motu causarum efficientium furorem solutionem fuisse subsequutam, quemadmodum in morbis acutis vehementissimi casus solent aliquando bonas crises operari, & hinc obiter per continuum furorem à Galeno dictum, non assiduum, sed momentaneum interpretari debemus, ἐκστασις .i. insaniam non diù perseuerantem importat, vnde definiunt eam ὀλιγοχρόνιον μανίαν, & Galenus seù quis quis fuerit author definitionum medicarum, in calce illius libri ait, ecstasim esse insaniam, quæ breui finitur; Galenum sequuti sunt Neoterici Scriptores, hinc Hollerius in commento ad citatum Hippocratis aphorismū dixit, quod hoc loco mentis alienatio, seù ecstasis dicitur mania illa temporaria & maxima, quæ solet moueri in perturbatione critica, quæ vocatur etiā ἐκμανία. Hæc ergo mentis alienatio bona est, quià natura materiam illam maniæ in cerebro contentam vehementiùs commouet vt criticè vt excernat. & Franciscus Valesius in cōmento ad eundē aphorismū hæc profert, " Mentis alienatio maxima m, cum vehementer mouetur atra bilis cui motui succedere solet hac, fit illac euacuatio, non aliter ac alii morbi, cum iudicantur, ingrauescere videntur, deindè soluuntur succedente euacuatione. His ità ex habitis videndum est, an maxima ista mentis alienatione seù sumpto furore superueniente possit melancholia solui, sed antequam hoc aggrediamur, duo essent notis percurrenda, & primùm, An chronici

alci morbi, & per consequens Melancholia, per crisim quę cum excretione materiæ fit, terminentur à natura; Alterum, An mania mentis alienatione, seu ecstasi superueniente criticè soluatur; de priori inferiùs agetur, Quoad alterum verò spectat, hoc maximè innuere videntur Valesius, ac Hollerius, hic .n. in perturbatione critica, ecstasim fieri scribit, quæ perturbatio critica nihil aliud est, quam expulsio morbificæ materiæ, ille verò tunc mentis alienationem maximā fieri scribit, cū vehementer mouetur atra bilis, cui motui succedere solet, aut hac, aut illac euacuatio, quæ certe euacuatio, aut erit per venas narium, aut per hæmorroidas, aut per varices aut per alui fluxum, omnibus .n. hisce modis, & maniam, & melancholiam sanari posse pluries, apud Hippocratem, & Galenum obseruamus; Alia tamen ex parte Galenus in mania, quæ soluatur ecstasi superueniente, nullius ex recensitis euacuationibus meminit, imò dum à se factam obseruationem recenset, ait se perpendisse ex vehementi motu causarum efficientium furorem, solutionem fuisse subsequutam, & solutionem non iudicationem, seu crisim subsequtam esse scribit, quare per insensibilem resolutionem solutam tunc fuisse maniam aperte videmus, apud Galenum .n. tunc soluuntur morbi, vbi insensibiliter euanescunt, tunc vero iudicantur, vbi critica aliqua euacuatio succedit, sed & Hippocrates præter plures euacuationis modos, quibus mania finiri potest, ecstasim recenset, vnde si aliquo euacuationis modo solueretur mania ecstasi superueniente, illum certè non prætermisisset, sed vtroq. modo rem ipsam contingere posse arbitramur, nihil .n. impedit; quod in excessu furoris crises etiam subsequi possint, imò eo temporis calefactis magis, ac proinde attenuatis humoribus facilius contingere posse existimandum est, sed videamus modo, an melancholia ecstasi superueniente soluatur, & re vera melancholia fit ab humore frigido & sicco, qui suapte natura expultricem facultatem ad sui concitatam, ac vehementem expulsionem irritare non solet, ergo ab eo non producetur illa mentis alienatio summa, quæ melancholiam soluere possit, si tunc summa mentis alienatio, & furor excedēs producitur, vbi atra bilis vehementer agitatur; quemadmodum & Valesius, & Hollerius tradiderunt, præterea siue incalesceret iste melancholicus humor siue aduretur, ità vt impetuoso, ac turgenti motu exagitaretur, certissimum esset, quod furorem produceret, & proinde sæuiorem morbum, quam esset melancholia, incertum autem foret an naturam ad crisim efficiendam impelleret, nam rationi magis consonum est, vt ii vincantur humores à natura, qui mitiori qualitate sunt præditi, quam qui sæuiori, imo quemadmodum in illis edomandis natura victoriam sępè obtinet, ita ab his, vt plurimum suffocatur, ac succumbit, nec mirum est, nam vt ait Galenus in commento ad 56.
aphoris.

aphoris.sect.6.ad furoris generationem humor irritans, mordens exigitur, qualis semper est flaua bilis, melancholicus autem humor nō semper, sed cum supra modum exustus, aut putrefactus malignam induerit qualitatem, & idcirco in praxi semper procurant medici, ne melancholia in maniam degeneret, imò hanc degenerationem pertimescentes, ipsi omni conatu, ac generosioribus remediis obuiam eūt Hinc periculosas esse permutationes in melancholicis ipsis scripsit Altimarus, cum vel conuulsionem, vel cæcitatem, vel furorem significent, vt innuit Hippocrates 6. aph.56. & ex mente Galeni, tandem constat melancholiam confestim curandam esse, quia cum fiat à melancholico succo, hic si non prius euacuetur, paulo post atra bilis futura est in 6 aph. comm. 53. quare & furorem efficiet, Si igitur à mania solueretur melancholia, certè mania seù magna illa mentis alenatio non prohibenda, sed procuranda foret à Medicis, at cum in melancholia contrarium fieri obseruemus, tantum abest, vt sequius delirium melancholiæ superueniens bonum signum existimandum sit, quin potius malum, ac perniciosum! Alia vero ex parte & melancholiam superueniente furore finiri posse ratione comprobatur, nam si melancholia fiat ab humore frigido ac, crasso & ipsi cerebri intemperies frigida coniungatur, proculdubio superueniente mania interdum salus sperari poterit, nam frigidus, ac crassus humor attenuabitur, ac frigida cerebri intemperies emendabitur, præterea si mania ab ingenti mentis alienatione curatur interdum, vt Hippocrates asserit, & Galenus obseruauit, cur non & melancholia curari poterit, cum vterq.sit affinis affectus? Quid ergo tandem in hac re decernendum? Certè naturæ vis qualibet arte potentior est, nec quomodo agat, ab humano ingenio semper inueniri potest, hoc satis sit nobis non ignorare, naturam semper materiebus morbificis expellendis viam inuenire, quam sententiam habuisse Hippocratem nobis testatus est Galenus in 7. aph. comm. 54. Quare mirum non est, si nonnulla fiant à natura, quæ ars moliri non potest, & si possit non debeat, ex. gr. qui à conuulsione, aut distentione neruorum tenetur febre superueniente liberatur teste Hippocrate lib.4. aph. 57., sed medicus in conuulsione etiam si posset excitare febrem, hanc tamen excitare non debeat, non .n. ille febrili calori determinatum gradum nequaquàm prætergrediendum possit præscribere, quem tamen natura præscribet; pari ratione natura potest etiam si stimulata à morbifica materia, magnam mentis alienationem inducere mediante concitato humorum motu in cerebro, & eorumdem excalefactione, quam mentis alienationem medicus inducere non potest, & si possit (extant n. plura, quæ insanire ac dementare efficiunt) neutiquam debet, quandoquidem ex ea salutem eliciet natura, medicus autem perniciem, & ægrotantis mortem

acce-

accelerabit, & ob id in hiſce caſibus ab iis medicus cauet, quę interdùm natura prouida nonabſq. vtilitate molitur. Hoc etiam addendū ſeu potius repetendum eſt,nimirum non ſemper ex maioris mentis alienatione ſuperueniente ſalutem procedere,ſed aliquando, non .n.ſēper, vt Galenus inquit in acutis morbis vehementiſſimi caſus bonas criſes operantur, ſed aliquando ; Hinc igitur coniectare poſſumus melancholicum ſuccum, qui melancholiam producit, & calefieri& agitari poſſe, & eò vſq. quo maior mentis alienatio proueniat, & cum maiori alienatione ſolutio, prout quantitas, & qualitas prædicti ſucci euinci, & edomari poterit à natura, ita vt non vtplurimum, ſed vt raro,& non exſe, ſed ex accidenti contingere poſſit in ęgro robuſtarū virium, quod maxima mentis alienatio, ſeù ſubitus, ac ingens furor melancholiam ſoluat, nimirum quatenùs melancholicus humor exuſtionem adeptus, vel facile à natura conſumitur, ac diſſipatur , vel eamdem naturam robuſtam ad ſuimet omnimodam expulſionē irritat.

Verùm hāc opinionem nobilis ac excellentiſſimus vir Sebaſtianus Piſſinius validis, iiſq. doctiſſimis rationibus refellit, & primò αδύνατον eſſe videtur (inquit) quod ſuppono,nàm ſi ecſtaſis eſt intenſus furor, non poteſt melancholię ſuperuenire, niſi prius melancholia in furorē verſa ſit, quare ecſtaſis furorem ſoluet, non melancholiam, quæ tunc non adeſt, Reſpondetur ecſtaſim eo nomine hucuſq. acceptam, quo Galenus & alii ſupracitati authores intellexerunt , nihil aliud eſſe niſi furoris exceſſum, ſed eum repentè factum, ac momentaneum, quare non erit neceſſe vt prius mania, deinde furor iſte excedens producatur, nàm ſuccus in cerebro melancholiam efficiens,vel paulatim incaleſcere poteſt, vt quando diutius detentus, néc ventilatus calidā contrahit qualitatem, & efferueſcentiam,vel ob alterius humoris admixtionem, nempè bilis, vel præcalidæ feroſę materiæ,quarum vtraq. in cerebrum repente irruat, ſi primo modo certè ſenſim manifeſtabitur maniacum delirium, quod procedente tempore, & augeſcente calore in ingentius excreſcet ſed ſi poſtremo ſtatim ingentius ſeſe prodat ; nec dicat aliquis ad extremum perueniri non poſſe niſi priùs per media tranſitus fiat , ita vt melancholia in exceſſum furoris commutari non poſſit , niſi prius in maniam commigret , nam in mutationibus momentaneis hoc tantum ope intellectus, ſenſu nequaquam aſſequemur, quapropter medicus , qui eſt artifex ſenſatus,re vera fateri poſſit,non eſſe αδύνατον quodinterdū melācholia in excedentem furorem conuerti poſſit,nullo antea ad ſenſum apparente mitiori furore, quem maniam appellamus . His ità ſe habētibus corruit ſecūda ratio,in qua ita ratiocinabatur vir doctiſſimus Sit aliquis, qui melancholia laboret , hęc vel medici incuria , vel morbo procedente ſponte in maniam terminetur,poſt hanc ſuperueniat ecſtaſis, quæ furorem ſoluat, remanebit ne melancholia ? neque

hac

hac ratione (subdit ille) censuerim melancholiam curatum iri, nam per tot affectus male vexatum cerebrum, necessarium est, vt quotidie debilius efficiatur, & excreta calidioris humoris portione frigiditatē ac siccitatem in cerebro, aut frigiditatem saltem remanere conueniēs est, quæ melancholiæ comes esse consueuit. Hic duo animaduertenda veniunt, & primo melancholiam, & maniam ex iis affectionibus esse, quarum morbifica materia vt dicebat Hippocrates in mentem non in corpus repit itá vt interdum cerebri substantia vel minimum, aut satis parum lædatur, sed animales spiritus sunt ii, qui noxam omnino recipiunt, & proinde mirum non sit, si sę pius hi morbi sint impedimento potius ad benè viuendum, quam ad viuendum, hinc Alexander lib. 2. problemm. 28. hoc problemma exagitauit, " Cur homines melancholici, munera quidem naturæ exequi valeant, quippè qui cibos concoquant, atque in sanguinem vertant, animi nullum munus integre exequi queant? sed hoc certè eo magis continget it, quo momentaneę erunt affectiones, qualis est ecstasis, quod autem cerebrum in hisce affectionibus aliquando non adeo grauiter offendatur, innumeræ melancholicorum historiæ nos certiores faciunt, nam si ille, qui se caput non habere putabat solo pileo plumbeo imposito, & mulier quæ se serpentem in proprio ventre gestare imaginabatur, perspecta vipera, quæ clàm in vase posita fuerat, pristinæ sanitati sūt restituti, hæc sane remediorum genera non cerebri dyscrasias emendāt non illius peruersum temperamentum restituunt, nec tandem eius imbecillitati medentur; Secundò ea verba perpendenda sunt, videlicet, & excreta calidioris humoris portione frigiditatem, ac siccitatem in cerebro, aut frigiditatem saltem remanere conueniens est, quæ melá cholię comes esse consueuit, nam per hanc excretam materiam nos intelligere debemus, aut per euacuationem à natura factam per sensibiles vias, aut per dissipat onem, & insensibilem resolutionē, si priori modo materiam excerni quis intelligat, nihil obstat, dum natura robusta sit, quin etiam simul crassa materia excernatur, sic pluries insaniæ, & melancholię præsertim, quę penitus ex crasso fæculentoque succo fiunt perfectè sublatæ fuerunt, tùm per morbifici humoris excretionem è naribus, tùm ex hęmorroidalibus venis, si altero vero modo intelligamus, quis neget melancholicum etiam humorem à natura insensibiliter resolui posse, & pręsertim si illum quantitate paucum, &, à bile, vel serosa humiditate admixtis attenuatum consideremus? & quod sincerus non sit in repentina ecstasi, rationi valde consentaneum est vti, iam diximus, quod verò paucus esse possit neq. hoc negandum est, si quidem ad excitandam melanch oliam morbum sufficit illius nigredo animalibus spiritibus impertita. hinc si prędicti spiritus ad eam caliginem suscipiendam sint dispositi, non est necesse, vt semper magna

gna copia isti us succi cerebrum scateat, etiam in melancholia essentiali, de hac .n. in præsentia sermo est, quocirca non ab re superiùs conclusum fuit, ecstasi superueniente melancholia solu posse pro vt quantitas, & qualitas prædicti succi à natura euinci, & edomari poterit, quoquidem in casu, & quantitate paucus, & qualitate tenuior redditus fuerit; Supposito igitur quod nòn semper humor melanchòliam valeat inducere, non erit necesse vt in ea cerebro contingat, quod aliquando in phrenitide euenit, & quod tertio adducebatur nimirum cerebrum affici instar lunæ, quę ab infectoribus tincturam non ampliùs eluibilem contrahit, quod ex Galeno in 1. Prorrhet. comm. 1 part. 33. in hæctica phrænitide euenit. prætereà ob diuersum modum quo afficitur cerebrum in melancholia & in prænitide, nequit subsistere allata consequentia, omnes .n. sciunt, & fatentur phrænitidem esse cum inflammatione cerebri, ac membranarum eius, & esse morbum in aucta magnitudine, ita vt non solum substantiam cerebri irriget, morbificus humor, sed internas eiusdem particulas subeat, in ipsisque figatur, quod in melancholia nullo modo fit, imò vt diximus non raró melancholiam efficiens humor cerebri substantiæ nullam, aut saltem paruam noxam affert, Sed prosequitur vir doctissimus ità ratiocinari. Si ecstasis superueniat melancholia incipiente, rationi consonum est, vt solui possit melancholia. at raró dabitur melancholiam à principio in furorem commutari, atque inde in ecstasim. sed sępissimè, aut quod magis arbitror semper, quando in furorem vertitur, iam contraxit habitum. hęc opinio meo iudicio non raró fit fallax, nàm cum certum sit melancholiæ eos esse subiectos, qui hirsuti, macri, & præcalidiori sunt temperatura, quid obstat, quin in his præter fæculentum, ac melancholicum succum non generetur quoque biliosi humores qui non secus àc ille in cerebrum ad suscipiendum aptum redditum rapiantur? hinc sępiùs, hosce affectus commixtos videas, prætereà ex Galeno constat in 6. aph. comm. 53. melancholiam confestim curandam esse, quià cum fiat, à melancholico succo, hic si non priùs euacuetur, paulo post atra bilis futura est, & ab hàc tum furor, tum ecstasis excitari potest, sed si paulo post, non ergo semper progressa melancholia, & habitum iam contracta in furorem & ecstasim commutetur; imo hæc difficilius in furorem vertatur, quàm melancholia recens, & ratio est, quia in melancholia iam protracta, & consumata totius corporis temperamentum ad frigidum & siccum vergit, quo stante non facile superexcalefiunt humores, qui furorem inferāt, hinc Galenus in arte medicinali c. 9. dum corpus calidum, & siccum euadit frigidum, & siccum, melancholiam dominari scripsit; Postremo vir doctissimus nostram quamdam rationem ità redarguit,, ab intemperie calida, quæ per furoris excessum in cerebro concitatur si

Ee modo

modo calida sit intemperies, & non potius materia (nos calidam intemperiem cum materia subaudiri volumus, nec negamus huiusmodi intemperiem momentaneam statim euanescere posse dissipata ac soluta materia, quam etiam intemperiem in fieri non in facto esse appellare possumus) ab ea inquam nullo pacto cerebri intemperies frigida quæ adesse videtur in melancholia corrigi valeat, atq. ad symmetriam reduci, sed inæqualem potius intemperiem gigni, omnesq. cerebri functiones euerti assueuerat; Hic duo supponam, vnum iã sępius decantatum, nimirum non semper in melancholia eam cerebri intemperiem fieri, quæ summa sit, & valdè cerebri substantię officiat, sed nõ rarò paruam esse, & quę nihil vel parum illud offendat, quod vti dictum fuit ex pluribus melancholicorum historiis, commonstrari potest. Alterum est, quod duplex est statuenda frigida intẽperies, altera positiua, altera verò priuatiua, priuatiua est, vbi cerebri innatum calidum sui iacturam patitur, & hęc tùm cum calida, tùm cum frigida positiuis intemperiebus coniungi potest, quandoquidẽ hæc extinguit, illa autem absumit innatum calidum, & hæc est illa, quæ ab intẽperie calida superueniente nequaquàm corrigi potest, imò tùnc cerebrum maiores ęrumnas patietur, positiua verò frigida intemperies nisi eò excreuerit, vt priuatiuam etiam introducat facili negotio, ã superueniente siue calida intemperie, siue calida materia auferri potest, atq. corrigi non secus ac frigefactę manus, vel gelidi pedes, si igni admoueantur, calefiunt, & ad symmetriam proprii caloris reducuntur: Cæterum vt huius rei veritas adhùc magis indagari possit, & simul tanti viri doctrina magis elucescat, placuit hic adnectere traditam ab eodem Excellentissimo Pissinio interpretationem supracitati aphorismi, ex qua plurimum lucrabor, cum .n. hoc optimum in præsenti opere contineatur, nihil boni in eodem contineri nullus proferre audeat.

Perill. atq. Excellentissimi Domini Sebastiani Pissinij In Aphorismum V. sectionis 7. explicatio.

Cap. XXIIII.

FVrori quẽ Greci *μανίαν* vocant si *ἐκστασις* superueniat bonũ esse scribit Hippocrates; quippè furorem soluit. Haud me fugit Valesium, Hollesium, Fuchsium, cæterosq. modernos, immò & Philotheum, inter priscos Galenum sequutos pro ecstasi quẽmdam furoris excessum interpretari, vt exagitatus tandẽ humor, qui maniam excitabat motu quodã veluti critico mox excernatur, atque ita desinat affectio. Hunc porrò furoris excessum, idest *ἐκστασιν ἐξυχεῖσαν μανίαν* appellant Aureliani Methodici, vel fortè etiã ipsius Galeni authoritate permoti, qui sub finem libri medicarum defi-

definitionum breuis temporis insaniam esse illam statuit, sed à Galeni lucubrationibus librum medicarum definitionum quoquot in Galeni doctrina versati sunt penitus seiunxerunt, præterquamquod quę sub illius libri finem de ecstasi conscribuntur, quis adiectitia esse non animaduertit? Osteologia ibi traditur, nec vllus ordo, cuius tamen author, ille quis quis fuerit obseruantissimus existit, vllo modo patitur vt ibidem ἔκστασις, & ἔκπληξις definiatur, Attamen Galenus videtur hærere inscius an Hippocrates ἔκστασιν nominauerit πολλαχῆ μανίαν καὶ σφοδράν idest, crebram, vehementemq. maniam, nec tamen continuam, vt Leonicenus, & Rasarius transtulerunt. Fortè horum virorum authoritate Cęlius Rhodiginus persuasus ἔκστασιν esse scripsit ὁλοχρόνιον μανίαν, idest perpetem insaniam, non ὀλιγοχρόνιον, idest momentaneam. Iam cũ Galenus hęc subiungat, (si re vera Hippocrates per ecstasim intelligi voluit crebram, vehementemq. maniam) profectò nobis ansam porrigere videtur, vt ad Hippocratis mentem noua excogitata interpretatione proprius accedamus, neque .n. possumus hoc loco doctissimorum virorum, quorum prius mentionem fecimus sententię subscribere, scilicet in perturbatione quam concitari sibi persuaserunt in ecstasi aliquam contingere euacuationem, quin cum sępè sæpiùs maniaci sub lunæ cum sole congressum, vel oppositionem vehemẽtissimè in furorẽ agi videantur, nec vlla inde sequatur excretio, vel affectionis solutio, aliter Hippocratis sententiam exponendam esse existimauimus, cum itaq. mania dupliciter terminari possit, & per humoris maniam efficientis, excretionem, & per alterius morbi superuentum. De excretione iam sermonem habuit Hippocrates aphorismo 21. sectionis 6. vbi maniam solui scripsit varicibus, aut hæmorroidibus superuenientibus, quamquam Galenus eo loci per μανίαν nihil aliud intelligere Hippocrates affirmat, quam melancholiam, alibi tamen scripsit omnes homines vti verbo μαίνεσθαι de iis, qui sine febre insaniunt; At in presenti aphorismo de solutione maniæ loquitur, quæ fit alterius morbi superuentu. Verùm cum Hippocrates nusquam quod ego sciam ecstasis significationem tradiderit diuinandum nobis erit vt dubiò procul in huius aphorismi expositione, & ipse Galenus fecit, quod aperte fatetur, quid sibi voluerit Hippocrates. Hoc autem sibi velle videtur, docere inquam, bonum esse, si humores maniam facientes, à cerebro ad alias partes transferantur, quamuis in aliis partibus morbos excitent, at quoniam per morbos postremò excitatos, non numquàm natura affluentes excernit humores, qui priorem morbum efficiebant, atq. hæc in primis optabilior est morbi solutio, si superuenientem morbum fieri necesse sit, idcirco traditur, qui morbi maniam soluant, primo loco dysenterię meminit; Deinceps eius expulsionis mentionem fecit per quam à cerebro in partem longè dissitam, nec tamen extra corpus detruduntur humores, hydrope scilicet superueniente; Reliquum igitur erat, vt tertia

quædam expulsionis species adderetur, per quam licet nec extra corpus, nec longè à parte affecta peccans humor expellitur, in proximas tamen deriuatur, atq. hac ratione cerebro laboranti auxiliatur. De hac postrema furoris solutione loquutum esse Hippocratem in hoc aphorismo censemus, ac nihil aliud significare voluisse per ecstasim superuenientem, nisi materiam efficientem maniā, idest cerebri substātiam occupantem in proximas cauitates effundi, vnde commutato morbo furor soluatur, ita vt existimandùm sit Hippocratem per ecstasim morbum aliquem vicinarum cerebri partium intelligere per quē soluatur mania. Siue autem morbum, siue aliquod accidens præter naturam dixero parum refert, nàm neq. Hippocrates, cuius dictionē interpretamur, de hac re valdè sollicitus fuit. In hanc ire sententiam ferè coactus sū ob varias ecstasis significationes, quas apud Aristotelem inuenio, que præter illam cuius Galenus meminit, adeò Hippocratis menti videntur accomodari, vt his potiùs sit quiescendum. Aristoteles itaq. 30. problemmatum sectione ἐκστατ aliquando fieri scribit à bile super excalefacta, vt quis optimo iure tùnc nihil aliud intelligere debeat, nisi furorem, vel furoris excessum. Est tamen aliquando ἐκστάσις apud eundem quaudam mentis alienationem significet, per quam tamen haud ità animi functiones vitientur, vt in furoris excessu, sed potius excellentiori, quodam modo perficiantur quomodo ipse Aristoteles eodē loco ostendit Maraci Syracusani Poetæ exemplo, qui præstantior erat ὅτ᾽ ἐκσταίη, idest quando alienaretur Sed & quādam mentis alienationem, licet non exactam cum taciturnitate fieri subiungit, eosq. qui ita afficiuntur ἐκστατικοὺς appellat, quam quidem affectionem ex perfrigerata bile oriri probabile maximè est, ab ea inqnam quæ prius superexcalefacta maniam gignebat, ac furoris excessum. Prçter has ecstasis significationes morbum pueroru m, quem epilepsiam esse certum est, τῆς ἐκστάσεως appellatione cōprehendi voluit, siue quod consueuerant antiquiores hunc morbum ecstasim appellare, siuè quoniam in epilepsia, non secus ac in ecstasi quedā mentis alienatio fieri videretur. His addere, placet quę apud Scaligerum exercitatione 312. aduersus Cardanum alias, legisse meminini, Stupor inquit si validius in cumbat, ac diuturnius insideat Ecstasis dicitur, à Græcis, à nostratibus excessus, est autem priuatio officiorum animç sentientis, mouentis, & intelligentis Ex his ecstasis significationibus duæ desumi possunt quę in rem præsentem maximè facere videntur, Altera est mentis illa imperfecta emotio, quç cum taciturnitate fit, & quæ si validior fit ad Scaligeri stuporem reducēda esse videtur, quç etiam quodammodo vt mihi videtur ζφοδρα quędam ἐκπληξις vocari posset, quanquam non extrinsecus adueniens, vt quā propriè ἐκπληξιν nominant. Hic vero stupor cum dupliciter, fieri possit, & ratione frigiditatis, quippè tunc in proximas cerebro partes humor excernitur, vbi concoctus, ac domitus fuerit, quo quidem tempore

pore furori gignendo non est amplius idoneus, sed frigidiorem aliquē morbum procreare tantùm potest, & ratione compressionis, quippè idem humor neruorum exortus solo pondere comprimendo stuporem intensum gignere valet, vtraq. ratione si hæc furore idest mania percitis eueniant, furor solui videtur. Altera ecstasis significatio est, vt per illam comitialis morbus intelligatur, atq. hoc in primis Hippocraticæ doctrinæ consentaneum est, si quidem Hippocrates 6. de morb. vulg. sub finem docuit facillimè ex melancholia (quę adeò maniæ affinis est, vt nihil aliud esse videatur, Aretæo teste, quàm maniç principium) morbum comitialem fieri, & ex morbo comitiali melancholiam. Nàm si in cerebri corpus infirmitas vergit, morbus comitialis hominem corripit, si in mentem melancholicus efficitur. Aut potius dicendum est etiam Scaligeri ecstasim esse morbi comitialis speciem, si quidem cum duæ sint eius species, altera quę diuerso raptu, vt Cęlii Aureliani verbis vtar, corpus afficit, altera, quæ somno simillis altissimo videtur, nihil obstat quin omnibus animę functionibus penè abolitis, talis quędam in cerebro exorta sit affectio. Hec habui, quæ pro huius difficillimi aphorismi explanatione in medium afferrem, quæ tamen doctissimorum, inter quos te iamdudum esse noui, iudicio decernēda relinquo.

Nonnulla circa superiorem explicationem doctissimi Pissinij ab authore habita. Cap. XXV.



NOn possum non admirari, vt semper soleo, Vir Excellentissime præclaram, summamq. tui doctrinam dùm propriam sententiam, pluribus iisque firmis rationibus, elegantissimoque dicendi genere describis, nihilominùs cū vnicuiq. liberum sit speculari, & ex speculatione elicitos conceptus exprimere, & ego crassa quidem minerua, sed quàm breuissimè quicquid de proposito aphorismo senserim subnectam, numquam contradicendi, sed semper veritatis indagandæ cupidus. Profectò per hanc vocem *ἔκστασις* plura intelligi apud varios authores apertissimum est, prętereà & Hippocratem in hoc aphorismo de maniæ solutione (vt optimè adnotasti) per alterius morbi superuentum agere non dubitarē si quidem dysenteria, & hydrope superuenientibus maniæ bonum esse tradidit, quemadmodum, & eidem maniç ecstasi superueniente bonum esse tradidit, sed quid re vera per ecstasim intelligat Hippocrates, hoc erit. in quo forte a tua sententia discrepabo. Verùm antequā ad illius vocis interpretationem iterum accedam (namq. superiùs me cum Galeno sentire iam declaraui) vnum tanquam ratum supponā nimirum, Hippocrate pluribus in locis anteà patefecisse frequentiores solutionis modos, per quos desipientię, insanię maniæ, nec non & melancholiæ finiuntur, dummodò hos morbos per hæmorroidas, per varices, per sanguinis profusiones è naribus finiri asseruit, quemadmodùm

dùm re vera frequentiùs terminari apud medicinę scriptores quilibet adinueniat; Contrarium modo in hoc aphorismo agit Hippocrates, si quidem non rariores dicam, sed rarissimos tradit modos, per quos prædicti affectus, seù potius mania finiatur, quis.n.nostri hác terminari vidit dysenteria vel hidrope superuenientibus? imò quis hoc apud authores visum, aut obseruatum fuisse à Medicis perlegit? Ego nequaquam hucusq; & quod de his dictum est, idem de ecstasi dictum volo; hoc iacto fundamento facillima patet responsio ad argumentũ, quod affers de maniacis, qui sub lunę cum sole congressum, vel oppositionẽ vehementissimè in furorem aguntur, nec tamen à morbo liberi euadũt Amplius non mihi necessariò ponenda videtur conclusio, quamuis artificiosissima, et tanto ingenio digna, quam deducis iis verbis, Reliquum igitur erat, vt tertia quędam expulsionis species adderetur &c. nam si materia ista posset absumi absq; eo, quod ad vicinas partes detruderetur, quidnam indè inconueniens? à bile, nec non ab eiusdem ichoribus cerebrum occupantibus maniam excitari posse, nullus inficias ibit, imò & ab his, vel quantitate paucis eamdem fieri posse non negabit, cum maximæ actiuitatis sint, modo quid obstat, quod tenues ichores, & quantitate pauci, dùm magis agitantur, magisq; incalescũt, in vapores dissolui possint, atq; ità morbum, quem nuper ex maiori concepto incendio augebant tandem in flatus, seù vapores faciles dissipatu conuersi finirent? Tandem ex variis ecstasis significationibus duas desumis, quæ in rem præsentem maximè facere tibi videntur; Altera est illa mentis imperfecta emotio, quæ cum taciturnitate fit, & quę si validior sit ad Scaligeri stuporem reducẽdam esse censes &c. Altera est, vt per illam Epilepsia, seù morbus comitialis intelligatur, quod in primis Hippocraticę doctrinę consentaneum esse monstrare intendis. Cæterum quoad hanc extremam ecstasis significationem attinet, eam nullo pacto rei, de qua agitur, accommodari posse existimo, quandoquidem, inextricabiles difficultates inde exoriri video, & primò, quia vt iàm tactum fuit necesse, est vt seruetur illa Hippocratis conditio, nempè quod bonum sit, mòdo si maniç superueniret, comitialis morbus esset ne bonum? nequaquam certè, sed exitiale, ac perniciosum valdè, Hinc Hippocrates in Epidemiis dum dixit ex melancholia comitialem fieri, numquàm addidit bonum esse, nec dicat aliquis, ergo neq; bonum sit dysenteriam, & hydropem maniæ superuenire, quoniã Hippocrati dysenteria quę maniæ superuenit, non est, quæ à bile flaua vel atra intestinorum tunicas exulcerante fit, cum hæc valdè lethalis sit, & periculo plena, item nec verus hydrops est, cum in hoc hepatis perfrigeratio, ac lesio magna reperiatur, nec facilis curatu sit, longissimus morbus, atq; vt plurimum quoq; lethalis, vnde eos affectus quasdam potius hydropis, ac dysenterię nothas species esse apud Galenum, et alios doctissimos commentatores adinuenias, & hinc omnes vnanimi consensu asserunt, & dysenteriam, & hydropem, quos

morbos

morbos manię superuenire dixit Hippocrates, citò resolui, ac salubrē corporis statum breui succedere, quare bonum dixit Hippocrates, sed si maniæ, aut melancholię, quæ, vt plurimum, in consistenti fiunt ętate, succederet comitialis morbus, hic ne breui finiretur. Hippocrates lib. 5. aph. 7. sic scribit " Quibuscumq. morbi comitiales ante pubertatem fiunt, mutationem habent; Quibuscumq. verò vigintiquinque annos natis fiunt, commoriuntur " Tandem ex Hippocrate & Galeno etiam in 1. Prorrhet. comm. 2. part. 19. hæc habentur " Si in febre aphonię, quæ conuulsino modo fiunt, desinant in eam, quæ cum silentio fit ecstasim, perniciosum. Ex quibus verbis rationabiliter inferri potest, quod Hippocrates per ecstasim numquam comitialem morbum intellexerit, siquidem cum hic totius corporis conuulsiuos motus adiūctos habeat, videretur nugari Hippocrates, & dicere, quod conuulsiui motus in conuulsinos motus transmutarentur, ac desinerent. Tandem cum ab Hippocrate comitialem morbum variis nominibus insigniri videamus, numquam tamen ipsum nomine ecstasis ab eo appellatum fuisse adinuenias, sed & idem de Galeno imò & de omnibus aliis medicinæ scriptoribus affirmare est. Nec quisquam confingat sibi Aristotelem sub ecstasis appellatione comprehendisse morbū puerorum, namq. ad initium problemmatis primi sect. 30. per ecstasim seu mentis motionem puerorum, non comitialem morbum, quo superiori linea Herculem laborasse annuit (vnde sacrum & herculeum ab Hercule eundem morbum prisci nominarunt) sed insaniam, seu furorem potius, vel alium morbum intelligit, nam dùm vult ostendere homines in aliqua re excellentiores, natura melancholicos extitisse, & inter hos alios ità melancholicos extitisse. quod etiam melancholicis morbis infestarentur, subnectit varios melancholicos morbos quibus infestari solebant, quos inter comitialem morbum, mentis alienationē puerorum, & vlcerum eruptionem recenset, Modò si per mentis alienationem morbum puerorum, seu comitialem intelligeremus, sequeretur quod Aristoteles iterum poneret, quod iam posuerat, & idem frustra repeteret, cum tamen ipse tres diuersos morbos, etiam si ab vno melancholico humore contractos proponat, quemadmodum vnicuiq. legenti euidentius patebit, Quoad alteram verò ecstasis interpretationem spectat ad eam scilicet mentis alienationem, quę cum taciturnitate fit, hanc & si quæ alia existimo esse, in quam mania possit definere, quod facilè ac certius ex rei natura coniectare possumus, nam cum statutum sit, maniam à flaua vel atra bile superexcalefactis oriri hi humores si quantitate modici sint, possunt dùm aduruntur, maiori ex parte consumari ac resolui, & eorum quod parum remanet, veluti, in cineres conuerti, qui cineres euanescente calore perfrigerantur, & ex his perfrigeratis, atq. adhuc cerebrum occupantibus facilè procreatur affectio ista, quam mentis alienationem cum taciturnitate appellamus, Hanc autem manię superuenire bonum erit, quandoquidē

paucı

pauci cineres, qui supersunt huius affectionis causæ, breui à natura edomari, ac dissipari possunt, Si vero hi cineres insensibiliter à natura non expurgentur, sed ad vicinas partes expellantur, cum affectum producere poterunt, quem catalepsim, seù catochum appellant, qui simillimus, & affinis prædictæ mentis alienationi extat, & ad quem potius Scaligeri stuporem reducere debeamus, quàm ad comitialē morbum, Cum Scaliger ipse in enarrata stuporis descriptione immediatè hęc verba subiungat, " Immoti manent, ac potius rigent, transfixi non sentiunt, & paucis interpositis addit, oculis apertis manent, quæ propria catochi sunt Si catochus maniæ superueniat, cum breui finiatur, bonum forsan esse dicere possumus, neque .n. ipse, vt comitialis morbus circuitus habet, & vt ab initio diximus, inter eos affectus reponitur, qui rarissimè contingunt. Sed in horum confirmationem preterire nolo, quæ scribit Ludouicus Mercatus tomo. 1. lib. 3. quest. 180. vbi de ecstasi loquens hæc habet, " Ecstasis ergo propria significatio nulla alia, est quam alienatio imaginationis ab omnibus rebus cum detentione in alicuius rei consideratione. Quod profectò accidere sanis hominibus non rarò conspicimus, à quibus sanè trāsfertur ad significandam similem dispositionem, quę in morbis accidit preter voluntatis imperium, nimirum cum cerebrum ratione alicuius morbi in animam vergentis eo deueniat, quod veluti in ecstasi maneat homo detenta, & fixa imaginatione, in vnius tantum rei, aut forsam in nullius consideratione (quod magis arridet) quare cum vi causæ præter naturam non possit aliud facere, redditur veluti amens, ac si prorsus esset ratione orbatus. & similis ei affectioni, quam catalepsim, aut cōgelationem vocant, & paulo inferius inquit" Distinguens à catalepsi quod sensim, & paulatim fiat, & soluatur, catalepsis vero subito, & affatim. Hactenus Mercatus, Quibus addere possumus & catalepsim ecstasis quoque nomine appellari quemadmodum testatur Hieronimus Mercurialis in suis prælect. cap. proprio, Quamobrem si per ecstasim, quam mania commigrat, aliud intelligendum foret ab excessu furoris secundum Hippocratis mentem, ego à proximè dictis affectionibus non recederem. Verùm & ab his recedere cogor cum videam Galenum allata ab eo ęcstasis explicatione constantissimum esse, nec .n. ipse (vt arbitraris vir doctissimè) hærere videtur, hoc ansam porrigit nobis nouam excogitandi interpretationem, dùm ait "Si revera Hippocrates per ecstasim intelligi voluit crebram, vehementeq. maniam, sic .n loquitur non quia hereat, quid per ecstasim intelligere velit Hippocrates, cum toties alibi ex illius mente excedentem insaniam explicauerit, sed quia mirum sibi videtur, quod ex incremento morbi morbus solui debeat, hoc certè rarò euenit, contrarium verò sæpius, nimirum hoc pacto morbi solutio rarò, mors sæpè succedet, hinc dicebat ipse tantum abesse, vt ecstasis sit furoris solutio, quin potiùs quispiam dicat esse incrementum, Quod autem Galenus nō hoc

loci

loci tantũ, sed pluribus in aliis per ecstasim, vel ad Hippocratis mentẽ excedentem insaniam intelligat, audiamus ipsum in. 1. Prorrhet. sup racit. ità loquentem, " Quod idem motus ostendant à ratione alienos exilientes, vel inordinatè conuulsi, hæc desipientiam ipsorum indicant, & si valenter horum affectio excedat, iam non desipientiam simpliciter, sed ecstasim, idest insaniam iure appellamus, & in 1. Prorrehet. comm. 3. part. 6. hęc habet, " ἐξίσταθαι autem quod est ἐκμάνῆτην ζορδρῶς, idest valde desipere eos ait, & si nullum fortis desipientiæ, quam ecstasim vocant, signum effectum fuerit; & tandem in 1. Prorrehet. comm. 1. part. 14. ait, " Melancholicam ecstasim, idest mentis motionem, aberrationemque intelligere oportet, vehementem, & ferinam, quæ irrigante cerebrum a fsata flaua bile oritur, & quæ sequuntur Hęc breuiter dixisse volui, quæ à te oculatius, & intimius perspecta resecentur, vbi superfluunt, augeantur, vbi deficiunt, corrigantur, vbi delinquunt, nihil.n. mihi certius est, quam hæc omnia crimina in his reperiri, & si quid forte non damnandum inest, id à tuo ĩpulsu, seù potius ab amico influxu promanasse agnosco.

An Chronici morbi & per consequens melancholia, per crisim, quæ cum excretione materiæ fit terminentur à natura? Cap. XXVI.

SOli morbi acuti sunt ii, qui per crisim, quæ cum materiæ excretione fit, terminantur, non ergo chronici morbi, vnde Galenus in 4. aph. comm. 36. hæc habet, " Morbi .n. istis diuturniores (scilicet illis, qui intra quadragesimum diem finiuntur) non admodùm solent per sudores iudicari sicuti neq. omnino per excretiones, sed vel per concoctionem, vel per abscessus; & in 1. Progn. cóm. 2. part. 55. Acutos morbos per excretionem potiùs iudicari, diutinos per abscessum scribit idem Galenus, & hic (quamuis obiter) non inepte nos qui de melancholia agimus consequentiã deducere possumus, ergo melancholia, quæ est chronicus morbus, vt plurimùm per abscessum terminari deberet, sed cur hoc apud Hippocratem, & Galenum reperire non facile sit, & rarò, aut potiùs nũquàm obseruetur in praxi, minime prætereundum est, quare ipsi futuram quæstiunculam dicabimus; sed ad rem. Alter extat Galeni locus, qui apertiùs hanc rem decernere, nec ad vtramq. partem (vt potiùs adducti) deflecti posse videtur, talis est 2. de Cris. c. xi. vbi sic „ Crises febrium earum, quæ ex calidis humoribus accẽduntur proprias esse existimandum est, post has earum, quæcumq. membrorum sunt principatum habentium facilè mobiles, & calidę dispositiones. non ergò chronici morbi, (subdat aliquis, per crisim soluantur, & inter hos præsertim, qui sine febre sunt, vnde & eò minus melancholia, quæ & sine febre, est, & frigida passio extat; Ratio Tandem quoque addenda est, quoniam si natura debet

excernere materiam morbificam, necesse, est, vt ex parte ipsius apti tudo ad excretionem adsit, hæc verò adest, vbi materia tenuis, & fluxibilis sit, talis verò non est, quę crassa est, à qua chronici morbi dependent; Hæc tamen omnia quemadmodum vt plurimùm conuincũt, & frequenter eueniunt, non tamen semper veritatem habent, quod clare ex Galeni authoritate adducta in aph. & in Prong. patet, hic.n. dũ scribit,, Acutos morbos potiùs per excretionem, illic verò ,, chronicos non admodùm per sudores iudicari, neq. omninò per excretiones, satis declarat etiam chronicos, quamuis rarò per crisim terminari; Ad authoritatem verò ex 2. de Cris. desumptam, nobis respondendũ erit Galenum imitantibus, qui cum dicat ,, Crises proprias esse febrium ex calidis humoribus accensarum, post has calidarum dispositionum principum partium, & nos illius vestigia insequentes addere possumus, & post has interdùm diuturnarum passionũ, quod Galeno quàm maximè consensit,, dùm de diebus decret. lib. 2. cap. 5. hæc habet, " Inuenias autem alios quoq. ægros hoc sermone iàm mihi citatos, item quos nequaquàm apposui, iudicatos euidenter die vno per excretionem in procedente, diuturnoq. morbo; vel tandèm dicas prędictarum febriũ, & calidarum dispositionum proprias dici crises, quia in ipsi frequenter eueniant, in diuturnis vero affectionibus, quià rarò fiant earum non adeo proprias dici, Tandem ad rationem respondetur duplicis generis esse chronicorum morborum materiam, alteram pituitosam, viscidiam, alteram verò melancholicam, ac crassam, sed minime viscidam, illa nequaquàm ad crisim aptitudinem habet, cũ ipsi & crassities, & viscidítas impedimẽto sint ad facil m excretionẽ hæc etiam si sit crassa, cũ tamẽ viscíditate careat, non omninò ex pulsioni inepta est, imò hęc promptè, ac facilè commoueri solet, ità vt si à natura regatur non difficili negotio crisibus accommodari possit; Non ne dixit Hippocrates 7. aph. 40. si lingua repentè incontinens fiat, aut aliqua pars corporis stupore elangueat, tale melancholicum est? melancholicum dixit, & non pituitosum, quia cum pituitoso hu mori multa, melancholico autem nulla viscíditas extet, hic est aptus repentè moueri, & subitaneos decubitus efficere, qua ratione & ad crises etiam aptitudinem habet; sed quid plura? non ne in melancholia, & mania etiam diuturnis affectibus (& hæc .n. ab atra bile pendere potest) quibus nulla febris est adnexa crises succedere ex Hippocrate & Galeno pluribus in locis tùm per sanguinis effluxum è naribus tùm ab hæmmorroidalibus venis comperimus? quæ sanè crises perfectæ sunt, quia morbum omninò tollunt, Sed non defuerunt studiosi viri, qui excogitauerint in mania, & melancholia sanguinis profusiones ex naribus aut ex hemorroidibus non esse appellandas crises, sed spontaneas euacuationes, & ob id ipsas Galenus, & Hippocrates crises haud nominauerit, oh mirum dictu, non ne omnis perfecta cri-

fiscum materię excretione, quæ morbum soluat, est spontanea euacuatio? ità, sed non omnis (ipsi subdant) spontanea euacuatio est crisis, quod & nos liberè concedimus, sed si ista spontanea euacuatio, quæ à natura rectè operante fit in morbis contingat, cum morbum imminuat, aut omninò tollat, certè critica appellanda erit, ego eas spõtaneas euacuationes non criticas dicerem, quæ non in ægrotantibus, sed in sanis hominibus contingunt, cum in his nullus iudicandus sit morbus & critica euacuatio iudicium sit pugnæ inter naturam & morbum, sed hæc saniori iudicio subiecta volo, Amplius isti propriam opinionem hac ratione confirmant, quià non competant ipsis nonnullæ, prçuiæ conditiones, quas recensuit Galenus in libris de Cris. nimirum coctiones humorum, seù potius signa coctionis humorum in vrinis, dies critici, noxq. molesta crisim præcedens, Quoad primùm respondetur non esse necesse vt semper coctionis signa pateant ex vrinis, & præsertim si morbificus humor in aliqua sola parte resideat, vt exempli gratia in cerebro, quemadmodum in melancholia per essentiam contingit, si verò in vniuerso corpore abundet, tunc nos posse coctionis indicia ex vrinis desumere, sed quæ signa coctionis aderunt, dixerint ipsi? aderit ne sedimentum album, leue, & ęquale? Certè decipiuntur isti dùm putant eos tantùm humores concoqui à natura, qui putrescunt, vt in febribus, nàm, & qui non putrescunt, rectè concoquũtur à natura, dum aut attenuantur si crassi sint, aut calefiunt, si frigidi, & in summa dùm præparantur, disponuntur, ità vt facilè possint à natura per loca conferentia expelli, quare non erit necesse, vt in vrinis melancholia detentorum obseruemus sedimentum prædictum, sed satis euidentia humorum coctionis signa ex eis sumemus, si ipse vrinis sanorum similes sint, Quo ad dies verò criticos spectat, certè hi non attenduntur, in morbis longis, in quibus decretoriorum dierum vis periit, sed horum vice menses, & anni attẽdi possunt, nàm longi morbi mensibus, & annis iudicantur ex Galeno 3. aph. comm. 28. Certè non possumus (fetor) ità exactè crisim præsagire, vt in acutis morbis, quandoquidem hęc in ipsis frequenter cõtingit, in longis verò morbis rarò, & scientia facilius habetur de iis, quæ frequenter, quàm de iis, quæ rarò eueniunt, preterea fieri non potest, vt in longum tempus iudicatio differatur in morbis acutis, quemadmodum scripsit Galenus 2. aph. comm 23. & quæ cito fiunt facilius etiam prænosci possunt; Attamen hæc non efficiunt, vt longis morbis crises per excretionem denegemus, quas & accuratus medicus suis temporibus prænideat, si sint futuræ nec ne, quandoquidem non solùm ipsas nox molesta, pręcedere potest, sed & grauiora quoq. antea possunt excitari symptomata, aliaq. inde consurgere, quæ aut sãguinis profusionem ex narious aut ex hęmorroidibus futuram indicẽt Tandem si non est inconueniens (quod scripsit Excellentissimus vir Iulius Cæsar Claudinus, & felicissimæ recordationis præceptor meus

tractatu de Crif. fect. 3. cap. 2.) in acutis morbis fieri abfceffus, qui magis propriæ funt crifes chronicorum morborũ,fic & in chronicis non eft inconueniens fieri excretiones.quamuis acutorum morborum magis fint propriæ crifes, nam tunc in chronicis quoq morbis (fubdit ipfe) fiunt excretiones, quando adeft facultatis robur, humoris propenfio, & viarum præparatio.

An melancholia per abfceffum foluatur? Cap. XXVII.

NOn ab Hippocrate, non à Galeno traditum fuit vnquàm melancholiam per abfceffum finiri, imò neque hoc ab aliquo claffico medicinę fcriptore, quem ego legerim, obferuatũ effe reperias, quod mihi certè admirationem parit, non.n. rationes defunt,quæ melancholiam per abfceffum finiri poffe fuadeãt. & primo fi chronici morbi plerumque vel per concoctionem, vel per abfceffum terminantur, vti Galenus afferit in 6. aph. comm. 36. nec non in 1. Progn. comm. 2. iam in fuperiori quæftiuncula citatis,& melancholia, quę inter chronicas paffiones reponitur,per abfceffum terminari deberet interdũSecundò fi cerebrum fuperuacaneis humoribus obfceffum fæpe eos ad vicinas poft aures glandes deponit vbi abfceffus parotides appellati procreantur, cur non & id in melancholia, & præ fertim effentiali efficit, in qua atro veluti inebriatur humore? nàm vt ait Galenus 13. meth. c. 5. fuperuacanea à valentioribus partibus in imbecillores propelli proprium eft, hincq. fit vt glandulæ facile fluxiones accipiant,eoque facilius cerebrum pars princeps in prædictas glandulas fe exonerare folet, cum iftæ laxiores fint, vnde etiam vulgò illius emunctoria appellantur, Ampliùs qui abfceffui futuro ad articulos fubiacent, eos ab imminenti abfceffu liberat fanguinis effluxio è naribus Hippocrate, & Galeno teftibus, 4. aph.74. fic& melancholiam fanguinis effluxio è naribus fuftulit, interdùm iifdem teftibus His ita fuppofitis cum in melancholia fæpè obferuemus nullam fieri fanguinis per nares excretionem, cur non interdum fuccedat abfceffus, quemadmodum fuccedet in iis,qui articularibus abfceffibus, fubiacent, hac fanguinis per nares euacuatione non fuccedente? nàm fi melancholici non habeant articulos forte, imbecillos, vt ifti, illis non defunt aliæ debiles,& laxiores partes, vt glandulæ,ad quas faltẽ morbificæ materiæ decumbere poffent,,ac abfceffum progignere .Sed variæ, vndique refponfiones audiri mihi videntur, & primò Galenum intelligendum effe de chronicis morbis, dum eos per abfceffum finiri fcribit, qui cum febre funt, & chronici ex decidentia appellantur; Secundò eos morbos diuturnos per abfceffumfiniri tantum voluiffe Galenũ, qui à pituitofis fiunt humoribus, vel à fanguine pituitofo. Tandem eos morbos per abfceffum nequaquã folui poffe contendunt,qui

ab

ab humore melancholico excitantur, quandoquidem hic in abſceſſum conuerti non ſit aptus. Cæterum hę reſponſiones fortè diluentur, ſed antequam id aggrediamur, neceſſe prius eſt quid per abſceſſum intelligatur, aperire, ne ex vna in alteram incidamus difficultatem. Multipliciter igitur accipi ſolet hæc vox abſceſſus, interdum .n. proe fluxione, ſeu excretione per aliquam partem, & tunc cum criſi, quæ per excretionem fit videtur confundi, interdum pro tranſitu morbi in aliũ morbum; vnde Hippocrates 1. de morb. vulg. part. 21. ait, " Quibuſdam ex aliis febribus, & morbis abſceſſus in quartanas fiebant, & Galenus in comm. ſcribit, " Tu verò fac memineris, vt hic vſurpetur rurſus hoc nomen ab Hippocrate cum dicat abſceſſus in quartanas factos eſſe, videtur non tantum abſceſſum quoſdam per effluxionem appellare, verum etiam cum alius tranſit morbus in alium; Ampliùs appellatur à Galeno abſceſſus ac inflammatio, quæ ad pus conuerſa eſt, Tandem verò, ac propriè magis accipitur abſceſſus pro humoris decubitu faciente tumorem (quo pacto in præſentia à nobis vſurpatur) Hinc Galenus 2. de arte curat. ad Glauc. c. 7. ſic fatur, " Transmutantur autem in abſceſſum inflammationes quædam, atq. ex inflammationibus eryſipelatis participantibus, & ex eryſipelatibus inflammationis participantibus non pauca; Sine his verò etiam abſceſſuum diſpoſitio conſiſtit ex multitudine quorumdam humorum, aut ſpirituum vaporoſorum, ſiue in ipſis patientibus partibus generentur, ſiue ex aliis confluant, ea ratione, qua fiunt illa quæ apoſtemata, ideſt decubitus vocantur; Modò his ità phræhabitis ad allatas reſponſiones reuertamur, easq. omnes æqua lance libremus, & certè ſi prima perpendatur, ea manca manifeſte videbitur, nàm non ſoli chronici morbi ex decidentia, & qui cum febre ſunt per abſceſſum finiuntur, ſed & alii plures, qui à febre omninò ſunt immunes; ſic ex Hippocrate lib. 1. prædict. ex ſuditate abſceſſus circa aures fieri docemur & idem 2. lib. agẽs de morbo ſacro, ait bonos eſſe abſceſſus, qui ad infernas partes conuertuntur, Tandem Galenus in 1. Prorrhet. comm. 3: part. 68. interpretans illa Hippocratis verba " Paraplegicis parotides vitioſæ, inquit, " Ego autem non ſimplic ter dixerim malum ſignum eſſe ſuperuenięntes paraplegicis parotidas, ſed quod iis abſceſſus morbo minor ſit referre fuerit ſatis, quare ex adductis modò conſtat etiam alios morbos longos, & à febre immunes ſuperueniente abſceſſu finiri poſſe; ſed hęc nulli faciamus; addas tamen Hippocratem, atq. Galenum melancholię criſes tribuiſſe, hanc .n & per ſanguinis profuſionem è naribus, nec non ob hæmorroidalibus venis iudicari pluries tradideruut, ſed ſi criſes, quæ propriæ ſunt acutorum morborum cũ febre melancholiæ tribuunt, quæ & ſine febre eſt, & chronicus eſt morbus, non ne rationi magis conſonum erit ipſi tribuere abſceſſum? ſi melancholiæ tribuũt illi criſim certè omnis conditio deeſt, quæ criſi conueniat, nẽpè morbi acuties, & ex conſequenti breuitas, nec non febris, Si autem nos melancholię abſceſſum tribuamus, vna tantum conditio deerit, nempè

pè febris etiam si & hæc absente abscessum in morbis fieri iam patefecerimus. Ad secundam vero responsionem dicimus nihil obstare, quin & morbi, qui à melancholicis fiunt humoribus per abscessum finiantur & præsertim cum nomine abscessus in præsentia intelligendus veniat tantummodo humoralis tumor, siue hic ad suppurationem deueniat, siuè minimè, quemadmodum iam tactum fuit (& hinc tertia respósio corruit) Amplius sicuti melancholia non semper fit ab humore melãcholico solo, ac sincero sed multoties sanguini permixto, vt nobis declarant interdum faciei rubor, symptomata cũ risu, & sanguinis excretiones ipsam sanantes, ita & tumores fiunt à melancholicis humoribus non solis, sed sanguini non raró immixtis, vnde Galenus huiusmodi tumores scyrrhos phlegmonosos appellauit 7. de compos. med. per gen. cap. 1. quos sanè tumores ad suppurationem deuenire posse nemo inficias ibit; Quod tandem Hippocrates, & Galenus cęteros modos, quibus melancholia, & insania finiuntur, tradiderint. de abscessu autem ne verbum quidem fecerint, hoc mirum non est quia res, quæ raró eueniunt sorte obliuioni traduntur, sed non ob id fit, quin hoc contigerit, aut contingere possit; sed neq. hoc ipsos omnidicos conticuisse credendum est, Ego duo apud Hippocratem reperio, vnum ad abscessum, alterum ad melancholiam spectans, de abscessu loquens ipse 2. Epidem. sect. 2. ait optimos esse eos abscessus, qui sunt inferni, & remotissimi à morbo, de melancholia verò loquens, eam hęmorroidibus superuenientibus finiri pluribus in locis testatus est, ergo melancholiam per abscessum, & optimum abscessum finiri voluit Hippocrates; Consequentia facilè probatur, nam si hęmorroides fiunt. vel ex Galeno in 3. aph. comm. 30. vbi atra bilis ad venas, quæ in sede sunt, cumulatius decumbit, non semper eandem bilem per eas venas exceri obseruamus, sed interdum etiam in ipsis consistere, easque in tumorem attollere, en igitur abscessus; prætereo quod pluries tumefactæ hemorroides etiam ad suppurationem deuenerint, quare per hæmorroidas non tantum sanguinis excretionem per hasce venas, sed etiam earum tumorem intelligere poterimus, hinc author definit. medic. dũ hæmorroidas distinguit, ait, alias esse paruas, alias magnas, alias medias, sic iterum nonnullas angusta, quasdam lata esse basi, Verum si hoc quod euidentissimum est alicui non arrideat, pretermittamus hæmorroidas, & ad Hippocratem confugiamus, qui lib. 5. aphoris. 65. hęc habet ad litteram; " Quibus tumores in vlceribus apparent, non valdè conuelluntur, neq. insaniunt, ergo manifestum est ex tumoribus superuenientibus, quos re vera abscessus appellamus, tùm insaniam tùm melancholiam sanari posse; Sed & in horum confirmationem nonnulla addere volo, quę à nobili ac studiosissimo viro Francisco Maria Vruccio accepi, cum ipsi opinionem meam de hac re communicauerim Inquit igitur ille, si per abscessum intelligamus eum, (multipliciter. n. abscessus dicitur) qui fit per materiæ decubitum à loco affecto in alium, vt ad articulos, aut glandulas, & huiusmodi Hippocrates mc-

lan-

lancholiæ solutionem per abscessum hoc modo sumptum aliquandò visus est obseruasse, dū libro de Iudicationibus itá loquitur, " Quicūq. insaniunt sua sponte liberati ex morbis, his insaniam soluit dolor ad pedes progressus, aut ad pectus, aut tussis vehemens oborta, si verò horum nihil fiat, insania soluta oculi priuatio contingit, qua sententia clariorem non puto, atq. ad propositum magis accommodatam inueniri posse, per insaniam vero melancholiam intelligo ex Galeni interpretatione super 21. aphor. sextæ particulę, itá vt oculatissimus senex semper admirandus nihil omiserit. Parotides autem an superuenire possint á melancholia liberantes mihi non dum constat, nisi Galeni faueat authoritas 3. lib. de Cris.cap.3.vbi inquit; " Parotides lethargos finiunt, ac reliquos omnes capitis affectus; Hactenus vir excellentissimus, qui vlterius perquirens cur numquàm vel rarò admodum huiusmodi abscessus á melancholia liberantes obseruentur, itá ratiocinatur; Si noxius humor melancholiam efficiens á natura excutiendus sit, manifestum est ipsam non alio id peracturam medio, quā expultrice facultate illius partis, in qua humor præter naturam continetur, cuius vt sequatur expulsio (omitto attractionem, quæ dolore, & calore partis recipientis fieri consueuit) duo ex parte facultatis requiruntur, vt scilicet robusta sit, ac vt ad expulsionem irritetur, ex parte verò humoris vt sit vel nimia quantitate grauis, vel parua qualitate molestus, ac præterea vt omninò ad motum ineptus non sit, secus.n. facultati non cederet expellenti; viæ autem, per quas transferendus humor est, satis apertę esse debent, alioquin conatum omnem irritum redderent, Quod verò spectat ad partem recipientem, hæc siuè á natura, siue ab aliqua intemperie præsertim humidiori laxa, & imbecilla esse conuenit, vt tantum sit ad recipiendum idonea, quantum inualida ad propellendum, si hæc omnia simul concurrant, proculdubio quicumq. humorum transfluxus facile sequetur, Quod verò in melancholia id non conspiciatur, partim in facultatem referendùm puto, partim in humorem expellendum, in facultatem quoniam illi desit, vel robur, vel stimulus, in humorem quoniam cum sit frigidus, & siccus ea qualitate careat, qua expultricem irritare possit, vt eius crassitiem, & reliqua omittam, quæ ipsum pigrum admodum, atq. inertem ad motum reddūt; [Hucusq. tamen dicta non videntur omnino concludere nam qui naturam sępe melancholici humoris excretionem vel per nares, vel per hęmorroidas in melancholia tentare cognouerit, potius naturæ robur & humoris aptitudinem ad motum arguet quam secus, nàm multò plus roboris naturæ ad excretionem, quam ad abscessum requiritur, sicuti & maior humoris habilitas,] Sed quid dicendum (prosequitur ille) si facultas robusta sit, & á copia humoris melancholici grauata? Rarò admodum id euenire assero, nam statim atque hic morbus detegitur eidem pręsidiis artis occurritur, atque dempta multitudine, sanguinis missione, atq. iteratis purgationibus occasio naturæ præripitur gignēdi abscessus, non secus ac in iis morbis euenit, in quibus, & propter lon

gi-

gitudinem, & propter coctionis difficultatem iure abscessus expectātur, à quibus tamen liberat vrina multa, crassa, & alba reddita, vt habemus 4. aph. 74. Neq. ob id damnandus medicamentorum vsus, nā pleriq. & si dum curabantur nihil profecerint, quiete deinde auctis naturæ viribus ad sanitatem perducti sunt, præterquamquod prohibetur tali pacto, ne humor melancholicus in atram bilem vertatur, inquit.n. Galenus in 6. aph. comm. 57. succum melancholicum per verbi abusionem se interdum atram bilem appellare, quandoquidem nisi prius euacuetur, atra fit non multo post euasura, quod si huiusmodi morbus prolongetur, hominibus fere consenescit, ac commoritur, neq..n. inueteratus vllis cedit medicamentis, neq. melancholici humoris expulsioni natura amplius incumbit, vt pote à quo vitæ periculum non impendeat, cerebroq. connaturalis factus sit, licet ab ipso, atq. ab intēperie frigida & sicca quam souet, functiones eius principes fere omnes oblædantur, At omnibus naturæ, commissis aggredietur ne humoris expulsionem? fortasse, sed ni fallor, non ita, vt ex ea sequatur abscessus, sed potius varicibus, aut hęmorroidibus superuenientibus fiat in saniæ solutio, vt dicitur 11. & 21. aph, sextę particulæ, at inquies, hoc est, quod in dubium reuocatur, cur scilicet, si natura per hæmorroides hunc humorem expellat, non possit eumdem in aliquam aliam partem ad abscessum deponere, ac demandare, ad hoc responderem, quod quemadmodum natura semper de vita animantis sollicita est, vt asserit *Galenus* comm. 5. in *6*. Epid. ita eandem in humorum expulsione, nisi aliquid impediat, semper quod melius est pro eiusdem salute moliri, ac melius multo esse humores noxios extra corpus ferri, quā in ipso detineri, quod si detineantur, præstare, vt quam longissime à parte affecta & ad id ignobilem amandentur, vt animaduerterit Hippocrates 2. de morb. vulg. nam si exempli gratia sanguis crassus, & melancholicus in toto abundet, atq ad vniuersā cutim expellatur, fiet fortasse elephantiasis, si in parte & ad partem alteram scyrrhi differentiam procreabit, ac si ob detentionem putredo, aut calor accedant, in cancrum vlceratum, aut non vlceratum pro gradu caloris degenerare poterit, auctoq. feruore etiam in carbunculum, omninoq. illud eueniret, quod scriptum reliquit Hippocrates 1. Epid. 2. orti scilicet in quadam constitutione abscessus vel maiores, euam ferri possent, vel minores quam conferrent, Hęc admodum docte ab ingeniosissimo viro prolata sunt, & quæ omnem ambiguitatem soluant, vt nihil amplius re vera desiderari possit, Tandem vnicum addo, nempe naturam quod melius est intendentem, non per abscessum, sed plerunq. per excretionem melancholias soluere, ad quod non parum facit melancholici humoris propria siccitas, ob quam à visciditate est immunis, qua de causa ad omnem motum se facillimum exhibet, vti in superiori quæstiuncula ex declaratione 40. aph. septimæ sectionis innuimus.

FINIS TERTIAE PARTIS

QVADRIPARTITVM Melancholicum,

GASPARIS MARCVCCII Nobilis Lucensis.

PARS QVARTA.

An in melancholia per essentiam in cerebro sanguis mittendus sit? Cap. I.



Anguinem in hac melancholia non esse mittendum plura suadent,& primò ipsius melancholici humoris natura frigida,& sicca,nam si sanguinem extrahas calidũ,& humidum, illi medelam aufers. Secundò penuria spirituum tùm vitalium,tùm animalium, qua melancholici laborant, nàm si sanguinem detrahas, vtrisq. suę generationis materiam detrahis. Tertiò cum materia melancholica excrementitia sit, ideoq. alia à sanguine ad quid mittendus sanguis? Quartò Galenus noster lib. 3. de loc. aff. c. 7. ait, quod vbi solum cerebrum sanguinem melancholicum continet, infirmus sanguinis detractione non indiget, quo ad hanc dispositionem, hoc est essentialem melancholiam attinet, imò paulo infra ad hanc melancholiæ speciem respiciens præcipit, vt si secta vena sanguis ruber appareat, supprimatur, nouit .n. non laborante toto corpore, sed tantum capite, nedum inutilem, sed perniciosam esse sanguinis missionem, vnde inferius etiam frequentibus balneis,, victuq. humido boniq succi, nullo alio adhibito pręsidio se huiusmodi morbũ curasse testatur; Sed quando,nõnulli inquiunt ex alia parte? vbi nondum ob longum temporis tractum nocuus humor multum vacuationi resisteret, cum enim diuturnus iã factus est morbus fortiora (vt Galenus ait) prædictis oportet adhiberé remedia, sed quæ nam sunt fortiora,remedia? venæ sectio, ac medicamentum purgans,In essentiali igitur melancholia,quæ iam progressa est, ad sanguinis missionem per sectam venam deuenire non erit inconueniens,& quia melancholicus humor peccans tantummodo in cerebro reperitur, non alia vena secanda erit,quã frontis, & quamuis humor hic excrementitius,& alius à sanguine esse possit, nihilominus sanguini commiscetur, ipsumq. fæculentia sua reddit impurum,ità vt ad eductionẽ sanguinis& ipse euacuetur, addunt præterea,humorinne

lancholicus non ne frigidus & ficcus est? dùm igitur parum sanguinis iàm propter melancholici humoris commixtionem refrigerati ex vena frontis educitur, sursùm portio sanguinis laudabilioris calidi,& humidi trahitur, qui frigido, & ficco humori remedium est, Vt hæc controuersia dirimatur, duo sunt animaduertenda,& primo à Galeno dictum esse,quòd vbi solum cerebrum sanguinem melancholicum cōtinet. infirmus sanguinis detractione non indiget, quamuis (vt ipse addit) ob aliam quampiam causam sanguis mitti possit; Secundò à quanã causa in cerebro producatur melancholicus humor; Quamuis igitur infirmus sanguinis missione non egeat, vbi in solo cerebro sanguis melancholicus peccat, nihilominus ex Galeno ob aliam causam sanguis mitti potest. Hæc autem causa potest esse plenitudo corporis, hæc .n. si in melancholico per essentiam adsit,quamquàm primo,& per se non faciat melancholiam,illam tamen iuuat,& fouet,nam vbi multus est sanguis, multa quoq. est fex, &loca affecta in sanguinis plenitudine promptius replentur. Amplius cum ad edomandum humorem frigidum, & siccum calida præsidia requirantur,vti interdum mithridatum, theriaca, confectio Alkermes,, & similia sunt, nisi sanguis euacuetur, iis, vti tutò non possumus, Tandem si melancholicus humor in cerebro redundet, non quia in eo genitus sit, sed quia aliunde in ipsum transmittatur, aut ob eodem attrahatur, tunc secanda vena, quæ parti mandanti proximior existit,Si vero melancholici humoris in solo cerebro peccantis causam perpendamus, hic si in eo generetur, vel à calida, vel à frigida intemperie generabitur, quam vtramq.Galenus tetigit 3.de loc. aff. cit. dum scripsit fieri huiusmodi melancholiæ speciem affecto prius calidis dispositionibus cerebro, aut æstuatione, aut phlegmonosa passione, aut etiam phrænitide, & ad frigidam respiciens subiunxit interdum fieri à sollicitudine & mestitia cum vigiliis, Si igitur hic humor melancholicus à caliditate genitus melancholiam excitet,tunc si caliditas non deferbuerit ad hanc contemperandam sanguis necessario detrahi, debet, & si in solo cerebro caliditas sit ex vena frontis ipsum detrahere par erit,vel etiam ex venis narium. vel ex venis post aures, hæ .n. omnes eligi possunt, & inuicem substitui; Si vero non solum in cerebro, sed etiam in hepate vel in vniuerso corpore caliditas extet, tunc non solum aliqua ex prędictis, sed etiã cubiti vena prius aperienda erit, & hæc omnia in incipiente potius melancholia, quam in progressa efficienda sunt, in progressa .n. caliditas iam deferbuit, ita vt ratione alicuius exuperantis caloris sanguinem mittere non sit opus, Si deniq. humor melancholiam efficiens à frigiditate productus sit, & in solo cerebro redundet, tunc à sanguinis detractione desistendum est, nisi ipsam ob aliquam ex prę narratis causis amplectamur, neq. in hoc casu secta vena frontis educendus est sanguis, vt laudabilioris sanguinis attractione frigido & sicco humori medeamur: iã.n. maius esset detrimentum ex sanguinis

eductione,

eductione, quam excogitata, ac ingeniosa potius, quam vtilis medela, quæ hoc pacto afferri posset, magis .n. vniuersi cerebri intemperies ad refrigerandum, & siccandum sangninem, eumq.in melancholicum vertendum valebit, quam valde paucus sanguis propter sectam venã ratione vacui attractus ad predictam intemperiem amouendum, Ceterum ex iis, quæ dicta sunt satis aperta contradictio oritur,nam in incipiente potius melancholia sanguinem mittendum esse pręcipimus, cum tamen ad initium huius controuersiæ vel ex Gal. mente in melancholia progressa proposita fuerint fortiora remedia, ĩter quæ sãguinis missio recensetur.Pro conciliatione huius contradictionis dicimus melancholiam progressam duplici modo posse considerari,vel eò vsque progressam, quod nullus preternaturalis calor in cerebro humores adurente, tenebricososq. reddente reperiatur, sed omnino deferb uerit quam sanè melancholiam tunc diuturnam satis , ac consumatam dicere possumus, vel non eo vsq. progressam, inqua adhuc pręcalidæ cerebri dispositiones vigeant, & tunc melãcholia non nimis progressa, nec valdè diurturna extabit, sed media inter incipientem , & consumatam erit,& in hac Galenus ad sanguine missionem confugiebat,nõ in ea, in qua calidę dispositiones tenebricosi humoris causæ deferbuissẽt, vti iam valdè progressa,& consumata, item Galenus in incipiente melancholia essent ali ad generosum sanguinis remedium non accedebat,dum sibi persuadebat paucum reperiri in cerebro melancholicum humorem,qui mitioribus remediis superari posset,qui si paulò copiosior extitisset, & Galenus quoq. in initio morbi sanguinis missionem amplexatus esset, quemadmodum quoque illam amplexabatur , vbi morbus quadantenus progressus mitibus remediis cessurus nõ esset, vel fortè facilioribus prius tentatis non cessisset, vnicę rationi satisfaciendum remanet à spirituum penuria desumptę, cui quoq. facillima responsio est, nam melancholici per essentiam non semper spirituum penuria laborant, nisi iam valdè progresso morbo, quo casu & nos a sanguinis eductione abstinemus reliquis vero temporibus potius spirituum siluestrium, ac tenebricosorum copia vexantur, & tunc sanguinem omnino extrahendum esse censemus.

An in melancholia à toto sanguis parcè vel largè mittendus sit? Cap. II.

CVm in melancholia à toto sanguinem crassum,ac melancholicum in vniuerso corpore abundare manifestum sit, minimè dubitatum fuit à nobis, an sanguinis missio conueniat, quandoquidem Galenus lib. de cur. rat.per sang.miss.cap. 10. vsq.adeo laudat missionẽ sanguinis in melancholicis,vt dixerit etiam,quando ii rectè, valent, conuenire hoc auxilium , quia cum sanguis melancholicus crassus sit,neq. inedia,.neq. frictionibus, neque

balneo consumi potest, vnde vel venæ sectione, vel medicamento purganti ipsum euacuare oportet; Cæterum an parce, vel largè sanguis euacuandus sit, controuersum est, nam inter recentiores doctissimus Ludouicus Mercatus sanguinem parce mittendum esse in melancholicis, á toto, tum ob timorem, & mæstitiam, quibus semper necessario afficiuntur, tum ob spirituum vitalium imminutionem scribit in sua praxi cap. de melancholia, imo vbi animi affectiones, vt cura, amor, & similia, vel inedia, & vigilia melancholiam concitant, omninò à sanguinis detractione abstinendum esse censet, & præsertim si diutinę vacuationes, siue sanguinis, siue ventris præcesserint, aut si tandem comperiatur corpus excarne, hirsutum, aridum, curis contabefactum, & nigri coloris esse, ac deniq. adusti, crassi, frigidi & sicci humoris plurimum abundet, sanguinis vero non item, quorum occasione sanguinis detractionem melancholicis, parum prodesse à veteribus dictum esse existimat, Verum Aretæus antiquissimus author in quocumque corpore, etiam gracili hoc auxilium conuenire ait, & Galenus 3. de loc. aff. c. 7. de melancholia pertractans, ait, quod vbi vniuersum corpus sanguinem melancholicum continet, curationem à venę sectione incipere oportet, neq. eodem loci sibi contradicit, dum in melancholia venam cubiti secandam præcipit, ac si tunc fluens sanguis non videatur melancholicus, statim supprimendum esse, quasi non semper mittendus, sit sanguis in melancholia à toto, quandoquidem ibi Galenus proponit huiusmod. venæ sectionem, non tamquam remedium sed tamquam signum, quo dignoscere queas, an melancholicus sanguis vniuersum corpus, an solum cerebrum occupet, & proinde an melancholia per consensum à toto, an per essentiam in cerebro, sit, si .n. sanguis non egrediatur melancholicus, oportet, iudicare melancholiam non esse per consensum à toto, in hac .n. in venis totius sanguis melancholicus redundat, qua de causa neque etiam valet, quod melancholici corpora habeant cacochyma, (hoc .n. plurium est argumentum, qui in cacochymia purgatione vtendum esse, & à sanguinis detractione cauendum precipiunt), quoniam in melancholia a toto, quicquid vitiatum est, in sanguine reperitur, vt ob hoc sanguinis euacuatio maximè vtilis, & necessaria sit, pręterea Galenus è diametro contrarius est Mercato, nam cum in melancholia à toto sanguinis missio conueniat, quia melancholicus humor in vniuerso corpore redundat, in iis præcipuè redundare docet hunc humorem, qui macri, nigri & hirsuti sunt, & maxime quando vigiliis, & sollicitudine, & tenui victu fuerint educati, quare in his ex Galeno non aufugienda, sed maxime amplexanda erit venę sectio. Verũ omnibus æqua lance libratis vtrumq. veritati consentanea protulisse opinor, nam cum in omni sanguinis detractione Medicus sibi perpetuo ob oculos ponat virium robur, & prò vt eas vel robustas, vel imbecillias reperit, ita non solum sanguinis missionem respuat, aut eligat, sed sanguinis etiam mensu-

tam prescribat, proculdubio scientissimus Mercatus de iis melancholicis loquutus est, qui corpus adeò macrum, & excarne, aridum, cutisq. contabefactum habent, quod eorum vires imbecillime factę nullã sanguinis missionem perferre queant, quemadmodum illorum vires, quas longa inedia, aut fastidiosa vigilia deiecit, & infrinxit, Galenus non item; addas preterea, quę ex Mercato adduximus non in incipiẽti sed in progressu, & valdè progressa melancholia contingere, quo in casu & nos à sanguinis missione abstinendum esse censemus, vti in superiori quæstiuncula monstratum fuit, Mercatus etiam parcam moliatur sãguinis euacuationẽ in melãcholicis à toto propter timorẽ ac męstitiã nec nõ propter vitales, spiritus imminutos, sub his n. vires imbecilles sunt, qua in re nec Galenus etiam aliter sentiret, & presertim cum iubeat Mercatus considerandum esse an iecur propter ipsius cali dm & siccam intemperiem huius humoris melancholici plus gignat, aut copioso sanguine generato ipsum exurat, vel propter ipsius calidum intemperamentum, vel totius corporis, an etiam suppressa sit euacuatio aliqua, vt hæmorroidum, mensium, ac alia similis tunc .n. largius mittendus est sanguis, neq. immerito, quandoquidem sæpe ob permissam sanguinis efferuerscentiam nullo sanguine extracto, malũ ex melancholia in maniam migrauit, hinc in lycantropia in qua melancholicus humor aliquam retinet caliditatem, quam rectè græco nomine empireuma appellares, ab Actio, & ab Arabibus probatur venæ sectio vsq. ad animi defectum, quià maximè in hoc morbo formidetur magna aliqua inflammatio, quare hi erunt melancholici per consensum à toto, in quibus larga sanguinis missio conueniet, in superius vero relatis, aut nulla, aut parca saltem sanguinis euacuatio molienda erit, nec tandem in melancholia à toto venæ sectio omnino excluditur ea ratione, quià cum crassior sit in ipsa melancholicus humor, sanguinis quod crassius est intus adseruetur, subtili, & vtiliori parte euacuata; namque si aliqua obseruentur in praxi, quod etiam crassius est a euacuabitur, & primo fæx sanguinis cuius proprium est semper subsidere, est ita fundenda, vt toti sanguini commisceatur, ad quod nonnulli respicientes, non solum frictionibus, & aqua calida ministros vti pręcipiunt, sed etiam consulunt, vt antequam secetur vena in melancholicis, corpus agitetur, & medicamentis, & syrupis, vt ex agitatione fęx sãguinis cũ tenuiori portione misceatur Secũdo iubẽt vt post sectã venã propter arctã ligaturam qua vtuntur ministri, aliqua ex parte laxetur vinculum, Tertio vt amplius fiat foramen, quibus peractis res ex voto succedet.

An in melancholia hypocondriaca sanguis mittendus sit? Cap. III.

FLatuosa affectio, qualis hypocondriaca est, quę comitem habet cruditatem,& cui adiungitur ventris deiecta facultas,sanguinis missionem renuit. Amplius cum in hypocondriaca appellata melancholia tantum circa mesaraicas venas resideat materia, venæ sectio prætermittenda est, trahit .n. succum melancholicum à partibus determinatis in venas communes, sicq. totum inficit sanguinem, Hinc Rhasius in hypocondriacis venę sectionem prohibet, Contrarium tamen colligi videtur ex Auicenna lib 1 fen 4. doctr. 5. cap. 20. dicente venarum pedis phlebotomiam conferre ægritudinibus melancholiæ, & re vera conuenientissima est venæ sectio in hoc affectu pluribus de causis, etiam si plethoria non adsit, & primò, quia in hypocondriis, aut in mesaraicis venis (quæcunq. fuerit affecta pars) aggeneratur materia cū sanguine mixta secūdo quià ob materiam obstruentem caliditas intenditur, vnde & in ipsis succe nduntur humores tertiò quià nisi sanguis euacuetur,tuto calidis medicamentis vti non possumus ad materiam melancholicam obstruentem superandā quarto quia est affectio veluti inflammatoria,hinc conuenit sanguinis missio,vt ex accidenti refrigeret quinto deniq.quià non rarò ad hypocondria sanguis regurgitare sôlet ab hęmorroidibus, aut menstruis, quo casu sanguinem mittere necesse est. AdRhasiū,& ad rationes in contrariū adductas respondetur,quod& si circa mesaraicas venas resideat materia, non tamen sanguinis missio prohibenda est, quoniam siue melancholia hypocondriaca fiat liene non attrahente succum melancholicum, siue iecore chylum, & sanguinem exurente, necessarium est non modo ad mesaraicas, sed ad communes venas illius portionem distribui, itaq.tunc educitur sanguis non pro euacuādo succo melancholico iam confluxo,& impacto, sed prò illo, qui in venas totius distribuitur. Tandem cruditates,& ventriculi imminutam coctionem affectus hypocondriaci comites esse verissimum est, neq. ab his sanguinis missio permittitur, sed si cruditates aliquo lenienti pharmaco, vel vomitorio medicamento expurgentur, & detergantur à ventriculo præmissis etiam, si opus fuerit incidentibus, & extergentibus medicamentis, moderata sanguinis euacuatio non inconuenit;et prefertim cum ab hypocondriis,& mesaraicis venis sæpè nnmero calidę euaporationes in ventriculum effument, quæ ipsis coctionem perturbant, et ità crudorum succorum prouentus sunt in causa. Hoc vnum tamen animaduersione dignum est (quod et ab Amato Lusitano obseruatum fuit Cent. 4. curat. 42. (quippe si patientis corpus aridum sit, et debile, vt sanguinis missionem per venę sectionem in cubito ferre non posfit illius vice hyrudines ani venis affigendę

dæ erunt, per quas ater humor euacuari solet, Postremo hanc quæstiun culam Petri Foresti sententia claudere non displicet, qui scholiis obseruationis 18. lib. 10. sic fatur," In melancholia hypocondriaca à venę sectione abstinemus, nisi hoc fiat præseruationis causa, vel si ex aliquo viscere vt liene, vel iecore, ad ipsum ventriculum, vel venas mesaraicas, et mesenterium sanguis sit deriuatus, tunc reuulsionis gratia seruata rectitudine, item, & pręseruationis vena secanda erit.

An in melancholia superiores, vel inferiores venæ secandæ sint? Cap. IIII.

QVemadmodum ob omni morbo melius est præseruari, quam curari, ita et à melancholia, quare si de præseruatione ab ipsa sit sermo, ex infernis partibus semper mittendus est sãguis, longe .n. ducendus est à cerebro pręseruationis tẽpore, in morborum .n. capitis præseruatione longę semper à cerebro ducendus est sanguis, hinc Galenus lib. de cur. rat. per S. Miss. c. 19. hæc habet," Comitialibus morbis. vertiginibusq. obnoxios potius ex cruribus euacuato. Si vero de curatione loquamur, vbi melancholia essentialis erit, et opus sit sanguinem mittere, potest venę communis sectio interdum pręmitti, et pretermitti, non tamen determinatę sectio pręrtermittenda, quę est vena frontis, vel narium, Si vero melancholia fit per consensum à toto secatur vena communis, aut vnius tantum, aut vtriusq. brachii, potest etiam in magna plenitudine secari, et superior, et inferior, sed quando vtrumq. pręstare liceat. vt prius inferiores, quam superiores secentur venę magis probatur contra quam sensferit Mesues cap. de melancholię curat., Nam si secentur primo inferne, sanguis crassus ad inferna ducitur, nec dicat aliquis quemadmodum secta inferna vena sanguis crassus inferius trahitur, ità etiam secta superna superius trahi, quoniam quod crassum, ac graue sui natura est, facilius deorsum, quam sursum tendit, etiam si hoc fiat ratione vacui, pręterea reuulsio deriuationem semper præcedere debet, at vena inferna secta in melancholia ex toto habet, rationem reuellendi, superior, deriuandi. Si tandem sit melancholia vel a toto, vel ab hypocondriis, in qua menses, aut hæmorroides suppressæ sint, tunc inferiores venæ secandæ sunt, et ex Galeno semper, numquam superiores, etiam si adsit plenitudo, vuult .n. lib. de cur. rat per S. miss. cap. 11, plenitudines. a suppressis mensibus ortas omnino per crura euacuari, siuè venam secare oporteat, siuè scarificare, sectæ .n. in cubito venę (vt ipse inquit) mulierum reuellere purgationem assolent, nihilominus si res contra se habeat, ita vt non plenitudo a suppressis mensibus sed hi a plenitudine ac copia sanguinis ortum habeant, vena superior prius secari poterit, quemadmodum præscribit Aetius Tetrab. 4, serm. 4. cap. 57. quem Auicennas, et ex neotericis doctissimus Mercatus sequuntur,

tur, & ratio est, quia vbi plenitudo, & præsertim superiora obsidet, sãguinis parca detractio ex brachio facta longissimè ab eo tempore quo purgationem mulier expectat, tantum abest, vt supprimat, vt potius iuuet ad earum euacuationum prouocationem impediendo ne superiorum plenitudo deorsum irrepat, si tali venas protinus incidas, & aut obturet, magisq. vteri vasa obstruat, aut sanguine copiosius ad vterum euocato immodicum sequatur mensium profluuium, quod coh bere nequeas, prętereà si in magna sanguinis plenitudine menses supprimente ex vena cubiti parum sanguinis detrahas, natura eo onere, quo veluti sarcina præmebatur exonerata, quod reliquum erit, facilius per consuetas vteri vias extrudere poterit. sed hactenus, de quibus obiter sermo contingit; Cæterum quoad melancholiam hypocondriacam attinet, in hac nonnulli, & inter eos doctissimus Capiuaccius, prohibet venæ sectionem in cubito, concedunt autem in pedibus hac ratione moti, quia cum sanguis vitiosus pertineat ad hypocondria, & bonus sanguis ad totum, secta vena cubiti bonus sanguis euacuatur, & non melancholicus, & hac facta euacuatione, ne detur vacuũ, fit attractio sanguinis melancholici ad superiora, sed pace tanti viri nulla est hæc ratio. quasi melancholicus ille sanguis, qui est circa hypocondria possit per infernas euacuari venas nõ attractus in vasa communia, quod si concedant attrahi, eadem est ratio sectionis infernarum, & supernarum, sed vera ratio, ob quam melius sit pedis. quam cubiti venam secare, est, tum quia sanguis subsistit, infra iecur, tum quia sanguis ille sursum mittit vapores, vt ob id longè à cerebro reuellere oporteat.

An melancholicos per consensum à liene iuuet vena, quam saluatellam communiter appellant, in sinistra manu sectio? Cap. V.

AB huiuscemodi venæ sectione melancholicos per consensũ à liene iuuari posse non sine ratione existimo, cum lienis affectibus saluatellam sectam mirificè prodesse vulgata sit hucusque, & ab omnibus fere recepta opinio, & Galeni tẽporibus hoc remedii genus floruisse ipsemet est testis lib. 3. de anatom. administr. cap. 5. dum de vena, quę mediam digiti medii, & anularis regionem ingreditur loquens, ait quod hanc nonnulli in sinistra manu secantes, sinentesq sanguinem ex ea fluere, quousq. vltro sistatur, lienem ex tali vacuatione iuuari asserunt, et in libro qui præsagium experientia confirmatum inscribitur Galeno adscripto hæc habentur Si quispiam anularis digiti venam secet, et nonnulli mediam, inter medium, et anularem digitum venam, sinentes sanguinem effluere, quoad sponte cessauerit lienem iuuari, vt in ancone venam secando interiorem, satis commode namq. lieni prodest male habenti sanguinis detractio ex manu sinistra, Hinc Montagnana qui in Medicina exercenda

cenda peritissimus, ac consumatissimus extitit, vbi de ægritudinibus splenis, ex cuius consensu cerebrũ lædebatur, agit, ad saluatellæ venę sectionem recurrit, quemadmodum videre est Consiliis 159. & 160. Nonnulli tamen nequaquam conferre volunt saluatellam sectam, tum ob melancholici humoris crassitiem, quo lien oppletur, tum ob eiusdé grauitatem, nam cum valde sit terreus, facilè deorsum tendet, & ob id facilius, ac melius per inferiores venas euacuabitur, quod & nobis natura ostendit, cum ipsa sæpè huiusce modi humorem per venas hæmorroidales euacuet, & non rarò in crurium venas deponat, præterea quomodo tam crassus humor, qualis est melancholicus sanguis in lienis morbis è saluatella vena tam exili possit exire? hinc Galenus lib. de cur. rat. per sang. miss. c. 14: ex venis summę manus nihil, quod effatu dignum sit, effluere scripsit; Cæterum vt de hac re aliquid certi proferatur, pręsciendum est lienis morbos, qui propriam curationẽ per sanguinis missionem exposcunt, à pluribus venis apertis iuuari posse, & vt plurimum ab hæmorroidalibus, à venis brachii & ab iis, quæ in summa manu existunt, nec non insuper illorum alios ab hac magis, quam ab illa vena aperta iuuari, alios vero contra, pro vt sapiens medicus internoscere poterit, ægri viribus, & morborum natura, ac temporibus diligenter animaduersis, etenim in quacumq. melancholia per consensum à liene, & in cæteris præternaturã affectibus, in quibus lien ità afficiatur, vt sanguinis missionem requirat nemini dubiũ est, quod sanguis per venas hæmorroidales cõsultius euacuatur, tum propter rationes superius adductas, tum propter cõmunicantiam venarum lienis cum hæmorroidalibus internis, vtræque .n. venæ portæ propagines sunt, eum tamen excipimus casum, in quo à liene reuellere intendimus, tunc .n. per venam in summa, ac sinistra manu sectam sanguis euacuatur, cum reuulsio rectitudine, seru. et ad longinquiores fiat partes, quemadmodum si lien exempli gratia inflãmatione corriperetur, si quidem (vt 13. meth. cap. 11. Galenus ait) longissimé à tentata fluxione parte quod redundat, reuellere, nequaquàm ad eam trahere conuenit hinc Galenus eodem loci, & in librũ Hippocratis de humoribus comm. 1. t. 13. in lienis inflammatione nõ hæmorroidales, sed brachii sinistri venas aperiẽdas consulit, ipse .n. per manum simpliciter prolatum brachium intelligit, sed & ex Galeni mente, atq. ex ipsa ratione summæ manus vena rectius secabitur, cum longinquior sit pars, & ad longinquiora fiat reuulsio, præterquã quod & in eodem comm. t. 12. venam inter minimum digitum, & annularem existentem secari scribat Galenus, Modò cum in melancholia hypocondriaca et si non vera inflammatio, saltem phlogosis, seu accensio quædam feré semper existat, quæ veram inflammationem emulatur mirum non erit, si sinistræ manus saluatella secta, melancholici

per consensum à liene iuuari possint, præterea si aliqua alia causa reuulsione excepta, hæmorroidalium venarum apertionem prohiberet tūc proculdubio venas sinistri brachii, quā sūmæ manus aperire satius esset, nisi imbecillæ vires reclamarent, hę namq. sanguinis missionem facilius ferunt per venam in manu, quam in brachio sectam, Quod autem viribus non reclamantibus in brachio venam aperire satius sit, facile probatur, Si quidem melancholicus sanguis qui sui ipsius euacuationem indicat, venam quoq. secandam esse indicabit, quæ illi promptius occurrere possit sed promptius quam saluatella, cubiti interior vena occurret, nam cum hæc satis amplior sit, faciliorem quoq. exitū crasso sanguini præbebit, atq. ita nonsolum citius, sed iucundius etiā n edebimur, cum longius, ac magis in saluatella tundenda ægri affligātur, Insuper addere possumus Galeni authoritatem in lib. de cur. rat. per S. M cap. 16. dum habet, quod affecto liene, haud æque adiuuerit circa anularem digitum sinistræ manus incisa vena, atq. si internam cubiti secueris, multum .n. iuuat afflictum lienem sanguinis ex sinistro brachio detractio, Nihilominus vbi vires aliquo pacto imbecillæ sūt, & necessario sangnis extrahi debet, cubiti venæ saluatellā pręferimus, hac .n. incisa parciores spiritus dissipantur, & ob id minor fit virium iactura, quare non experientia solum, vt voluerunt aliqui, & inter hos Arnaldus Nouo Comensis cap. 103. qui salernitanorum carmine cōmētariis, illustrauit, sed etiam ratione colligimus, cur saluatellæ sectio melancholicos à liene atq. spleniticos iuuet, si quidem hi cum spirituū inopia laborent, & sanguinis missione indigeant, nisi hæmorroidales venæ aperiri possint, nulla accomodatior vena sectioni est, quam saluatella, nam quo lōgius ab hæpate & corde distabit vas, eo minor, cum aperietur fiet spirituum euacuatio Sed non defuerunt, qui hanc opinionem confutarint, existimantes eandem spirituum euacuationem, imo & maiorem fieri vena saluatella incisa, quam, in cubito secta. Nam (dicunt isti) quæ maior est ratio, cur ad eandem quantitatem sanguinis haustam, cum vbiq. sint, & abundè confluant spiritus, plures euacuentur scissa vena vna quam altera? non quod vas sit maius nam exempli gratia duo vini dolia, quorum alterum aliud decuplo excedat, eadem terebra vtriq. si fuerit adacta, eandem vini quantitatem æquali temporis spatio fundent, quandiū vinum continebit vas minus, ergo cum tandiū contineantur spiritus in venis brachii, & summæ manus, quādiū etiam sanguis fluit, quem demere seū ex cubito, seu ex manu medico erat in animo, æqualem æquali temporis spatio spirituum euacuationem fieri necesse est, sed si verum est eodem temporis spatio tantundem spirituum euacuari ex vena summæ manus, ac ex vena cubiti manifestum est maiori temporis spatio plures quoque euacuari

posse

posse spiritus, At summæ manus vena diutius pateat necesse est, pro eadem exhaurienda sanguinis quantitate quam vena cubiti, ergo plures dissipabuntur spiritus saluatella, quam vena cubiti secta, & ex cõsequenti maior fiet virium iactura, Adde etiam eosdẽ spiritus ob aquę calidę fotum, qua detinetur manus, quadantenus resolui. Hæc tamen facile corruunt falsitate suppositi in priori argumento adinuentam, quandoquidem falsum est arbitrari adeo copiosos spiritus in venis à corde, & hæpate distantibus reperiri, ac in proximioribus, proximiores .n. venæ proprio fonti in quo gignuntur spiritus eorundem maiorẽ copiam recipiunt, modo cum saluatella distantior sit à corde, & ab hæpate, quam sint cubiti venæ, mirum non est, si minorem spirituum copiam recipiat, minusq. spirituosum sanguinem contineat, quod nos facile cognoscimus, tum ex frigiditate extremorum hyemali tempore percepta (hęc .n. à fonte caloris distantia magis frigescunt) tũ & earũdem venarum sectione, quoniam si aliqua distans à prædictis visceribus vena secetur, qualis etiam saluatella est, nisi calidæ aquæ fotus ad ministrentur, aut sanguis non exit, aut absq. saltu exit, & citissimè sistitur, signum euidentissimum exiguos spiritus in iis venis contineri, vnde Galenus dixit ex venis in summa manu sectis nihil essat u dignum effluere, hinc igitur patet ratio, cur copiosiores spiritus vna, quam altera secta vena effundantur, nec tenet exemplum de doliis allatum, si quidem eiusdem farinæ supponitur vinum in vtroq. dolio contentum at non ita de sanguine est afferendũ, nam in remotioribus à corde venis cõtentum minus spirituosũ in vicinioribus autẽ spirituosum magis sanguinem esse conspicimus, De Aquæ autẽ calidæ fotu dicimus, quod ipse sanguinem in summa manu contentum magis fluxilem fundendo reddit, quod patentiores meatus, & spirituum attractionem efficit, imo & eorum aliquam resolutionem; non tamen eam, quę fit vena in cubito secta, vnde mirum non est, si in febribus melancholicis, aliisq. longius protractis morbis, in quibus vires iam confractæ sunt, plurimi ex practicantibus sanguinem ex saluatella hauriendum præscribant, sed quid plura? hoc celeberrimi Græci, & latini obseruant, hinc Paulus lib. 6. cap. 40. in lienosis eam sinistræ manus venam, quæ inter minimum digitum, & proximum medio sita est, secandam præcipit. Sed inter cæteros doctissimus Franciscus Valesius lib. 7. Controuersiarum c. 1. hanc litem adeo appositè dilucidauit, quod nihil amplius desiderari possit, ille sic scribit," Mos est Medicis fere omnibus in affectionibus hæpatis, & lienis, cũ euacuationes alias tentauerint, ad sectionem venæ illius, quę in extrema manu est inter digitum auricularem & anularem tanquam ad sacram anchoram confugere, deinde eas rationes, quę huic opinioni aduersari videntur, affert, easq. confutat, atq. insuper propè medium hæc habet," Atq. ego olim ita censui his

argumentis adductus, & quia nulla causa succurrebat, qua ea euacuatio posset esse accomodatior, quam quæ ex cubito video, nihilominus omnes, qui medicinam factitant hac missione sanguinis vti, vt experim nto comprobatissima, & ego ipse eam familiarem mihi ad hypocondriorum affectus longo vsu iam feci, neq. possum negare videri eam sæpé etiam vtiliorem ea, quæ ex cubito, proinde causam longa meditatione inuestigaui, atq. merito fuit inuentu difficilis, vt potè quam nullus explicuerat, & si quidam antiquorum, & neotericorum etiam tentauerant, Tandem aliquibus interpositis hæc subdit "Sed quæ causa rei huius idonea sit, superest, dicamus, certe extremæ partes internarum sunt emunctoria naturalia, non tamen quæcumq. sed earum, cũ quibus habent rectitudinem, velut extremæ manus hypocondriorum dextra hępatis sinistra lienis, atq. membri cuiusq. excrementa naturaliter vergunt in illius emunctoriũ, & quo natura vergunt per loca conferentia, eo oportet duci Ergo maximè expedit laborante hæpate venam secare in manu dextra, (quemadmodum laborante liene in manu sinistra) quia facile trahetur, quo secundum naturam consueuit pelli, idq. non in principio, cum copia est maxima, ;sed post alias euacuationes, quià tùnc meliùs poterit membri facultas excrementa sua pellere, cum deposita erit multitudo, & ex toto corpore confluere cessauerit, Hactenus Valesius, quem qui consulet, vberiorem intellectui pabulum subministrabit.

An in melancholia hæmorroidales venas aperire prosit, & præsertim applicitis hirudinibus? Cap. VI.



Ippocrates 6. aph. XI. melancholicis hæmorroides superuenire bonum esse pronunciat, quod ex Galeno in cõmento non solum ratione euacuationis, sed & ipsa qualitate humoris euacuati fieri habemus, hæ etenim sanguinem crassum consueuerunt euacuare humore plenũ melancholico, Quamobrem cum medicus sit imitator naturæ, & hæc sanguinis fæculenti in corpore redundantis nullam moliatur expulsionem, poterit ille hasce venas hirudinibus adaperire, quemadmodum hodie, est in frequenti vsu, & præsertim si hæmorroides melancholicis innatæ sint, sed & si non sint innatæ sunt adaperiendæ, quandoquidem eo ducendus est humor, quo natura vtiliter illum purgare consueuit, consueuit autem nigrum sanguinem per hæmorroidas excernere, hinc Galenus 4. aph. commento 25. assuefaciendũ esse ei, quæ fit per hæmorroidas, euacuationi assentitur, quando natura multum talem sanguinem accumulauerit, nec immerito, quandoquidem (vt ibidem scribit) iam factæ melancholię maximum est remedium sanguinis ex his venis profluuium, quã etiam

etiam, si futura sit, prohibet. Nonnulli tamen harum venarum apertionem damnant, tum quia igens sanguinis fluxus interdum subsequatur, nec sisti possit, tùm quia, si hac euacuatione sæpius repetita assuescat natura per has venas sponte exonerari, & interdum sanguis supprimatur, maius inde malum exoriri queat; At facilis est his responsio, non .n. indifferenter hoc remedij genus est administrandum, sed recta cum ratiône, ità vt non sint iis aperiendæ hæmorroidales venæ, qui sanguinem tenuem, & acrimonia præditum habent, sanguis .n. tenuior, & acrior difficilius sistitur, sed melancholicorum sanguis frigidior, ac crassior, vt ad prescriptam à Medico mensuram fluere possit; necesse est, vt in ea parte vel fotus ex spongiis, calida madefactis administrentur, vel vt patientes super vase calida semipleno insideant; præterea ea semper debent esse in promptu, quæ sanguinis euacuationem, si excederent sistere possint, si vero natura sit assueta per has partes sanguinem excernere, & hic aliqua de causa supprimatur, tunc alacriori, animo has venas reserare possumus, cum ex his anteà profluerent sanguis cum conferentia naturæ, sed hoc vnum, est quod huic veritati valdè obstare videtur, nam cum omnibus compertum sit, hæmorroidales venas duplices esse, internas, quæ à porta vena originem trahunt, & externas, quæ à caua propagantur, & in illis feculentus, ac crassus, melancholicusq. sanguis, in his vero tenuis, & laudabilis contineatur, certum est internis nullo pacto hirudines applicari posse, si ipsis hanc apertionem tentare velimus quare nec et externis applicādæ erunt, dum atrum, crassumq. sanguinem euacuare est animus; Hinc nobilis, ac doctissimus conciuis noster, ità elegantiori sermone disserebat " Si arte procurandę sint hæmorroides, quis oportunum euacuandi tempus dignoscet, & naturam ad eius sanguinis expulsionem esse paratam? Si parata non sit pro impuro purum, aut tam purum, quam impurum sanguinem euocari constat, sed quicumq. hæmorroidas prouocare studet, si quicquam sapit, sanguinis fæditatem auferre, non reius copiam demere sibi persuasit imo sępè opinione sua medicus frustrari contingit, etiam si ex vsu decernat, nam cum natura ex venæ portę ramis plerunq. melancholicam hanc cacochymiam expurgare visa sit, cum venæ illæ internæ, atq. abditæ sint, quomodo naturam imitabitur, iis adapertis, quæ ex caua vena prodeunt? non inficior tamen hæmorroidas aliquando adaperiendas esse, sed tùnc solummodò, vbi externas hęmorroidas aperire statutis quibusdam temporibus natura ipsa consueuerit, ac impedita, vel sui muneris oblita sanguinem profundere desierit, tunc .n. coniiciendnm est naturam ad hunc motū esse paratam, quando iisdem temporibus, iisdemq. signis pręcedētibus aliàs ad melancholici sanguinis expulsionem insurrexit; Amplius (prosequebatur ille) neq. reuellendi gratia à capite hæmorroidales venę

sunt


sunt aperiendæ, quod tamē fieri quotidie videmus, nam si reuulsionis natura in hoc posita est, vt ad partes, quam longè distantes sanguinis impetus retrahatur, venę istę non longissimè distant à capite, quare potius quę in pede sunt, si ex arte reuulsio instituitur, sęcandæ erunt, præter hæc si quam primum morbo occurrere animus sit commodius ampliori vase dissecto prauum sanguinis motum compescemus, quam ex venarum exilium ramusculis tenui hirudinum morsu compunctis; si tamen deriuandum sit, ex hęmorroidibus sanguinis missio locum habere potest, vt ex vniuersalibus præceptis ad deriuationem attinentibus v. methodi cap. 3. deduci potest, Hactenus doctissimus vir cuius rationes si examini subiiciatur, facilè refelli posse adinuenias, & quoad postremam spectat, certissimum est nos à capite reuellere, dum pedū venas secamus, & ab eodem deriuare, dum brachiorum venæ inciduntur, Modò cum hęmorroidales venæ inter prædictas veluti medient, nemini dubium est, quod ipsis adapertis tum deriuatoria, tum reuulsoria simul fit euacuatio, nam si ad brachiorum venarum apertionem respiciamus reuulsoria, quemadmodum ad pedum venarum apertionē habito respectu deriuatoria appellari poterit, præterea morbo rebelli qualis melancholia est, sępe non satis occurrimus sanguinis missione per sectam venam in brachiis, hinc est, quod ad apertionem venarum hæmorroidalium confugimus, & ità prauum sanguinis motum magis compescimus, & præsertim cum per has venas natura peccantem humorem, nempè melancholicum succum soleat repurgare, adde quod interdum in melancholicis brachiorum venas secare non licet (quod persæpè, in hypocondriacis contingit) quo casu hæmorroidalium apertionem consulunt omnes. Ad rationem vero priori loco adductam, & à doctissimo viro longiori oratione prosequutam, dicimus nihil prohibere, quin externæ quoq. hęmorroidales venæ melancholico sanguine abundent, quoniam si plenitudini tantum euacuandæ dicatę essent, & non cacochymiæ, seu melancholico sanguine, senescentes quibus optimi, puriq. sanguinis copia, vt plurimum deest, raró exercerent, & iuuenibus, qui plenitudine haud raro laborant, plerumq. superuenirēt sed oppositum videmus, Addamus, quod sæpe non in venæ tantū portę ramis melancholicus contineri sanguis depræhenditur, sed & in venæ cauæ non descendentis tantum, sed etiam ascendentis, vt ex morbis coniicitur, qui à melancholico humore proficiscentes superiores corporis partes aggrediuntur, Certe natura quantum valet melancholicū vtrumq. succum secernit, inq. venam portæ deponere studet, & idcirco internas hæmorroidas huic muneri comparatas esse, iure statutum est, at cum non semper totus excerni possit, sed sanguini permixtus per vniuersi corporis venas permeet, tunc naturali huius humoris propē sione, ætate iam inclinante, quo quidem tempore natura per internas

regiones

regiones euacuationes instituit, sanguinem per descendẽtis venæ cauæ propagines expurgat. Hinc Galenus in lib. Hipp. de humoribus comm. 3. hæc habet " Scire tamen conuenit non semper boni consulendum esse, vt sanguis per infernas partes ex hæmorroidibus effluat sed tum deniq. cum nigra excernuntur, & hominis natura multum humoris huiusmodi accumulat, alioqui non est natura tali euacuationi assuefacienda, & hinc insuper oportunum tempus ad hæmorroidalium venarum apertionem, & naturam ad melancholici sanguinis expulsionem esse paratam dignoscere addiscimus, quando scilicet hominis natura multum huiuscemodi humoris accumulat, quod in melancholia contingere nemo ibit inficias, Tandem (vt aliquid de hirudinibus tangamus) huius opinionis veritatem perturbauit clarissimus Mercurialis, dum in altero Consultationum medicinalium tomo Consult. 2. scripsit se ratione, & Galeni authoritate, & certa experientia dedicisse, opera hirudinum quæ tenuissimum foramen faciunt, sanguinem crassum, & melancholicum effluere non posse, & idcirco exeunte tenuiori parte remanere semper crassiorem, & huiusmodi opinionem sequutus est etiam Alexander Massaria, quæ tamen refellitur, quandoquidẽ experientia à Mercuriali obseruata suspecta est, dum multorum aliorũ medicorum insignium experientia contrarium asserit Galenus autem cuius authoritati innititur cap. 1. lib. de hirudinibus &c. scripsit hirudines illum sanguinem attrahere, qui carni adiunctus est, non qui in imo corpore continetur; quare cuiuscumq. generis ille sanguis sit, siue melancholicus, siue biliosus, siue pituitosus, attrahetur ab hirudinibus, ità vt ex hoc non possit perpetuo inferri, ab iis tenuiorem sanguinem attrahi, non autem crassiorem, imò cum in melancholia venis hæmorroidalibus applicentur hirudines, & in illis sanguis crassus contineatur, iure optimo ab ipsis sanguinem crassum attrahi fatendum erit; At quia hæc forte non arridebunt, excellentissimi, & amatissimi præceptoris Claudini sententiam afferam, ille de Ingressu ad infirmos lib. 2. c. 5. hirudines non à partibus tantum cutaneis, sed è profundis etiam, & à toto euacuari scripsit, quod præter authoritatem Auicennæ qui id aperte, fassus est rationibus etiam probat, inter quas hæc vnica esto, Hirudinibus applicitis (inquit ille) tã copiosus interdũ sanguis euacuatur ex Galeno lib. de V. S. c. 19 vt pro eo sistendo ad causticorum, & emplasticorum vsum deueniendum sit, imo vt cachexia, & hydrops subseqnantur, at tantum sanguinis quomodo fieri potest, vt euacuetur ab illis, nisi ex toto trahant ? ex qua ratione etiam illud obiter contra Massariam constat non tantum tenuem, sed etiam crassum sanguinem educere, et paucis interpositis subdit, " Quod si Galenus aliquando dixit subcutaneum tantum sanguinem educere hirudines, is de iis loquutus est, vt pro vacuatione locali, et particulari, cui

nulla habita ratione venarum, ficuti & cucurbitulæ adhibentur. Hactenus præceptor amatiffimus. Demum ratio quam Mercurialis in angustiam inflicti vulneris refert, facile à Capinacceo diluitur lib 6. de febribus cap. 23. vbi de hirudinibus, ait .n. foramen illud à sanguinis impetu dilatari, aut nisi amplietur, nihilominus si locus spongia foueatur ex præcepto Oribasii, crassum sanguinem attenuari, & per foramē exiguum egredi posse, quod & ipse experientia frequentissime comprobauit; Addamus, & à nonnullis sancitum esse hirudines proprietate quadam melancholicum sanguinem attrahere, quod ratione non parum consentaneum extat, quid cum hirudines terreæ, & frigidæ sint, rationabile est sibi conueniens, similesque alimentum attrahere, terreum scilicet, ac frigidum, cuius censsus melancholicus est sanguis.

An liceat in aliqua melancholiæ specie statim ab initio, vel vllo tempore ad alterantia se conferre nullis euacuationibus præmissis? Cap. VII.



AD alterantia nos aliquando deuenire nullis præmissis euacuationibus suadet omnium ferè medicorum consensus, nimirum quando melancholia fit cerebro essentialis, nam si solum caput est affectum, ad quid purgabimus totum corpus? Hinc Galenus 3. de loc. aff. c. 7. monebat amicos, se nullo alio adhibito præsidio huiusmodi morbum curasse frequentibus balneis, victuq. humido, boniq. succi, Nec in totum corpus morbificos humores quoq. dispersos esse, quis dicat, tunc .n. confunderetur melancholia essentialis cum ea, quæ est per consensum à toto, & tamen datur melancholia soli capiti adeo compens, vt reliquę corporis partes ab omni humore melancholico morboso sint immunes, imo si in hoc casu corpora purgentur, exiccantur magis, at in melancholicis nihil siccitate deterius, vnde & Galenus noster ad hanc melancholiæ speciem respiciens præcipit, vt si secta vena sanguis ruber appareat, statim supprimatur, nouit .n. non laborante toto corpore, sed tantum cerebro, nedum inutilem, sed perniciosam esse sanguinis missionem, non improbatur quidem, vt ante vsum alterantium quis vtatur lenientibus quibusdam medicamentis ad ea expurganda excrementa aptis, quæ in omnibus corporibus varia pro temperamenti varietate augeri consueuerunt, etenim hæc purgatio non immediate dirigitur ad superandá melancholiam, nos autem quærimus an solis alterantibus curari possint melancholici prætermissis euacuationibus, quæ ad educendam melancholiam administrari solent, Quod si quis obiiciat, non ne in melancholia essentiali potest cerebrum esse hoc humore refertum? nō

ne ergo licebit vti purgantibus saltem ratione materiæ, quæ est in capite? Huic respondeat Galenus, dum ostendit se sol. s alterantibus huius modi morbum curasse, vbi non dum ob longum temporis tractum nocuus humor multum vacuationi resisteret (Insensibiliter.n.alterantibus & calore natiuo ipse digeri poterat) sed cum diuturnus iam factus est morbus, fortiora vt Galenus addit, prædictis remedia adhibere oportet, tunc n. nocuus humor cum magis vacuationi resistat non sufficiũt ea, quę insensibiliter euacuant. sed ad quæ manifesté educunt, necessario deueniendum est, vti ad medicamenta purgantia, atq. ad sanguinis euacuationes, Neque hic forte aliquis pertinacius afferat melancholicam materiam non esse, purgantibus per os exhibitis educendam, ea ratione motus quod mitiora nihil proficiant, valida autem purgantia antequàm ducant humorem in capite contentum propinquos euacuent humores, qui innoxii, & vtiles sunt, atq ità distantes ratione vacui attrahantur in venas. quo pacto vel humor bonus euacuabitur, & relinquetur in venis melancholicus, vel si vterq duci debeat, opus erit euacuationẽ esse adeò immoderatam. vt corpus colliquet, & exiccet, & ex consequenti ad deteriorem melancholiam pronum reddat patiẽtem. Sed non ne quisquis in re medica vix initiatus sciet purgantia medicamenta quantumuis valida dummodò electiuè purgent, eum tantum educere humorem, qui morbum facit, aut fouet, & quem educere est animus, alios verò humores ne mouere quidẽ? à medicamento .n. electiuè purgante non quilibet humores, sed particulares tantum euacuantur, neq hi ratione vacui propinquioribus eductis humoribus euacuantur, sed quia proprium est talium medicamentorum tales attrahere humores ad ventriculum, & intestina et hinc stimulata natura eos appositè per sedẽ excernat, Quapropter exẽpli gratia Epithimũ, polipodiũ, ac cyaneus lapis, quæ omnia melancholicũ attrahunt humorẽ, non flauam bilẽ euacuabunt, non sanguinẽ, nisi in tam magna, copia exhiberentur, quæ super purgationẽ facerent. quare nec corpus e[illegible] colliquabunt aut vehementer exiccabunt, et quamuis etiam a purgantibus me medicamentis corpora aliquam siccitatẽ recipere possint, nihilominus talis, ac tanta est opes, quam eductione melancholicæ, atq morbificæ materiæ recipiunt, vt detrimentum ratione siccitatis nulli faciendum sit, imo purgantia medicamenta in hoc casu ex accidenti humectant quatenus scilicet è corpore extrahũt materiam melancholicam, à qua in eo manente semper, ac longè magis exiccatur corpus, quam à cathartico in ipso breui commorante, vnum est animaduersione dignum et à paucis forte consideratum, an scilicet in melancholia essentia li etiam progressa adsit magna, vel parua copia humoris melãcholici nam potest esse minima huius humoris copia, et tamen adesse in cerebro sicca intemperies iam antiquata, quo in casu nihil perniciosiùs excogitari poterit iterato vsu purgantium medicamentorum, etenim exiccatur

vsq adeo cerebrum, & imminuuntur spiritus, vt melancholię fatuitas, & amentia succedant, id autem ex prægressis causis, nec non ex maoiri, vel minori melancholici affectus sæuitia dignosces.

An placidis, vel validis purgantibus medicamentis vti oporteat in melancholia? Cap. VIII.

IN hoc affectu cathartica medicamenta paulò vehementiora humor melancholicus exposcere uidetur, quia crassus, ac terrestis est, vnde nisi magno impulsore tractetur, vix potest depelli, ad quod fortè respiciens, Galenus lib. de atra bile c. 9. hęc habuit, " Omnes quotquot ex melancholico humore fiunt affectus, statim inter initia strenue purgans talem humorem euacuantibus, crescere prohibebis, vel vsq. ad cancros, item ad initium libelli quos quibus, & quando purgare oporteat, scripsit se melancholicos vere, & autumno medicamento nigram bilem valentius subtrahente purgasse, atq. itâ sanasse, & Herodotus quoq. referente Oribasio lib. 8. Collect. c. 3. propinabat elleborum, id .n. ex elleboro lucri facimus, dicebat ille) vt statim perficiat id, quod ars ipsa polliceatur, iis verò, qui insaniũt, neq. vllo pacto eum sumpturi sunt, propterea quod omne alimentum suspectum habeant, itâ paratum optime dabimus, nam licet perfectè morbum non expellat, minuit tamen adeò, vt sæpè etiam ipsis volẽtibus iterum propinemus. Nonnulli tamen valida cathartica reprobant, eò quià ab his melancholicus humor exacerbetur, non secus ac cãcer ab appositis medicamentis, quæ digerendi, & abstergendi vim habeant, præterea aiunt, quod si melãcholicus humor prouenerit, vel ex sanguinis abundantia cum calore, vel ex alicuius membri calida intemperatura, vel deniq. ab externa causa ipsum propagante, tunc vsu violenter purgantium nimis offendentur laborantes, quia cum valida medicamenta calidiora sint, sanguinis, ac partium caliditatem augebunt, atq. itâ copiosior fiet atræ bilis prouentus, Tandem si de melancholia hypocondriaca sermo habeatur, â validioribus cauendum esse volunt medicamentis; quià ventriculo, & partibus illi proximis laborantibus ista nõ conueniunt, & quamuis Auicennas in melancholia hypocondriaca pertinaci, & antiqua vtatur albo veratro, sicuti & Græci nihilominus ab eius vsu desistendum est potius & præsertim temporibus, quibus corpora delicatiora sunt, nam insigne detrimentum afferre solet elleborus albus. His autem apertissimè fauet Galenus in 1. aph. comm. 24. dum scribit omnes eos ineptos esse ad purgationes, quibus extẽta, atq. inflata sunt hypocõdria, aut supra modũ calida, atq. ignea existũt, quibus omnibus, vel aliquibus saltẽ detineri hypocõdriacos certissimum, ac perpetuum est, Cæterũ vt hęc quęstio decidatur, dicendum est, melancholicum humorem â validis purgãtibus tanquam nimis calidis efferari, nisi prius melancholicus humo

ca-

calidus, & ſiccus exiſtens, qui atra bilis appellari ſolet, at temperetur refrigerantibus, & humectantibus, dum .n. frigidus eſt, ab illis non efferatur quod ſi à perito medico fiet nec etiam offendentur laborantes, qui valida medicamenta ſumpſerint, quamuis à copioſo, ac calido ſanguine proueniat humor melancholicus, ſiq. dixerit aliquis in viſceribus adeſſe intemperamentum calidum, huic reſpondeatur, & illud quoq. corrigi dum refrigeratur humor, nec ſi ſatis correctum fuerit, poſt validum purgans exhibitum debet iterum & frigidioribus emendari, ità vt cathartici caliditas non ſit pertimeſcenda, quod optimè adnotauit Galenus lib. Quos purgare oporteat &c. his verbis, "Ex quo (poſt aſſumptum ſcilicet medicamentum purgans) vt ptiſſanæ ſuccus vtiliter abſorbeatur, quippè qui abſtergere, & inferius trahere poſſit id, quod tranſeundo meatibus ſe implicuit, & temperare, atq. immutare medicamenti qualitatem, quę membris inſedit, quas ob res iubet Hippocrates, vt poſt purgationis portionem ægroti ptiſſanam abſorbeant &c. amplius nos ratione à ſimili petita his addere poſſumus, quæ protulit Galenus in 1. aph. comm. 24. " Non igitur ob igneam febris (dicebat ille, nos humorum ac viſcerum dicamus) caliditatem purgationem adhibemus, hanc .n. ſcimus ſui ratione nocere, ſed propter humores illam efficientes, quare maiorem oportet ex noxiorum humorum euacuatione fieri vtilitatem, quam id, quod neceſſario conſequitur ex purgantibus medicamentis detrimentum, Quoad hypocondriacam attinet melancholiā, ſi prius viſcera deobſtruantur ac illorum tenſiones mitioribus purgationibus minuantur, nec tamen cedat affectio, tunc ad valentiora eſt deueniendum, ſed prius, ac ſæpius mitiora tentanda ſunt, Hinc Ludouicus Mercatus vir doctiſſimus proprio de melancholia capite ait, quod prius oportet melancholicū humorem miteſcere humectatione, & attenuatione facta, ac poſtea mitioribus medicamentis, & per interualla ipſum extrahere facto ſenſim maioris medicamenti augumento, pro vt plus conſtiterit eſſe præparatum, ſed plures adhuc remanent enodandæ difficultates; Priori anſam dedit Aloiſius Mūdella egregius Medicus Brixienſis, dum Epiſt. 22. maximè inuehitur in vſum purgantium medicamentorum, inter cętera .n. refert ex Galeno 9. meth. quod ſanè virtus læditur à medicamentis, quæ moderate, ne dum quæ immodice aluum ſoluunt, ex quo non ſine ratione quis inferat, tantum abeſſe vt melancholici, quibus os ventriculi debilius & vire simbecilles extant, validiora cathartica medicamenta aſſumant, quin à leuioribus etiam cauere debeant, Ad hoc reſpondetur, id quod Galenus nos docet lib. quos purgare oportet &c. his verbis " oportet autem admixta ſemina talia eſſe, quæ & medicamenti malitiam retundere, & eius opus impedire nequeant, quæq. attenuare, & incidere valeant &c. Si .n. hęc Galeni præcepta obſeruauerimus minime lædentur vires, & ventriculus, ſiq. his peractis

adhùc aliquo pacto læderentur vires, sciendum est plùs commodi naturam, et ægrotum suscipere ex euacuatione morbifici humoris per catharticum medicamentum facta, quam sit detrimentum, quod ex virium læsione recipere possit, quandoquidem euacuata morbifica materia vires, quæ in deiiectione debilitantur, cito reparantur, et viuidiores fiunt, quibus maximè assentiri videtur Galenus 9. meth. c. 10. vbi sic," Si namq. abundantia pauló viribus superior fuerit, vtique ex moderata vacuatione adeo nullum accedit viribus incommodum, vt etiam maximum comparetur commodū, quod eas premebat sublato, Secundò itá arguitur, Melancholicus humor ob sui crassitiem rebellis esse solet itá vt sæpè non cedat medicamentis purgantibus, quæ si suo fine frustrentur, nec succedat euacuatio, aut in perniciem, et venenum vertentur, vt innuit Galenus ad calcem libri Quos purgare oporteat &c. aut in eum vertentur humorem quem trahere nata erant, vt idem Galenus scriptum reliquit lib. 3 de simp. med. fac. c. 24. quorum vtrumq. noxium erit, Ad hoc dicitur, et nos ob id ad valentiora medicamenta confugere oportere, vt inde succedat euacuatio, ab hac .n. omne ex iam dictis detrimentum aufertur; Tertiò cum melancholicus humor acris sit ex Auicenna fen. 1. lib. 1 doct. 4. & ob id pūgat mordicet, ac facultatem excitet expultricem, non indigebit insigni irritatione fortis medicamenti, vt exppellatur, quoniam aucto irritamento superpurgatio immineret, Respondetur per melancholicum humorem vel intelligi propriè succum melancholicum, qui est veluti fex sanguinis, & humor frigidus, et siccus est, vel atram intelligi bilē, hæc acrimoniam habens, & pungere, et irritare poterit, ille vero acrimonia carens non augebit validioris purgantis irritamentum. Hinc Auicennas c. 1 loco iam cit. ait choleræ nigræ aliam esse naturalem, aliam non naturalem superfluitatem, & naturalis ex eodem est boni sāguinis fæx, cuius sapor inter dulcedinem et ponticitatem existit; Argumentūigitur pro atra bile militat, pro cuius solutione afferā quod animaduersum fuit á Galeno lib. Quos purgare oportet &c. nam si morbus qui ab atra ista bile producitur diuturnus fit futurus, antequā ipse expurges, semper expectanda erit concoctio, sed cum melancholia inter diuturnos reponatur affectus certè expectare poterimus coctionem, seu saltem præparationem eam præmittere, qua mediante attemperetur atra bilis, et obtundatur acrimonia illius, quo præstito ex validioris purgantis irritamento superpurgatio non erit pertimescenda, si autem atra ista bilis concitata sit, & acutum potiùs morbum productura, tùnc furor seú mania, si cerebrum petat, nequaquam melancholia producetur, quo in casu statim euacuandam esse atram bilē censemus, sed vt nos docet Galenus eodem loci, & alibi cum magna animaduersione, itá vt tunc temporis, nisi detur attemperare humorem

pos-

possimus saltem validum medicamentum, quod crassus humor requirit, ità corrigere, & quoad quantitatē moderare, vt peccantis materię euacuatio, non autem superpurgatio sequatur. Quartò & vltimò extat hæc ingeniosa argumentatio, Quid opus est valido medicamento ad educendam aquam? Aqua dicitur ab Hippocrate melancholia) (sic .n. interpretantur omnes) lib. 4. de morbis, & libello de genitura, fortè quià humor serosissimus sit, & veluti aqueus, at iste cum valdè tenuis, ac fluxibilis sit, non indiget valido pharmaco, imo cum talis sit non medicamento purganti per inferiora erit educendus, sed per vrinam, Hinc Galenus 2. ad Glauc. in curatione quartanæ iubet diureticis vti, & 2. Epid. sect. 2. extat Bionis historia, qui cum plurimùm minxisset, & sine subsidentia, ideò liberatus fuit à liene in gibbum elato, & duro. Respondetur Hippocratem huiusmodi humorem aquam appellasse respectu copiosæ serositatis qua diluitur, ac ferè immergitur melancholicus humor, qui alioquin crassissimus est, & ideo ipsi multum serum permisceri debuit, quod eiusdem vehiculum esset, quapropter si illius serositatem tantummodo respiciamus, nec valido indigebit pharmaco, & per vrinam diureticis medicamentis excerni poterit, cum renes serosis humiditatibus oblectentur, sed de hac excretione nos proprio loco agemus, si verò ipsum serosa materia denudatum inspexerimus, certè nec leui pharmaco, nec per vrinas tam facilè expurgari poterit & præsertim si cerebrum, ac superiores partes affecerit At omnibus controuersiis dimissis animaduertendum est an corpus diù iam contabuerit, humorq. plus aridus esse quam copiosus comperiatur & vires accidentium vi collapsæ sint, tunc .n. blandioribus solum est vtendum purgationibus, in longè tamen maiori copia, dummodo sint tales, quæ leniendo potius partes corporis aluum moueāt & humores exagitent, quàm deiectione, & efficacia, similiter si ab animi passionibus melancholia sit inducta, cum hæ vel corpus exiccēt, vel spiritus, & humores exagitent, in ea leui pharmaco vtendum præterquamquod non melancholicus succus (sic .n. affecti quam paucissimum habent, quod plerumq. afficiantur defectu spirituum vitalium, & humidi substantifici), sed crudi succi in ipsis adinueniantur, quos ex mentis distractione copiosos gignunt, vnde & in his etiam à sanguinis detractione cauendum, quandoquidem corpus humectare, ac reficere, animumq. exhilarare satius est Verum, si humor terrestris, crassusq. citra sanguinis, aut aliorum humorum, aut etiam partium efferuescentiam steterit, vt hęc leuia nullius sunt momenti, ità valentioribus vtendum esse pharmacis consulit prædicti humoris conditio, dummodo (vt vires sufficere tanto medicamento possint) in minori copia adhibeas, & frequentius repetas, quippe (vt optime referat Mercatus) quantitatis modestia eius frænatur inclementia, & vsus frequentia conteritur, & minuitur durissimus humor.

An ab initio medicamenta purgantia in melancholia conueniant? Cap. VIIII.

GAlenus 1. ad Glauc. c. 11. tradẽs quartanæ febris curationẽ quę à melancholico humore non secus ac melancholia ipsa dependet, nullum ab initio medicamen exhibendum, nullamq. tentandam euacuationem esse pręcipit, nisi superabũdet sanguis, tunc .n. sanguinem mittit, si vena incisa niger appareat; Quicumq· .n. (vt ipse ait) ab initio aliquod ex iis medicamentis (& inter hęc quoq. purgantia valida, quæ atros humores exinaniendi vim habent, & elleborum ipsum recenset) exhibuerunt, aut omnino antestatum, quartanam, quæ erat simplex, sæpius fecerunt duplicem, aut omnino maiorem, ac difficiliorem ex duplici autem triplicem, aut omnino ambas difficilliores, maioresq. reddiderunt, Imo Galenus eodem loci pręcipit vtendum esse clyster bus, dum quæ ventrem mollem faciunt vsitata nihil profecerint, et à principio quidem mollibus, postmodum vero acrioribus, quare si a principio acriores renuit clysteres. quo magis purgantia medicamenta, cum hęc per os exhibita in penitiores, ac magis præcipuas partes se se indere possint, clysteres autẽ crassiora intestina non transcendant? preterea Hippocratis pręceptũ habemus 1. aph. 22." Concocta medicari, atq. mouere, non cruda, neq. in principiis, modo non turgeant. Sed melancholicus humor, & si quis alius in initio melancholiæ crudissimus est, cum .n. admodum crassus, ac terreus sit, longo indigeat tempore ad ipsius coctionem, quod, et ex effectuum diuturnitate, quos ipse producit dignoscitur. Insuper et Galenus in commento addit, eos humores, qui iam sunt in ali qua corporis parte firmati, nullo alio auxilio mouendos, neq. euacuãdos esse ante coctionem, Modo si melancholia sit essentialis, iam humor in cerebro firmatus est, si hypocondriaca, in aliquo hypocondriorum ita vt excepta melancholia a toto, cuius materialis causa in totius corporis venis existit, in nulla alia melancholię specie ab initio purgantia medicamenta sint exhibenda. Hinc Galenus 3. de loc aff. c. 7. ait, melancholicos quibus in vniuerso corpore melancholicus humor abundat, egere ab initio, aut venę sectione, aut purgatione, Sed altera ex parte et in aliis melancholię speciebus hoc idem conuenire videtur, nam Galenus lib de atra bile c. 9. ait, quod omnes quot quot ex melancholico humore fiunt affectus, crescere prohibebis, vel vsq. ad cancros, si statim inter initia strenuè purgabis talem humorẽ euacuantibus, & certè si propter quid purgandum esse materia turgente insferit Hippocrates examinemus, sanè nulla alia de causa hoc factum dicas, nisi quia materia turgens, quę de loco ad locum impetuo se mouetur, ad aliquam partem principem se non conuertat, sed si ob timorem solum ne principem partem turgens materia petat, ab initio expur-

expurganda, est quo magis expurganda erit materia, quę illam iam petit? In melancholia igitur atra bilis ab initio expurganda erit, quæ iam cerebrum occupat, et eò magis ab initio, quo non ad huc tam pertinaciter adhęret, nam vbi iam in aliqua corporis parte firmatus est humor, non ante coctionem, vt superius dicebat Galenus euacuari debet Modo in melancholia à principio etiam si confluxa sit in cerebrū atra bilis, non tamen in eo adhuc impacta, atq. firmata est & ob id quāprimum, ne firmet-r medicamento purganti melancholicus humor est euacuandus, Hinc autem quartanæ febri non conuenit, cum illius efficiens materia vt plurimum in liene, vel alio ignobiliori loco stabuletur Hippocrates tamen lib. de affectionibus non longè ab initio, seu quisquis fuerit author, à Galeni precepto alienus est, ità n. loquitur, " Si verò quartana apprehenderit si quidem impurgatus fuerit, caput primum purgato &c. Equidem dicerem ego huic operi tanquam Hippocratis spurio non esse assentiendum. Si quis tamen velit non contēnendi authoris esse opus, & cui fides non sit abroganda, tunc dicerem caput quamprimum expurgari, ne forte quartanæ etiam melancholica affectio coniungeretur & quamuis à quartana habito melancholia recedat (ab aliis .n. morbis liberat quartana ex Hippocrate. & Galeno in 1. de Morb. vulg. cōm. 3. par. 4.) nihilominus fortè coniungi posset, vbi copiosus admodum iste melancholicus humor exuberaret. Cęterum quod & Galenus quoq. non solum fluentes materias, sed etiam fluxas imò & impactas, atque firmatas soluente pharmaco educere consueuerit, dum caput petunt, non modo ex loco de atra bile supracitato, sed & ex his facile vnusquisq. coniicere poterit, nam 1. de compos. medicam. secundum loca in alopecia, in vlceribus capitis, quę à Græcis achores vocantur, & lib. 2. in dolore capitis nulla premissa preparatione statim ab initio purgationem consulit Galenus, & lib 13. Meth. multos ex oculorum inflammatione, vna die sola purgatione curatos fuisse ait, sed si hoc facit Galenus in externis morbis, cur non & idem multo magis in internis, ex quibus vitę periculum imminet? non ne scimus ex melancholia sæpè comitialem morbum, & adhuc apoplexiā oriri, quam fortem soluere est impossibile, debilem vero non facile? ergo talia pericula subeunda erunt, nisi in melancholia ab initio pharmacis expurgemus. Amplius si ex mala & praua qualitate humoribus insita morbus proueniat illico nulla interposita mora vacuandum est v. turgentibus, & pestifero tempore vigētibus humoribus, sed ex Galeno atra bilis sępè malignam qualitatem habet adiunctam, vndè ipse lib. 2 de nat. fac. c. vlt. nigram bilem longè malignorem reddi, quam quæ naturalis est scribit. Verum (vt vnicuiq. patet) cerebrum pars maxime præcipua, est quod prauis humoribus obsessum statim purgationem requirit, & interdum, non obstante melancholici humoris crassitie, nec quod fluida facta sint corpora, quemadmodum præcipit in aphorismis Hippocrates, nam valde maius detrimentum ex diuturna

mora

mora atrabilarii humoris in cerebro sequetur, quam ex purgatione inter initia administrata, & ratio est, quia quemadmodum docet Hippocrates lib. de Humor. „ Humor in corpore diutius manens noxius est & Galenus in 6. aph. comm. 53. de melancholico humore particulariter loquens, ait, hunc atram bilem nos vocare interdum nominibus abutentes, quoniam si non prius euacuetur, paulo post atra futura est, quare perbelle hic quadrat aphorismus Hippocratis „ Initio si quid mouendum videtur, moue, nam Galenus in commentò dicit," Circa initia illorum morborum, in quibus speratur ægrum conualiturum, tentandum maiora afferre remedia, sunt autem hęc maximè venæ sectio, nonnunquàm vero & purgatio, quorum nihil oportet morbo iam consistente adhibere, vt in libris de crisibus manifestauimus, coctiones .n. tunc maximé fiunt, vt igitur hę citius eueniant, melius est circa principia euacuare, quo minorem iam factam materiam natura facilius, & commodius possit concoquere, hactenus Galenus, sed quid ad eundem, qu (vt in superiori quęstiuncula adduximus) lib. Quos purgare oportet, &c. nos docet, quod si morbus, qui ab humore producitur, diuturnus sit futurus, antequam ipsum expurges, semper expectandam esse coctionem? Modò cum melancholia ab humore melancholico producta diuturnus soleat, esse morbus, in ipsa non ab initio purganti pharmaco vteris sed apparente coctione, Respondetur à nonnullis humores, qui coctionem, antequam expurgentur expectare debent, esse humores crudos, qui ex sanguine nondum perfecto exist ẽtes coctionem omnino desiderant, At melancholicus humor nequaquãm crudus est appellandus, cum ex sanguine plus quàm cocto, imo adusto efficiatur, Accommodatior tamen, ac verior meo iudicio responsio erit, si dixerimus coctionem à Galeno duplici modo intelligi posse, aut propriam et veram coctionem quæ vt plurimum in morbis acutis attendi solet, cuius signa in vrinis manifestantur, & in statu morborum fit, aut minus propriam & quæ in morbis, vel longissimis ante statũ, imo et in eorum initiis attendi potest, & hęc pręparatio quędam potius morbificę materiæ extat, ita vt si exempli gratia crassa, & dura sit, attenuetur et emolliatur, quam præparationem non excludit Galenus dum ab initio in melancholicis morbis nos purgantibus medicamentis vti debere fatetur, cum.n. adeo longum sit diuturniorum morborum initium, commodissimè ista præparatio præmitti potest, et antequam etiam diuturni absoluatur initium, nec.n. per initium colligit Galenus illud primum initii tempus duorum vel trium dierum, alioquin sibi contradiceret, dum in morbis ab atra bile excitatis coctionem expectandam esse suadet, et dum ab initio purgandum esse docet, Sic per coctionem non semper eam, quę in statu morborum fit, et quam exquisitam appellat Galenus 3. de crisibus c. 5. , sed minus exquisitã et, eam quam innuimus præparationem non raro intelligit, quo pacto nequaquam sibi contrarius erit Galenus, & quod ipse per coctionem intel-

ligat iam dictam preparationem, nos facile colligere possumus ex eodem in 5.aph.comm.70.dicente melancholicum humorem in quartana concoqui a calore febrili, quo loci certè per verbum illud concoqui, debemus intelligere præparari, idest attenuari, nam tantum abest, vt febrilis calor vere concoquat, quin potius verè coctioni obsit: vera enim coctio a natiuo calore fit, vnde Gal. lb de const. art.med. c.12. hanc non à medico, sed à natura fieri dicebat, sed febrilis calor tanquá naturæ contrarius, & illius potius destructor quomodo concoquat? hic bene poterit materias crassas rarefacere, & attenuare, ipsas fundendo, nisi admodum excesserit; tunc enim eas potius incrassabit, Hinc febrilis iste calor à Galeno in 6. aph comm 40. incidens, extenuans, atq; dissoluens appellatur, quæ quidem operationes incidendi, extenuandi, atque dissoluendi tum à natura, tum à febrili calore, tum à medico denique prestari possunt; vera autem coctio à sola natura perficitur. Tandem nisi arriserint ista, dicendum est cum doctissimis viris, & præsertim cum Valesio in commento illius aphorismi., Concocta medicari, &c. Quod coctio tantum fit in iis morbis, in quibus putrescunt succi, quare in melãcholia, in qua melancholicus humor non putrescit, nec etiã poterit expectari cõcoctio, sed saterit, si expectetur humoris, & viarũ præparatio ad expurgandum, quo pacto nec Galenus sibi contradicit.

An in Melancholia, quando caput purgare volumus, à cœna purgantia in solidiori forma exhibere sit oportunum. Cap. X.

PRæcipua ratio ob quam medici purgantia medicamenta à cœna exhibere solent, est, vt medicamentorum vis in affectibus capitis simul cum alimenti vapore ducatur ad cerebrum; ascẽdentibus enim post cibum ad cerebrum vaporibus multis, medicamenti vim promptius illuc duci existimant, & ob id caput fælicius expurgari posse autumant, hinc in frequentissimo vsu est apud plures ex practicantibus à cœna purgantia medicamenta præscribere, & præsertim in solidiori forma. Hinc Auicennas lib.5. tr.9. vbi de pillulis agit passim eas à cœna, & dormituris exhibendas esse scribit, sed & Paulus Aegineta quoque deiectoria medicamenta à cœna exhibenda prescripsit lib.1.c.43. Amplius in melancholia, quæ per essentiam est, & si quo in affectu couenire videntur cathartica medicamenta à cœna exhibita, quia cum hec exsiccẽt, & in citata melancholia cerebri exiccatio non augenda, sed pro viribus minuenda sit, hoc commodi elicimus si prædicto tempore medicamenta exhibeamus, vt ex admixtione humidorum vaporum ex cibo elatorum vis exiccans cathartici obtundatur, ita ut inde nulla, vel minima cerebro noxa imminere possit. A doctissimis tamen viris hoc tempus ad exhibenda cathartica medicamenta

menta ineptum, nec oportunum existimatur, & pluribus rationibus eorum fulcitur sententia, & primò, Quod à cibo in ventriculo existente vis medicamenti retundatur ita ut vel frustra catharticum exhibeatur, dum humorum deturbatio non sit processura, aut saltem admodum imminuta, vel coacti simus, aut validius medicamentum, aut in multo maiori dosi exhibere, quorum vtrunque patiētibus magis molestum erit. Secundò, cum ventriculus cibum iam in ipso existentem amplecti, & retinere sit assuetus quousque perfectè elaboratus, ac concoctus fuerit, sic quoque medicamentum, & humores à medicamento attractos alioquin expellendos retinebit, aut dum hos tentabit expellere, & cibū incoctum expellet, atque ita coctio impedietur. Tertiò, in illa incident patientes incommoda, quę vnusquisque effugere conatur; impeditur enim medicamentum, quo minus ad Imum ventriculi delabatur, eo quod cibum coquendum complectens ventriculus vndequaque ei hæreat, & medicamentum difficulter intromittat, vnde fit vt in ore ventriculi suspensum, non exiguas molestias exhibeat, & in causa sit vt vomitu sæpé cibus pariter, ac medicamentum reijciantur. Quartò attracti humores cibum corrumpent, ita ut præter cruditates, alimenti quoque subsequatur corruptio, & sic ex medicamento à cœna assumptò non minuantur, sed potius augeantur morbifici humores. Quintò verendum est, ne pars aliqua medicamenti in venas ducatur cum cibo, & si in venas ducetur, ducetur in mesaraicas, atque hæpatis venas (qua ratione Galenum 13. meth. c. 15. cibis purgantia medicamenta immisscuisse volunt) ita ut à quibus non oportebat, euacuet, & à cerebro, à quo educere opus erat minus euacuet. Sextò, vt optimè adnotauit Cardanus lib. 4. contradict. motus motum impediet, nam medicamentum trahit humores ab hæpate ad ventriculum, in cibo hæpar trahit à ventriculo, qui duo sunt motus manifestè oppositi. Septimò, somnus in nocte succedens vires medicamenti omnes infringet, aut si succedat euacuatio, somnus impedietur sine necessitate, & cum multa ægrotantium molestia, vigiliæ n. melancholicis maximè sunt infensæ, sed quid ad Auicennam, & Paulum? Respondetur Paulum loquutum fuisse de stercoraliis tantùm medicamentis, non de purgantibus, quæ stercoraria interdum, non vt plurimum à cæna exhiberi solent, quemamodum ex eodem citato capite Pauli conspicere est, imò idem lib. 7. c. 4. iis aduersatur, qui à cæna huiusmodi medicamenta exhibent, dum aloem (& tamen aloes omnes feré pillulas ingreditur) mane dandam esse asserit, & qui (inquit ipse) vesperi eam exhibent, aut secundum cibum noxam inferunt, quippè alimentum digerit, & alibi legitur corrumpit at clarius c. 6. eiusdem libri nobis fauet, hæc habet, "Summatim in omni purgatione efficaci medicamentū homini ieiuno, & concoctione obita trades, ac à somno, quoad totum purgatus fuerit, arcebis; Si

Aui-

Auicennam obiiciant, & nos Galenum adducemus qui lib. 4. de san. tu. c. 7. nullum medicamentum à cibo dandum esse docet, quod cibi in vniuersum corpus distributionem acceleret, quia tunc coqui cibum magis, quàm digeri conuenit, ità & nos dicemus, igesto cibo vtilius fore, vt is coquatur, quàm vt venter purgatione turbetur, præsertim cum purgatio coctioni plurimum aduersetur, aut respondebimus ipsum sui & nostri quoq. temporis abusum sequutum fuisse, à mediocri cæna aliquo horarũ spatio trãsacto pillulas præscripsisse, ità vt medicamenta solidiora antequam actuata sint cibus iàm exierit à ventriculo, nec vllo pacto prædicta incommoda succedere possint, qua animaduersione habita commodum, & oportunum censent exhibendi purgantia medicamenta tempus à cæna, Sed pace horum dixerim si antequàm medicamentum actuatum sit, cibus iam exiit è ventriculo, quænam vtilitas à cibo promanet? vbi nam erunt vapores cibi, qui medicamenti vim in cerebrum ferant? quomodo isti vim exiccantis medicamenti in melancholia essentiali tam metuendam auferant, aut emendent? sed omnia hæc ipsis concedamus, quid inde? certe si attractio, quæ à purgãtibus medicamentis fit attractioni magnetis respondeat quemadmodũ ex antiquorum medicorum sententia respondere cõstat, sicuti magnes ad eum locum ferrum attrahit, in quo est, pari ratione non opus est, vt medicamenti vaporosa substantia, aut cibi vapor eius vi affectus caput petat, & inde superfluitates proliciat, sic (vt ei quod experientia iamdudum planum fecit acquiescamus) masticatoria, & gargarismata per os, errhina per nares, euacuare videmus. quinimo si caput subiret, magis illuc quam ad ventrem humores traheret, & proinde non modo facilior, sed longè impeditior esset purgatio, & potius repletio, quam capitis euacuatio foret.

An melancholia per lacrymas expurgetur Cap. XI.

VIr doctissimus Ludouicus Mercatus hanc quæstiunculam breuiter tetigit lib. 1. q. 93. vbi asserit ab Hippocrate lib. de morbis, & à Galeno lib. de humoribus dictum fuisse melancholiam per oculos expurgari, Quippe (subdit ille) primum melancholici hominis signum est lachrymabundum esse, & experimento fidissimo compertum, lachrymarum vbertate melancholica accidentia mitigari, ita vt iure optimo dici possit, melancholiam illam per oculos purgari; Certè Hippocrates lib. de humoribus recẽsens remedia, quibus morbi curari possunt, inter ea lachrymas quoq; ponit, sed non ne Hippocrates nomine aquæ aliquando atram bilem intellexit? nec lachrymas aliud esse, quam aquosum humorem ab oculis profluentẽ satis iam constat, quare mirum non erit, si inter spu-

rios Galeni libros authot ille de nat. & ord. cuiuslibet corporis, scribens, quod quatuor humores habent respirationes suas per singulas partes corporis, addat choleram nigram per oculos huiusmodi respirationem habere. Præterea duæ non spernēdæ rationes ad hanc veritatem maximè confirmandam facere videntur, Prior est, quod post diuturnas lachrymas subrepat somnus, qui sensibus consopitis omnem tristitiam ac dolorem aufert, præter quamquod somnus melāchollicorū cerebrum morbosa siccitate exarescens leni humectatione refocillare queat Altera est, quod quemadmodum ebriis lachrymæ iucunditatis afferunt plurimum, ita & melancholicis afferre possunt plurima .n. inter vinum, & melancholicum humorem ad similes affectus in nobis excitandos similitudo intercedit sicuti optimè animaduersum fuisse ab Aristotele legitur trigesima sect. problemm. 1. vbi varios mores, quos vinum in nobis eosdem & atram bilem afferre ob similem, quam ambo isthæc sortiuntur naturam scribit, Verum quod vinolentis lacrimæ iucunditatis plurimum afferant, ea ratione maximè constat vt adnotauit Cęlius Rhodig. lib. 7. Antiq lect. c. 4. quoniam euidens ebriis fit lenimentum, si copiosius effundant redundantem in capite humorem, Cerebrum quippe vini oppletur vaporibus, ac eo nomine molesto item grauatur onere quod profusis lachrymis fit subinde leuius, & inde voluptas in fletu vinolentis iucunda, Hoc & de melancholicis simili ratione diiudices. Non desunt tamen, quæ contrarium suadeant, Nam qui fieri possit, quod melancholia crassissimus humor per oculos purgetur, cum purgandis humoribus non præstiterit natura partem adeò principem, & adeo mirabili structura fabrefactam? Præterea si risus & lætitia melancholicis prosint ob quod læta semper ipsis ob oculos ponēda, & de lætis, ac iucundis cum ipsis semper agendum esse practicantes omnes pręcipiunt) quomodo illis auxilium lachrymæ præstent, quę sunt tristitiæ soboles? Huic postremæ obiectioni respondetur, quod non eodem modo, quo lætitia, & risus melancholicos iuuant, lachrymæ id efficiunt, nam cum risus vt plurimum sit lętitiæ effectus, & hæc per se melancholiæ aduersetur, sic lachrymæ tristitiæ effectus ob tristitiam adiunctam tantum abest, vt auxilium, quin potius detrimentum afferant melancholicis, sed quatenus causam, quæ quoque tristitiam inducit, euacuant eatenus melancholicis prodesse dicuntur, Ad alteram respondet Mercatus quod dum melancholiam per oculos purgari dicimus hoc nō de melancholico succo, sed de melancholiæ morbo intelligendum esse, verissimum .n. est plerosque melancholicorum per lachrymarum profusionem non solum ab accidentibus melancholicis liberari, verum iuuari adeo, vt morbo videantur priuari, verum licet hoc euidens sit, & variis experimentis probatum, cum hoc tamen credendum non est (inquit ille) in quauis melancholię specie verum esse, & cer-

& certum; Quippe vbi in venis cerebri prædictus humor abundat, etiam si præ mærore aut timore lachrymentur homines, non solum nō leuantur, verum summopere lædi contingit, quia exoluta prædicti humoris tenuiori parte, crassa quæ remanet, pressius affligit, & diutius, præterea si melancholia ex venoso genere succo melancholico referto ortum duxerit, non solum leuamen vllum æger non suscipiet, verum longè ob id imbecilliore facto capite, deinceps magis afficitur, & forsan ex fiente in factam commigrat affectio, Superest igitur solum verissimum esse melancholiam purgari per oculos vbi flatuosam habet causam, quæ caput ascendens, in aquam versa per oculos extillare nata, sit & subinde caput leuare, & symptomata omnia melancholica lenire ac sedare queat, sed adhuc difficultas enodanda remanet, quæ ex primo loco adducta ratione emergit, diximus.n. à diuturnis lachrymis conciliari somnum, quod omnino rationi repugnare videtur, nam cum ex vaporosa vel frigida, vel humida congesta materia in cerebro procedat somnus, non ne potius ante fletum deberet fieri somnus. cum antequam quis fleat in se multam serosam humiditatem contineat, quę cum sit materia vaporum deberet somnum conciliare euaporando? at transacto fletu iam exhausta est per lachrymas, vnde non apparet, quomodo possit cerebrum amplius afficere, Respondet eruditus vir Ioãnes Baptista Persona Brixiensis in suis noctibus solitariis, quod ante fletum serosa illa humiditas quiescit intus, cumq. agitata non sit non euaporat at dum compressione foras exprimitur, tenuatur per attritionem, & in vaporem soluitur, non ergo ante fletum fit somnus, quia vapores nulli eleuantur, non in principio fletus, quia pauci, at diù durante fletu vapores multi congregantur in capite, atq. ita in solo fletu longo euenit somnum conciliari. Sed adhuc dubitabit aliquis, quomodo per lachrymas melancholia exoneretur si in fletu diuturno cerebrum vaporibus repleatur? scimus.n. à vaporosæ substantiæ per lachrymas resolutione melancholiam imminui, non per vaporosæ substantiæ nouam congeriem, hoc.n. pacto auctio potius, quam imminutio fieret melancholicæ tristitiæ. Non inelegantem sanè responsionem ex eodem Persona expiscauimus, & est, quod nō solum cerebrum à noxio melancholico vapore exoneratur, ea ratione per fletum, quod glandulæ oculorum per lachrymas propriam humiditatem deponentes, reliquam quæ in cerebro redundat, alliciunt, verum etiam quoniam genitis ex attritione lacrymarum humidis vaporibus sursumq. tendentibus ob leuitatem, necesse est, vt crassior grauiorq. melancholica exhalatio, quę prius cerebrū occupabat, deorsum tendat, cedens subtiliori, atq. leuiori Hinc itaq. fit vt exonerato capite à materia illa molesta tristitiam adaugente nos videamur consolari & exhilarari animaduertẽtes tristitię causam imminui.

An

An purgantia medicamenta, atq. confectiones cordiales & ad melancholiam praescriptas inuicem admixta exhibere liceat? Cap. XII.

Confectionibus corroborantibus, seu cardiacis nuncupatis purgantia medicamenta, vel in ea quantitate admiscentur, qua non mouent aluum, (quo pacto cyaneus lapis confectionem Alkermes, ingreditur, & praeter opoponacum, sagapenũ ac centaurium minus theriacam, agaricu s, hae confectiones .n. vel sũma dosi exhibitae aluum nequaquam mouent) vel nos iam paratis confectionibus soluentia admiscemus ea dosi, qua per aluum, quos intendimus humores, & excrementa commode deturbare possint, quo pacto practicantium viri doctissimi, & inter hos praecipue Ludouicus Mercatus in curatione melancholię corroborantia, seu cardiacas confectiones soluentibus admiscent medicamentis, hoc tamen non desunt, qui damnent, nã qui purgare intendunt, aut purgantibus corroborãtia addunt, vt ea à mala qualitate cordi, ac natiuo calori inimica, quam omnia cathartica possident, vindicent, quo nomine addunt hodiè spicã. squinanthum, cinnamomum, & similia purgantibus medicamentis, aut corroborantia addunt non quia soluentia medicamenta corrigant, sed quia vno, & eodem tempore superfluos, & morbificos educant humores ac melancholicę affectioni medeantur, cor, & praecipua viscera corroborando, spiritusq. vitales refocillando, ac restaurando; Si de priori sermo sit, omnes vnanimes admittunt, alterum vero reprobant, nam si purgare atq. laxare sit animus, ad quid corroborantibus vti, quae non parum adstringunt quemadmodum forent confectio hyacintina, electuarium de gemmis, ac diamargaritum frigidum? non ne ità aut minuetur, purgatio, aut quod peius erit, agitabuntur humores nec, vt deceret, sufficienter posteà educentur? prętereà quod tunc temporis cardiaca medicamenta corroborare possint, nulla ratio suadet, nam quomodo ad stringamus, vbi eodem tempore valdè laxat medicamentum soluens? imo cum simul mixtum exhibeatur vtrumq. simul etiam cum purgante corroborans, atq. adstrigens educetur medicamentum, atq. ita in cassum fuerit exhibitum. His respondetur vno & eodem tẽpore, summa cũ ratione purgari ac corroborari posse, nã pręterquãquod corroboratio nõ à sola adstrictione procedat sed à rebus valde odoratis quatenus suis tenuissimus vaporibus spiritus citissimè reparãt, & augẽt nec nõ à medicamẽtis illis sĩplicibus, quę à tota substãtia cor, aliaq. prę cipua viscera, ac naturales õnes facultates corroborandi vĩ habẽt, (quę omnia praenarratas confectiones ingrediuntur) non est quoq. inconueniens eodem tempore laxare, atq. adstringere, purgare atq corrobo

rare,

rare, nam venas, in quibus excrementitii, ac morbifici humores stabulantur, laxamus atq cor natiui caloris fontem adstringimus, & præsertim eo tempore, quo à purganti medicamento multa spirituum ac proinde natiui caloris iactura, fit nam ex solidarum cordis partium adstrictione, atq corroboratione, quam cardiaca medicamenta à tota substantia afferunt, minor euadit iactura ista, & hoc in melancholicis præcipuè obseruandum est, tanquam iis, qui inter cæteros spirituum vitalium penuria laborant, præterea si de sola adstrictione a manifestis medicamentorum qualitatibus sit sermo omnibus adapertum erit, purgationem citius procedere, tanquam quę ab irritantibus, & maioris actiuitatis qualitatibus aliquam deducat originem, adstrictionem verò tanquam quæ à qualitatibus minoris actiuitatis pendeat, tardiorem promi, si vero de ea corrobatione, quæ a proprietate pendet, loquamur nihil obstat nobis quod simul cum purganti medicamento cardiaca educantur, quandoquidem ista propria sponte citissimè ad cor feruntur, ita vt sæpe priusquam purgans medicamentum admixtum humores attrahere inceperit, hæc iam cordi vim propriam communicauerint, nec tandem necesse est, vt cũ purganti medicamento deiiciatur adstringẽs nam dum actuata fuerint in ventriculo, cum hoc grata & amica naturę qualitate polleat, & sui adstrictione ad retentionem faciat diutius in corpore immoratur, illud vero cum inimica & molesta qualitate naturam ad expulsionem irritante præditum sit, citius educitur, etiam si admixta simul fuerint assumpta. sic interdum obseruamus a cibo euomi, nec cibum euomi, sed humores à cibo diuersos, Quapropter non est, vt addant, isti, satius esse ab operatione purgantis medicamenti exhibere cardiaca, atq. corroborantia remedia nam quamuis hoc, & rectè à nonnullis præstetur, qui sequenti die ab assumpto pharmaco hæc exhibent, satius tamen, ac tutius censendum est, a quouis detrimẽto quod soluens medicamentum afferre possit præseruari, quam ab eodem iam allato curari, Damnantur etiam, qui in componendis cardiacis medicamentis cathartica immiscent ea dosi, à qua nõ sequitur alui deiectio, & primò quia medicamenta cathartica deiectione, & vomitu, quem pleraq illorum, & præsertim vehementiora afferre solent, naturam turbare tantum, & humores melancholicos exagitare, non autem ob quantitatem tam exiguam euacuare valẽt, Secundò quia cum ob paucitatem purgatione frustrentur, in eum vertentur humorem, quem trahere nata erant, si vero mitiora sint, in alimentum, quemadmodum testatus est Galenus lib. Quos, & quãdo purgare oporreat &c. cap. penultimo Hinc Rondeletius in officina Pharmacopolarum in compositione Diar rhodonis rhabarbarum quia purgans est, respuit, cui etiam Fuchsius lib. 2. de composit. medicam subscribit. Tandem nouissime subdit vir magni nominis in hac vrbe, & qui multas pecunias in

exercenda

exercenda medicina lucratus est, quod in aliquo parando medicamento composito singula quæq. ingredientia eligenda sunt ad eundem scopum, ad quem totum compositum construitur, ita vt si exempli gratia totius medicamenti scopus & intentio sit corroborare, singula quoq. ingredientia corroborantia sint, oportet, Verum, (vt verum fatear) quam falsum sit istud libere suppositum, quisq. in re medica vel parum exercitatus, facile videre potest, nam si nos de composito purganti medicamento afferamus exemplum, in ipso alia odorata esse, vt soluẽtium malignitatem corrigant, alia adstringentia, vt viscerum tonum conseruent, alia refrigerantia, vt nimiam soluentium caliditatem attẽperent, quorum tamen nulla purgatoria facultate sunt prędita, sed & si de corroborantibus compositis sit sermo, nõ ne in ipsis alia quæ adstringunt, alia quæ aperiunt, alia quæ calefaciunt, alia quæ refrigerant, adinueniuntur, ita vt mirum esse non debeat, si corroborantibus soluẽtia commisceantur, & præsertim cum hoc comprobatum sit authoritate, & exemplo antiquorum tum græcorum, tum arabum, nam si mithridatum, theriacã, Antidotum Esdræ ac plura laudatissima, & hucusq. ab omnibus accepta medicamenta examinemus, in iis nonnulla purgantia reperiri conspiciemus, & si forte ad opium recurrerent aliqui tanquam ad id, quod soluentium purgationem· aut ab illis agitationẽ prouenientem sistere possit, adducant quoq. causam, propter quam in illis confectionibus posita sint ista purgãtia, nã frustra posita dicendum non est; deinde (ne ad opium confugiamus) se conuertant ad Auicẽnam, ac Mesuem, nam hic in Diamusco amaro aloem & castoreum imponit, in Alkermes confectione cyaneum lapidem, ille vero lib. de virt. cord. tr. 2. c. 1. ait ad confortationem cordis poni in medicinis cordialibus lapidem lazuli aut Armenum, quorum vterq. valide purgat vnde postea c. 4. lib. cit. nobilem confectionem lætificantem describit, in qua Epithimum, & vtrumq. ex prædictis lapidibus imponit, sed quid plura? non ne adest in lætificante Galeni epithimus? nec tamen hunc aliquis putet, dum propter sui paucitatem ventris solutione frustratur, aut in alimentum verti, aut in eum quem trahere natus erat, humorem, nam si hæc contingerent, inepte posuisset Galenus in illo electuario. Sed ad quid posuerunt hi purgantia in prædictis confectionibus, si sua purgatione frustrentur, percunctetur aliquis? Huic respo ideri posse putarem, quod etiam si purgantia in adeo exigua quantitate, & tot aliis admixta frustrentur euacuatione ea, quæ sensibiliter per aluum fit, non tamen ea euacuatione frustrantur, quæ insensibiliter per occultos nostri corporis meatus fit, ad quam euacuatio em moliendam trahuntur, ac veluti manuducuntur, ab aliis discutientibus & in longe maiori copia admixtis imo cum proprium sit horum catharticorum melãcholicum humorem educere, dum iam facta discutientia sunt (cum non possint

possint eum per sibi consuetam viam euacuare) ipsum per alias vias atque occulta foramina discutiunt, atque insensibiliter euacuant, neq. inconueniens est, quod catharticum, dum in exigua sui quantitate aliis miscetur medicamentis diuerso modo euacuat onem molientibus & quæ illud viribus longè superent ob maiorem molem per vias sibi non consuetas euacuet, cum id quod inferius est viribus, non propriũ, sed eorum, quæ superant, motum sequi cogatur. Hæc autem omnia in eodem ferè argumento perbelle asserit Auicennas summa prima tr. 1. de necessitate compositarum medicinarum, vbi hæc habet „ Et quandoque est medicina, quam inuenimus, communis duabus viis, & intentio nostra est in via vna, quamobrem associamus cum ea, quod deferat eam ad illam, sicut cum ponimus cantharides in medicinis aperitiuis, vt conuertant eas à parte venarum ad partem renum, & vesicæ; sic pari pacto de catharticis cum discutientibus admixtis differere possumus, imò cum hęc non solum per sedem, sed insensibiliter etiam per occulta foramina euacuandi virtutem habeant (quatenus enim calida & sicca sunt, atque tenuium partium, nec non etiam nonnulla acria, certè digerendi, seu discutiendi vi prędita extant, quod etiam nos docet Gal. lib. 5. de simpl. med. fac. c. 20.) additis tantum discutientibus, & in maiori dosi, facilius erit illa ab euacuatione per aluũ ad euacuationem, quæ per cęcos meatus fit, conuertere, quod & experientia ipsa testatur in pluribus antidotis, ac conf. ctionibus, quę valide discutiunt, nihil tamen per sedem euacuant, etiam si cathartica medicamenta in se receperint; sed de his hactenus. Interim cum de cardiacis medicamentis mentionẽ fecerimus, & hęc ad melancholiã præscribi dictũ sit, videamus obiter an in melancholia cordi remedia pręscribenda sint.

An in melancholia cordi remedia præscribenda sint? Cap. XIII.

HVic dubitationi ansam dedit Galenus, qui in curanda melancholia, sicuti, & in cęteris aliis capitis affectibus, in quibus animę principes actiones læduntur, cor omni remedio destituit capitiq. cuncta pręsidia admouenda esse iubet. hinc ipse pluribus in locis & præsertim lib. 1. de loc. aff. c. 2. fundamentum verissimum supponit, nempè quod dum læditur aliqua actio necessario organum, in quo illa actio absoluitur, semper lędatur, siue per se, siue ex accidenti, & vt cum Galeno loquamur, vel læsa facultate, vel ob errorem externum, quo posito fundamento postmodum contra Chrisippum, Asclepiadem, Aristotelem, & alios, qui cognoscentẽ animam in Corde locarunt, inuehitur, inquiens, ò boni viri, si cognitio, & principes functiones, sensationesq. fiunt in corde, & eę à quibus prodeunt, facultates in eo resideat, cur læsa memoria, aut imaginatiua, aut sensu communi, non cor, sed caput, perfunditis & irrigatis? cur in phręnitide, & lethargo non cor sed caput & cerebrum euacuare ag-

gredimur? ex quibus patet, quod cum in melancholia principes lædantur actiones, & hę absolnantur in cerebro, cerebrum & non cor lædi, & ideo cerebro, & non cordi applicanda remedia erunt. Hinc Galenus de melancholia pertractans nullibi pro corde medicamenta prę scribit, prætereà extat Galeni locus, 3. de Hipp. & Plat. Decr. c. 6. vbi sic, " Si in cerebro vitium sit, in delirium animal, motusq. & sensus priuationem promptè incidit si cor laboret, nihil huiusmodi patitur &c. ad quid igitur cordi præscribenda remedia? Verum alia ex parte eodem fundamento Galeni stante, possumus asserere cor non esse deserẽdum remediis, in melancholia, quãdoquidem si nulla actio læditur absque proprii organi læsione necessario in melancholia læditur cor cum in ea animi affectus deprauentur, si quidem melancholici citra occasionem timent, & mæsti sunt, timor autem & mestitia irascibilis facultatis in corde residentis sunt effectus, prçterea ex eodem Galeno in complicatis affectibus, ei quod magis vrget, incumbendum est, altero non neglecto, quare & si læsæ principes actiones maioris momenti sint quam deprauati animi affectus, non propterea tamen cerebri in quo harum principum functionum facultates resident, curationi solum incumbendum est, corde neglecto, sed cum Arabibus cordi etiam remedia ministranda sunt in melancholia, & quamuis ab eis ministrari putare possemus, quia principum actionum facultates radicaliter, vt dicunt, in corde sint sitæ, nos tamen eo nomine administranda esse censemus, quia animi affectus facultatis in corde residentis affectus læden tur, Ac si quis obiiceret hos potius per consensum lædi, quam secus, quatenus scilicet rei tristabilis imaginatio in cerebro præcedit, huic respondendum esset, quod vel Galeno & Auicenna testibus, affectus, qui per consensum fiunt, tractu temporis per essentiam euadunt, ita vt & cordi prospicere in protracta melancholia non sit ab re, sed & plures alię rationes extant, quę in melancholia cordi prospiciendum esse suadent, & primo, quia à corde ipso interdum melancholia fit, vti quęstiuncula 32 ostensum fuit. Secundò quià vitalium spirituum penuria vt plurimum melancholici laborant, Tertiò deniq. quia in melancholia. & prçsertim hypocõdriaca modo palpitatio, modo angustia, ac veluti compressio quędam, modò alius preternaturam cordis affectus, sæpenumero concomitari solet, sed quid ad Galenum nulla cordi prçsidia in melancholia præscribentem? Respondetur nos per melancholiam intelligere aut eam, quæ per essentiam, aut eam, quę per consensum fit si hanc intelligamus, non immerito dicere possumus, & in hac non denegaturum fuisse remedia cordi Galenum, si ipsam per consensum à corde prouenire animaduertisset, nam generice subsequens præceptũ tradidit ipse in 3. de loc. aff. c. 5. etiam si specifice illud de hac melancholia per consensum à corde non tradiderit, nam ibi de noxiis principum actionum agens, hæc docet, " Neq. latere nos debet vbi quis per consensum afficitur, ipsaq. affectio in fieri habeat esse, quod deletis efficientibus ipsam causis, ipsa quoq. simul delatur, & ad extremum

capitis

capitis exemplo comitialis morbi vtitur, pro cuius curatione præceptum tradit, quod & melancholiæ optime applicari potest inquit .n " Sic etiam per comitialem morbum, cum vel ob stomachum, vel ob aliquam aliam particulam affectio fit, eam maximè, & in primis curare præcipiunt medici cerebrum vero ita pr ęparant, vt non ità facile afficiatur, Si vero melancholiam per essentiam intelligamus respondetur Galenum alioquin valdè prolixum, in hac re parcum extitisse, & tantummodo eius præcipua remedia, & veluti per transenam tetigisse, vnde mirum non fuerit, si cor remed is destituerit, nihilominus lib. de theriaca ad Pis. c. 15. sic loquitur" Illud certe est summa admiratione prosequendum quod theriacam non modo corporis affectus sanare videmus, sed etiam animi passionibus, ipsum quoq. grauiter infestantibus opitulari conspicimus, veluti cum excitatas melancholia graues curas multoties sumpta ex animo pellit, proinde ac si ex plene, ac reliquis membris atram bilem exugeret &c. Quod autem theriaca maxime cardiacum medicamentum sit, omnibus in confesso est, imo Galenus eodem loci ipsam ab Andromaco, Tranquillam vocari scribit, quia præter sanitatem corporibus tranquillitatem etiam inducat. Hinc Arabes & latini quoq. doctissimi viri non solum interna, sed & externa etiam medicamenta cordi prescribunt, in melancholia, hac potissimũ ratione innixi, quod & si præcipua huius morbi sedes non sit cor sed cerebrum, eo tamen nexu, isq. vinculis vtrumq. alteri copulatur; vt fieri non queat, quin improspera cordis constitutio secum comitem trahat eam, quæ est cerebri, salt m si cerebrum afficiatur à corde probe præparato suppetias susceptabit, & Auicennas lib. 3. fen. 1. tr. 4. c. 18. hæc habet," Spiritus animalis continuus est spiritui vitali, et ex substantia ipsius, quare complexio eius corrupta melãcholica corrumpit complexionem cerebri, & conuertit ad melancholiam. Tandem eno dandus remaneret Galeni locus. 3. de Hipp. & Plat. decret. adductus, sed hic nihil contra nos facit, quandoquidem ibi Galenus loquitur de collisione, & vulneratione, vt ad initium citati capitis videre est, nos clariorem afferamus doctrinam ex 3. de loc. aff. c. 7. desumptam, quo loci sic Galenus loquitur," Quemadmodum elato ex ventriculo ad oculos fuliginoso quodam, aut fumoso habitu, aut crassis quoq. vaporibus, similia vt in suffusione accidentia contingunt, eadem ratione sublata ad cerebrum ab atra bile euaporatione veluti fuliginosa fumosaq. melcãholica eueniunt in mente accidentia, modo quid obstat, quin et hæc fumosa euaporatio ab atra bile existente in corde eleuetur, cum et ipsum intemperiebus, et obstructionibus obnoxium esse possit?

An in melancholia vomitoria conueniant? Cap. XIIII.

IN melancholia non conuenire vomitoria docuisse videtur Hippocrates lib. 4. aph. 9. dum ait melancholicos plenius per inferiora purgandos esse, & Galenus in comm. plenius, ideft fortius interpretatur, & rationem reddit, quia melancholicus humor ad differentiam bilis sui grauitate inferiora petat, Sic Auicennas lib. 1. fen. 4. doctr. 5. c. 4. hæc profert, " Ex humoribus quoq. est, qui est velocioris obedientię vomitui secundum plurimum, sicut cholera, & ex eis est, qui vomitui rebellis existit, sicut melancholia, & ex eis est, qui inter hos est medius sicut phlegma. Amplius cum triplex sit melancholia ratione loci, vomitus non conuenit in ea, quæ est per essentiã in capite, quia si exhibeatur vomitorium adeo validum, quod materiã in capite existentẽ educat incolumi existente corpore, colliquabit partes sanas, antequam melancholiam educat, hinc Hippocrates, et Galenus prohibent elleborum iis, qui incolumi, sunt corpore 4. aphorism. 16. deinde difficillimum et periculosum puto attrahere materiam ex capite, vt purgetur per os ventriculi, nec obiiciant, quod si Galenus pharmacis vsus sit fortioribus in aliquibus cerebri affectibus, vt per se dem expurgationem moliretur, nos facilius per vomitum expurgabimus, tanquam per proximiorem viam, nam alia est ratio purgationis per aluum, quia attractoria medicamenta multo facilius ducunt humorem, quanquam longinquum ad intestina quam ad os ventriculi, et quod maius est, pars illa ignobilis à transitu humorum nullam sentit noxam. Nec in melancholia per consensum à toto vomitus conuenire videtur, non .n. ducendus est humor ex natura, & ex accidenti noxius, et prauus per os ventriculi supernum, præterquamquod nonnulli ex sola vomitione melancholici euaserunt, quemadmodum videre est in libello de melancholia ex Galeno, Rufo, & Possid. propè finem, et hoc fortè quia nimis in vomitu repleretur cerebrum, ac in id multò facilius incurrent, ii, in quibus humor, iam diu in venis moram traxerit & à natura alienus euaserit; Nec tandem in hypocondriaca conuenire videtur vomitus omnes .n. hypocondriaci habent ventriculum valde imbecillem, non autem purgandi sunt humores per locum debilem ex Galeno 13. meth. c. 11. Attamen sciendum est sermonem esse aut de vomitu materiæ in ventriculo collectę propter ventriculi imbecillitatem aut materiæ melancholicę ex qua proxime fit melancholia, primo modo licet et melancholicos, et alios quosuis euacuare per vomitum dummodo leges illæ seruentur, quę à Galeno et Hippocrate sunt propositæ lib. de salub. dieta, quos et quando purgare oport. et 4. aphorism. à 4. aphorismo ad 17. vt scilicet rabidi, & angusto pectore, et insucti, et difficillimi ad vomendum nunquam cogantur ad vomitum, Sed si de materia melancholica fiat mentio melan-

lancholiam quę fit tantum per essentiam in capite, nullo pacto vomitoriis, tractandam esse opinamur. in reliquis speciebus vomitoria locum habere posse concedimus, & quia hæc in triplici gradu sunt, mitiora nempè, mediocria, & fortiora, mitiora prætermitti possunt quia non euacuant humorem peccantem sed duntaxat humores spōte sua ad os ventriculi ascendentes, vel in cauitate contentos facilè educunt Mediocria autem, vt est succus raphani, radix asari, & similia, tam in hypocondriaca, quàm in melācholia à toto administrari possunt, dummodo os ventriculi non sit adeo sensibile, vt patientes ex illius nimis exquisito sensu palpitationem lypothimiam syncopem aut epilepsiam incurrant Hinc Possid. in libello de melancholia iam cit. Aetius, & Atabes in hypocondriaca vomitū laudāt excitatū à radiculis; demū si de fortioribus sit sermo, vt sunt antimonium, elleborus albus, lapis cyaneus & armenus, hæc profectò antiquioribus Medicis probatissima sunt, dummodo in eorum exhibitione leges quædam seruentur, vt scilicet humores & corpus præparentur, illi cum crassi sint, si incidantur & attenuentur oximellite scyllitico, &. composito, hoc si humectetur (sic Hippocrates 4. aph. 13. ait ante elleborum humectanda esse corpora) humectatur autem corpus & per se dum cibis & potionibus humidis, & copioso alimento vtimur, & per accidens dum quieti, & somno indulgemus; sic pręparato corpore prædicta vomitoria possunt exhiberi, sed tutius in infusione vini maluatici, vel alterius similis, quàm in substantia, & statim prębeatur aliquod alimentum, siue ptisana, aut panatella, aut quid simile, quo facilius & sine ventriculi labore patientes vomere possint, non sunt autem ista prębenda circa melācholiæ initia sed tantum vbi confirmatus sit affectus, quasi in cura cocta hinc Auicennas, qui in myrachiali videbatur timere vomitoria propter ventriculi imbecillitatem, tandem subiungit, in inuenterata album elleborum conuenire, at si in hypocōdriaca in qua ventriculus est vsq. adeo languidus, conuenit, multo magis conueniet vbi humor melācholicus in iecore & toto redundauerit, sic huius melancholię per elleborum album curatæ meminit Gal. lib. de atra bile c. 7. quando ait, Pręti filias albo elleboro à melancholia fuisse curatas celeberrimumq. fuisse hoc remedium ante, & post Erasistrati tempora; Ad rationes vero in oppositum adductas facile hac vna solutione respondere possumus, satius scilicet esse in desperatis casibus aliquid periclitari, quam insanos homines relinquere, sed tamen si in hypocondriacis vereamur ventriculi imbecillitatem statim post vomitum muniendus est ventriculus internis, & externis, siq. vereamur noxam humoris melancholici, poterimus os ventriculi defendere præmissis pinguibus & oleosis, quæ possint corrigere acrimoniam humoris melancholici, & obtundere sensum oris ventriculi, vt sunt brodia pinguia, fercula cum butyrro, & similia. His tamen omnibus duo subdere est animus, vnū & animaduersione dignum est quod antiquiores medici dum medi-

camenta

camenta fortiora vomitum excitantia propinabant, qualia sunt superius iam proposita,& præsertim elleborus,ista non tantum vomitoria, sed simul etiam deiectoria erant, ita vt ex vtraq. euacuatione facilius excerni potuerit melancholicus humor. Alterum est, quod sola vomitoria etiam conuenire possunt in melancholia non tam ratione pituitę & crudorum succorum in ventriculo ex stentium,vt supra dictum f. it quàm ratione illius atræ bilis,quę à liene in ventriculum copiosior interdum regurgitare solet.

Cur in Melancholia non tantum humorem melancholicum, sed etiam pituitosum euacuare necesse sit. Cap. XV.

PRofectò primo intuitu rationi consonum esse non videtur,vt sui natura humidior scateat humor,vbi siccissimus reperitur: nihilominus, cum à diuersa causa proueniat vterque hos simul reperiri in melancholicis verissimum est,imò diutius non per manet in melancholicis nigra bilis,quin succrescat quoque pituita,ratio autem est, quia melancholicus humor cum frigidus & siccus sit, è diametro calori natiuo aduersatur, quare melancholici hunc semper imbecillum habent ex quo fit,vt cum cibos non possint conficere,crudos succos,pituitam,& ichores copiosissimos gignant. Hinc quoque libello de melancholia ex Galeno Rufo,& Possidonio quæritur,cur assidue cruditate melancholici laborent, & duplex affertur ratio, altera, quia turbulentum, plenumque excrementis hi corpus habeant, quasi copiosi flatus intestinorum fęces exire prohibentes, cum ipsis in ventriculum effument illiusque coctionem perturbent,quod in hypocondriacis presertim euenire credendum est. Altera, quia illorum ventriculus male temperatus semper ob humorem melancholicum frigeat,sed & cerebrum quoque (si de essentiali melanchol a sit sermo) cum alioquin pituitæ metropolis dicatur tunc illius plurimum produ cet, vbi in ipso tandiù commoratus fuerit melancholicus humor, vt proprium cerebri calidum innatum lacessire potuerit,quapropter in quacunque melancholiæ specie,& prefertim aliquatenus progressa, non solum melancholici, sed simul etiam pituitosi humoris euacuatio procuranda erit.

An caput purgia, & præsertim sternutatoria conueniant in melancholia? Cap. XVI.

SI sternutatoria locum habeant in curanda melancholia, in ea quæ fit per essentiam in capite,sane habebunt,& in ea præcipue quæ à melancholico humore producitur, dein fortè etiam in ea quę à vapore, & quidem horum medicamentorum partes sunt à superfluis excrementis, atque alienis humoribus caput expurgare,

vnde

vnde caput purgia appellantur. Quod autem me mouit ad hanc quęstiunculam proponendam fuit varias obseruasse doctiorum virorum in hac re opiniones; à nonnullis enim exploduntur sternutatoria, atq. caput purgia in melancholia curanda, ab aliis de ipsis ne verbum quidem fit, etiam si vberrimè, cætera medicamenta apponant, ab aliis tandem maximè extolluntur. Rationes autem ob quas à nonnullis reiiciuntur, caput purgia in huius affectus curatione sunt, quia si melancholia fiat solo cerebro ipso, vel ob frigidum, & siccius intemperamentum, ita vt proprium alimentum in naturam melancholię affinem cômutet, vel ob nimium calorem, & exustionem, quæ probum, & laudabilem sanguinem in atrum humorem conuertat, certè caput purgia non conuenient, quia cerebri siccitatem adaugebunt, cum ex iis pareantur quę purgatrice facultate pollent, & vt plurimum calida, & sicca sint, imò contra Galen dogmata medicinam factitabunt, qui ipsa pręscribent, nam ipse 3 de loc. aff c. 7. precipit caput esse humectandum, qua de causa melancholicis quoque omni diligentia somnus conciliandus est. Respondetur balnea, lotiones, & fomenta, quę cerebrum humectare sunt apta, non esse satis ad euacuandam materiam melancholicam in cerebro existentem, vbi melancholia, aut ob ægrotantiū aut ob medicorum negligentiam in longum producatur, quare non satis est iis vti, quæ insensibiliter euacuant, sed etiam ad ea, quę sensibiliter exp urgāt, recurrendum est, vti quæ per os, & nares materiam educunt, caput purgia appellata, neque horum pertimescenda est siccitas, quia pręterquā quod cerebri substantiam non attingunt, nequaquam impediunt, quin etiam insensibiliter euacuantia administrentur, vti sunt iam prædicta, fomenta, lotiones, & similia; imò multo maior est vtilitas, quę ex euacuatione melancholici humoris siccitatem producentis contingit, quàm sit detrimētum, quod ex admistratione caput purgiorum proueniat, cum hoc vel minimum, vel nullum potius esse possit, hinc Galen. eod. 3. de loc. aff. diuturno facto iam morbo, ad fortiora remedia confugiendum esse docebat. Exploduntur præterea sternutatoria, quia essentiali melancholia in corpore cerebri nō in ventriculis sit humor quasi sternutatoria humorem in ventriculis existentē expurgent, nequaquā eum, qui in cerebri corpore. Addunt insuper in sternutamento nihil nisi vaporosum, ac flatuosum excerni, quod ex sonitu cognoscitur, quare non esse sternutatoria adhibenda in melancholia, vbi crassus & melancholicus humor cerebrum occupabit: quod confirmant Galeni authoritate 7. aph. comm. 51. dicentis, quod si quis humor in capite superabundet, non facit tamen sternutamentum, nisi in ventum conuertatur, & hoc manifeste videtur in multis, qui licet copiam humoris per nares excernant, non tamen propterea necessariò sæpe sternutant; sed isti in nonnullis decipiuntur, nam sternutamentis humorosa quoque materia, & hęc vel à cerebri corpore expurgatur: cuius rei testis est idem Galenus libello de instrum. odorat. c. 6. hęc habens. „ Mucum etiam

etiam ex cerebro crassum, et glutinosum sternutamenta detrahunt, quem vna cum spiritu foras impulso educunt, sed non ne videmus capitis grauedini sternutamenta mederi? grauedo autem non ex vaporibus aut flatu, sed ex frigidis crassis, aut copiosis humoribus prouenit si nihil autem per sternutamenta ex cerebro educeretur ea grauedinē captis non modo non leuarent, verum etiam ex Galeno à spiritu tum foras confertim ruente, tum etiam verberante caput magis et plenum et graue redderetur, vt ex magnis vocibus fieri cernimus. Quod autē spectat ad Galeni locum in contrarium allatum. respondetur Galenum intelligere de sternutamentis à natura factis absq. medicamentorum ope, per quæ sane euacuabitur minus humorosæ materiæ, & magis vaporosæ. quia non adest medicamentum, quod sibi familiarem attrahat humorem, quemadmodum dum arte procurantur sternutamenta, sed & Galenus eodem loci excipit eam humorosam materiam, quę mordax est sicuti in subsequentibus verbis videre est. His igitur ità se habētibus, nos qui medicum naturę imitatorem esse scimus, hoc pacto ratiocinari possumus. Natura per sternutamenta spontanea humorosas materias mordaces educit, ergo & medicus easdē medicamentis sternutamenta excitantibus debet educere, sed mordax est atra bilis, quæ in melancholia cerebrum occupat, velut., quę vt plurimùm per adustionem genita, aut adhuc empyreuma retineat, aut saltem propter sui crassitiem ac siccitatem exasperet, ergo hanc è cerebro sternutamentis euacuare procuret medicus. Neq. dicant materiam è ventriculis, non autem è cerebri corpore educi posse sternutamentis, quandoquidem si sternutatio ex Hipp. 5. aph. 35. difficulter, parientem iuuat, quia vt Galenus habet in commento, vehementiore concussu excernit, quæ corporis partibus firmiter infixa adhærebant, et partibus longinquis nempè vtero, non ne magis excernet melancholicum humorem in proprio cerebro contentum? Hinc Galenus lib. 13. meth. c. 21. in curatione lethargi, in quo pituitosa materia in cerebri corpore putrescit, sternutatoriis vtitur, quare, et nos illius exemplo in melancholia, in qua nigram bilem è cerebri corpore educere sit opus, ipsis vti summa cum ratione possumus, imo addēdum est facilius multo in melancholia atrā bilem, quam in lethargo pituitam sternutatoriis medicamentis cedere posse, vt quæ nullam viscidítatem habeat, quæ ipsius exitum, et expulsum retardare possit. Amplius si materia humorosa ad hoc vt per sternutamenta excernatur in halitus, ac vapores magna ex parte resolui debeat (quod et nos fatemur) quinam humor melancholico magis vaporosus est, et aptior in vapores, ac flatus resolui, vti qui partiū, quibus inexistit, natiuum calorem imminuat, ac lacesset? ex deficiente autem calore, seu diminuto flatus eleuari, ac produci constat vel Galeno teste 3. de symp. caus. c. 2. quare si naturæ imitator medicus esse debeat, non solum in hac, quę ab humore pendet sed in ea q ioq. melancholia sternutatoriis vtetur, in qua è cerebro tetrus vapor sit adimendus, nam

per

per ea plurimum vaporosæ materiæ euacuatur, vnde Galenus lib. 1 de sympt cauf. c. 4 sternutationes, nisi ex catharro fiant, maximum remedium capitis habitu repleti esse scripsit.

An in melancholia caput sit humectandum? Cap. XVII.

OMnes classici medicinæ scriptores in melancholia, præsertim ea, quę per essentiam fit, cerebrum humectandum esse præscribunt, quam sanè humectandi cerebrum indicationē & à Galeno amplexatam fuisse volunt 3. de loc. aff. c. 7. quo loci certe & ipse à Galeno frequentia balnea, victumq. humidū proposita fuisse fateor, nec recentiorum lotiones, fotus stillicidiaq. humectantia capiti administrata detestor, imo quam maximè laudo, verum quis forte ipsis non omnino assentiatur, dum ratione siccitatis quæ in essentiali melancholia frequenter, cerebro adnectitur, hanc humectandi indicationem exhauriunt, nam si hac de causa esset humectandum cerebrum Galenus præter cibum, & alia proposuisset intrinseca remedia, non tantum contētus extrinsecis, nec ipsum mirari desinerem, quod sæpius huiuscemodi melancholicos ebrietate non affecisset, etenim ipsi non erat ignotum, ebriorum cerebrum multa humiditate perfundi, cum hanc doctrinam nobis tradiderit 6. aph. cōm. 32 Quod sane remedii genus nec periculosum in sicco cerebro, nec tardum, nec iniucundum extitisset; Quod autem Galenus balnea & humectantia proponat, hæc certè non ratione siccitatis auferendæ, sed ratione euacuandi melancholicum humorem proponit, insensibiliter, i.n. euacuatur melancholicus humor per balnea, lotiones; & huiusmodi alia capiti administrata, et quod hoc fit, verum, ille met declarat, dum inquit protracto morbo ad valentiora confugiendum esse, nempe ad ea, quæ sensibiliter euacuent, quapropter constat, quod si ratione siccitatis ista humectantia proposuisset, ea magis, & efficaciora erant præscribenda in progressa melancholia, in qua maior siccitas necessario excrescit, præterea si siccitate cerebrū in essentiali melancholia laboraret, non ne huiusmodi melancholici omnes saltem protracto morbo euaderent calui? caluities.n.ex cerebri siccitate prouenit asserente Galeno in 6. Epid. comm. 3. part. 1. quod tamen euenire non constat, nec dicat aliquis maiorem esse cerebri siccitatem vbi caluities adsit, quam in melancholia, quandoquidem hoc medicinæ fundamentis dissentaneum foret, nam scimus intemperiem siccam morbosam magis recedere à statu perfectæ temperiei cerebri, quam siccam intemperiem, quæ intra sanitatis limites consistat, sed siccitas in caluitie est intra sanitatis limites, cum nullas homines lędat actiones, siccitas vero in melancholia iam est morbosa, & extra sanitatis

Mm limites,

limites, ergo maior est huius siccitatis recessus, ergo in hac tanquam in maiori siccitate caluitium fieri deberet, si in maiori id patitur cerebrum. Tandem ad quid proponenda humectatio in melancholia, si cerebri medullaris substantia, pars solida, atq; spermatica, per quam melancholicus humor dispergitur, siccitate afficiatur, non ne docuit Galenus siccitatem partium solidarum corrigi non posse lib. 7. meth. c. 6.? Respondebunt fortè Galenum de confirmata, et consumata sicca intemperie intelligere, non de recenti. sed et de recenti sicca intemperie militat argumentum, quandoquidem sub hac aut exsiccatur substantia cerebri, aut non, si exsiccetur, id quod exsiccatum fuit, correctionem non admittit, nam spermaticæ partes nó resarciuntur amissæ, aut absumptæ, si non exsiccentur, frustrà proponitur humectandi indicatio. His tamen non obstantibus et nos cerebrum in melancholia humectandum esse fatemur, vt infra dicetur interim has subtiles, & sophisticas potius rationes in contrarium adductas soluere aggrediamur, et quoad postremam attinet, hanc nullam esse dicimus nam cerebrum quemadmodum, & alia quæq; pars spermatica, pluries seu varios siccitatis gradus perpeti potest, à quibus variæ quoq; eiusdem mēbri partes afficiantur, hinc quadruplex corporum siccitas ex eodem Galeno affertur in eodem meth. cit. lib. nam sub alia alicuius membri concreta adeps sub alia rorida substantia, qua nutritur, sub alia sanguis in arteriis et venis capillaribus eiusdem membri contentus absumitur quibus siccitatibus mederi arduum quidem est, non tamen impossibile, illa correctionem ac medelam nō admittit, sub qua partis solida substantia exsiccatur, et absumitur, quid igitur obstat quod reliqua cerebri in melancholia exsiccentur non ipsa solida substantia? quare cerebrum humectari, nec frustra poterit in melancholia, præterea sciēdum est intemperiem cerebri siccam, quæ in melancholia à præsentia humoris melancholici pendet, non esse tantæ actiuitatis, quæ absumet cerebri humidas, nōdicam solidas substantias, nisi vel maximè frigiditati exprimēti vel maxime caliditati consumenti coniungatur, nā melancholicus humor est actu humidus, et solum potentia siccus, quapropter non nisi longissimo tempore cerebrum substantia mollius, et vel leuiter, exsiccet, quod euidentissime licet coniicere ex iis, qui diurna melancholia detenti, tandem ex sola melancholici humoris euacuatione sanitati restituti fuerunt, sicuti quæstiuncula 1. sect. 3. narratum fuit ex Balduino Ronsseo, Quamobrem non immerito quoq; ab Alexandro dictum fuit lib. 2. problemm. 28 melancholicos, qui animi munera integre exequi nequeunt, naturæ tamen rectè obire. Hinc facile pateat, cur melancholici calui non fiant, quandoquidem diuersa valdè siccitas est ab ea, quæ caluitiem parit, siccitas .n. melancholicorum est cum humore, et nullas aut vix vllas cerebri humiditates absumit.

absumit, siccitas autem caluorum est fixa in solidis cerebri partibus, easq. absumit, ita vt cerebrum minus factum & in se contractum diserat caluariam, qui arida facta deficiunt pili, cum & cuti ipsam tegenti subtrahatur humiditas, quæ capillorum tanquã pabulum extabat, neq. prædicta siccitas extra sanitatis limites reponitur, quia paulatim fit, et ad naturale senium tendit. Tandem quod de ebrietate propositũ fuit, ridiculum est, nanq. remedia perniciosa tentanda non sunt, perniciosam autem homini esse ebrietatem quisque facile intelligat ab ipsamet experientia, et à Galeno eodem loci, quo cerebrum ebriorũ multa humiditate perfundi, ait, ibidem cerebrum enim quoq. grauari subnectit, & ex 5. aphorism. comm. 5. conuulsionem ab ebrietate imminere posse colligimus, ac deniq ex Alexandro lib. 1. problemm. 17. multos vino ebriatos obiisse habemus, quod vini copia naturalem, animalemq vim omnem suo calore opprimat, eorumq. præsertim, qui calorem insitum exiguum continent, atq. imbecillum, qualem sané vt plurimum melancholici obtinent, Sed quid ad Galenum, quem non ob siccitatem cerebri, sed ob melancholici humoris euacuationem humectantia proposuisse assertum fuit? Respondetur in initio quidem melancholiæ respexisse potius Galenum ad melancholici succi euacuationem, quam ad humectandum cerebrum, nihilominus in progressa affectione ad vtrumq. respexisse, nam & si ad valentiora confungiẽdum esse suadeat, non tamen iubet, quod balnea, & humidus victus deferantur, imo & ratione ipsiusmet melancholici humoris, qui siccus est, humectandi indicatio consurgit, amplius respectu huius semper humectandum erit, respectu cerebri non semper, cum neq. semper ipsi officiat in melancholia siccitas, vt mox patebit. Sciendum igitur est, nullam melancholiæ speciem ab intemperie immediate fieri, veluti iã in prima sectione huius operis ostensum fuit, sed à cerebri tenebricoso spiritu animali, hic autem cum vt plurimum tenebricosus fiat vel à vapore, vel ab humore melancholico, vtroq. frigido, & sicco necesse est, vt tractu temporis, nisi prius adfuerit, talis quoq. consurgat in cerebro intemperies, quæ postea auferatur, non solum calefacientia, sed humectantia quoq. exposcit, imo hæc magis, cum qualitates passiuæ contra quàm faciant actiuæ, difficillimè operentur, ac longiori tẽpore Pari quoq. ratione si ab intensa caliditate & siccitate cerebri melancholicus humor productus spiritus obtenebrando melancholiã faciat, prçter refrigerantia requiruntur humectantia, & hæc magis, quia præter rationem modo dictam, semper in refrigerando cerebro cautè admodùm procedere debemus, quare cum in vnaquaq. melancholiæ specie dummodo cerebri intemperies coniungatur, sicca frequentius coniungatur, hinc cerebrum humectare operæ pretium est, quod in essentiali melancholia progressa saltem, verissimum semper reperias,

Mm 2 in me-

in melancholia autem, quæ per consensum fit, et id vt plurimùm con ??ingit, in hac tamen potest interdum adeo humida intemperie affici cerebrũ quod exsiccatione indigeat, ne tam facile à partibus, quæ ad ipsum transmittunt, recipiat, nec expectandum est (quod forte ignarus quidam posset inferre) vt à siccitate melancbolici humoris exiccetur cerebrum, nam melancholicum delirium esset augere, non amouere in melancholia igitur per consensum caput non semper est humectandum, sed interdum etiam siccandum, quandoq. .n. ob humiditatem suscipit humorem, vel vaporem melancholicum, vnde hoc optimè animaduertens Auicennas dixit melancholiam quandoq. fieri à corde calido, & capite humido.

An in melancholia hypocondriaca pro deobstruendis visceribus, & præsertim liene affecto, diuretica medicamenta conueniant? Cap. XVIII.

CVm obstructionum præcipuæ causæ sint, vel copia, vel crassities humorum, ob illam hi sunt auferendi, ob hanc vero attenuandi, et præparandi sunt, vt facilius deinde per eas excernantur vias quæ, naturæ magis acommodatæ sunt, ita vt si ex: g: iecinoris pars gibba sit obstructa, per renes expurgare oporteat humores, si caua per inferiorem ventrem, hæc enim proxima venis mesaraicis, et intestinis est, illa vero ductus habet cũ venis emulgentibus communicantes, vt hinc per renes, atq. vescã facilius expurget; Quapropter dum quæritur, an in hypocondriaca ad obstructa viscera conueniant diuretica, tunc conuenire dicemus, vbi viscera illa ad renes, et vesicam obuios habeant ductus; Cæterum si ad lienem sermonem coarctemus, res difficultate non caret, quandoquidẽ nulla videtur via à liene ad renes, et vesicam, qua possimus humorem crassum, ac melancholicũ lienis expurgare per vrinas, dein si per faciliorem viam expurganda sunt viscera, per intestina expurgandus est lien, cum proprium alimentum ex iecinore attrahat per venas mesaraicas, quarum plurimę in internas intestinorum tunicas desinunt, nec non ramum spleneticum habeat, qui in ventriculi fundum vsq. prorepta, His autem apertissimè assentitur Galenus lib. 13. meth. c. 17. hęc ad litteram habens," A societate vero cum vicinis partibus, quod idem cum situ est, illa capiuntur, quod gibba iecinoris per renes expurgari oporteat, caua vero per inferiorẽ ventrem, in liene vero alterã duntaxat esse superflui euacuationem, cum quæ per renes agatur, nulla huic visceri euacuanda via pateat, Præterea non ignorandum ex 5. de simpl. medicam. fac. c. 17. quod medicamenta cientia vrinam calida, et acria sunt, sed ista efficerent in hypocondriaca, vbi phlogosis

adest,

adeſt, ergo nō ſunt adhibenda diuretica. verum tamen his non obſtantibus non tantum per aluum ducentibus, ſed & diureticis etiam vti licere in liene, à melancholia expurgando ratio, et experientia ipſa ſuadent, tum quia, vt Hippocrates lib. de alimento et 6. Epid. dicebat, natura doctiſſima eſt, et ſibi ipſi ſecretas vias parat, & inuenit, atq. omnia noſtri corporis conſpirabilia ſunt, tum quia in melancholicis ſanguis eſt ichoroſus, quemadmodum diuinus ſenex 6. Epid. cōm. 2. t. 38. ſcripſit, vnde diuretica maximè iuuant, quoniam expurgāt ichorem, et humorem ſeroſum. ſed & Galenus etiam 1. ad Glauc. in cura quartanæ commendat vſum diureticorum, ibi n. medicamentum e x viperis in potu, et id quod recipit, ſuccum cyrenaicum, præſcribit; et nihilominus, vt plurimum in quartana lienem obſtructionibus affici ipſe voluit, recte autē diuretica exhibet quoniā quartānas per vrinas finiri didicit ab Hippocrate 6 Epid. comm. 4. t. 2. imo Hippocrates libello de internis affectibus medicamēta, quæ lienoſis præſcribūtur per veſicā debere purgare ſcriptū reliquit, quemadmodum et libro de externis affectibus, bilioſis, quæ magnum lienem habent, et ideo praui, ac fædi coloris, ſunt malignaq. contrahunt vlcera, vrinas ſubduci voluit, Nec dicat aliquis ſerum, quo plurimo melancholicus humor abundat (debuit. n. ſerum craſſiſſimo humore permiſceri, vt illius eſſet vehiculum) per renes expurgari, cum ab ipſis attrahatur, humorem autem craſſum, ac melancholicū relinqui, nulloq. modo per renes, atq. veſicam expurgari, quandoquidem & ipſum per dictas vias excerni vrinarum color niger commonſtrat, qua de cauſa et Galenus in 6. Epid. comm. 5. t. 15. vrinas nigras colliquati lienis notas eſſe edocuit, quod idem obſeruauit Auicennas lib. 3. ſen. 15. vbi ſcripſit deriuari humorem melancholicum, cum lienoſi ſe multum exercent, ad vrinarios ductus, & fieri vrinas nigras. Sed ſi per vrinas humor aquoſus hydropum, qui in cauitate abdominis cōtinetur, excerni poteſt teſte Galeno in 7. aph. comm. 55. quantò facilius melancholicus humor in vaſis lienis contentus, ſi medicamentorū ope ſundatur, & in ſerum vertat per vrinas excerni poterit? præterea ex Hipp. lib. 4. aph. colligimus, quod quibus hypocondria ſuſpenſa murmurant, etiam ex vrinæ multitudine leuantur, ſed quibus magis murmurant, quàm qui hypocondriaca afficiuntur, cum & hæc flatuoſa melancholia appelletur? hinc Bioni tumorem lienis profluuio vrinæ eſſe ſublatum videas 2. Epid. comm. 2. Ad rationes vero in contrariū adductas, & primò quoad phlogoſim, reſpondetur. hanc in hypocondriaca prouenire ex obſtructionibus, modò cum diuretica attenuent, digerānt, & aperiant, ablatis obſtructionibus phlogoſim quoq. tollunt, et ita, quamuis ipſa per ſe calida ſint ex accidenti refrigerant; adde quod non obſtante phlogoſi etiam contra melancholicum humorem pugnandum eſt, qui frigidus et craſſus extat, Amplius diligens medicus æqua

lance

lance perpendet, quid magis officiat, an phlogosis, an humorum craſſities, et frigiditas, an obſtructio, hiſq. omnibus recte perpenſis ita remedia attemperabit, & inter ſe miſcebit, vt omnibus debellandis, nulli augendo aptum adinueniat medicamentum nec .n. omnia diuretica calida. & acria ſunt, ſed ea, quæ violentius mouent vrinas, nec deſunt inter diuretica, quæ potius temperata ſint, imo & frigida & emollientia, vnde à Galeno 6. de ſimpl. med. fac. adiantum, quod in caliditate, et frigiditate ſymmetrum eſt, epotum lapides frangere ſcribit, ſed ſi lapides frangere, ergo & vrinas educere potentius erit, amplius pepones, melopepones, & cucumeres, in quibus frigida & humida temperies ſuperat, vrinam ciere tradidit, idem lib. 2. de alim. fac. et lib. 8. de ſimpl. medic. fac. hypnotici ſolani ſemen vrinam ciendi poteſtatē habere aſſeruit, quod tamē ualde refrigerante vi pollet. Ad eos vero qui à liene ad renes nullam viam eſſe contendunt, certè hos decipi reſpondere poſſumus, quandoquidem et ſi venarum lienis cum emulgentibus nulla ſit communio, niſi diſtantiſſima, & in hæ pate, vbi omnium venarum initia radicātur, nihilominus plurimæ ſunt in liene arteriæ, quæ ab emulgentibus arteriis propagātur, ita vt breui, ac patenti via poſſit melancholicus humor à liene ad emulgentes arterias euacuari, quarum munus eſt non ſolùm vitalem ſpiritum deferre, ſed etiam ſeroſas humiditates in arteriis contentas ad renes deponere, vt inde per veſicam expurgentur. At quia quis fortè dubitare poſſet, quod in arteriis lienis ſanguis craſſus, ac melancholicus contineatur, hic ſciat craſſum ſanguinem attrahi à venis, & arteriis lienis, at hunc poſtea in arteriis elaborari, ac tenuiorem reddi pro nutriendo liene. hinc Galenus 4. de vſ. part. c. 15. hæc ipſiſſima profert, " At qui ſanguis adeo tenuis in arteriis huius viſceris eſt, generationem habet ex craſſo illo, & melancholico excremento, & paulo poſt, " qui nanque (ſāguis ſcilicet) attrahitur ad ſplenē, craſſior eſt eo, qui eſt in hępate, at quià elaboratus ab arteriis, quæ illic ſunt, &c ita vt nullo pacto dubitari poſſit, quin melancholicus ſanguis arteriis mediantibus per vrinas expurgari poſſit, Hinc ſi fides adhibenda eſt libello, qui inſcribitur Galeni Quęſita in Hippocratem qui tamē ex Pronoſticorum, & Aphoriſmorum commentariis decerptus eſt videbimus triplici de cauſa nigras vrinas mingi, aut propter aſſatum ſanguinem, aut propter totius corporis refrigerationē, aut melācholico humore purgato, ſed quid plura, aut clariora expetimus? habemus lib. de vrinis Galeno adſcripto c. 15. Quod craſſa, & nigra vrina ſignificat euacuationem melancholici humoris, id quod multoties fit in declinatione quartanarum, & in ſolutione melāchol æ, ergo in curanda melācholia hypocondriaca vel liene affecto conuenire poſſe diuretica medicamenta non denegabimus

mus, dummodo per vrinas melancholicũ humorem, ac fæculentum lienis excrementum expurgari posse satis apertè constat.

An in melancholia thermales aquæ conueniant?
Cap. XVIIII.

HAEc & si quæ alia maximé agitata est controuersia, & vtrinque plures afferútur rationes, Qui has aquas in melancholia conuenire existimant, ità argumentantur. Si ex calidiori iecinore sanguinem adurente efficiatur melancholia, in eã thermales aquæ, in quibus ferri facultas prædominatur, vt nostræ lucenses sunt, villenses appellatæ maximo sunt vsui, nanq. feruidiorem iecinoris intemperiem, valdè attemperant, atq. ità adusti sanguinis generationem impediunt ac demum ventriculum, qui in melancholicis imbecillior extat, magnoperè confirmant, roborantq. sui adstrictione. Hinc Rhases, & Auicennas pro confirmandis visceribus aquas istas ferratas laudant, et nisi naturales adsint, illas in quibus chalybs ignitus priùs extinctus sit, subſtituunt; Neq. contra facit, quia Galenus has ipsas non proposuerit, multa n. alia non proposuit Galenus quæ à posterioribus sunt inuenta. Amplius si propter frigidam, simulq. siccã intemperiem naturalium membrorum terrestris, ac melancholicus in corpore coaceruetur humor, aquę thermales calidiores, quales sunt Aquarienses, & Diui Petri Patauinæ, conueniẽt, quia præterquamquod frigidam emendẽt intemperiem, cerebrum etiam quomodocunq. imbecillum roborant istæ aquæ, et ideo hoc nomine in quacunq. melancholia conueniunt, quia hęc, quæcunq. fuerit, cerebri efficit imbecillitatem, Neq. harũ siccitas metuẽda est in affectu ab humore valde sicco exorto, & cui etiam, vt plurimum, partium siccitas adnexa est, quoniam Trallianus epithimum, & hierã sæpius melancholicis exhiberi iubet lib. 1. c. vlt: & Paulus Aegineta lib. 3. c. 13. quem practicãtes omnes sequũtur, vrinam, et sudores cientia medicamenta præbet, imo in eo morbo exiccantia conueniunt medicamenta qui ab humore duro, ac terrestri, qualis melancholicus est, producitur, attenuationem si quidem validam requirit hic humor, quam à calidis, & siccis medicamentis fieri docuit Galenus lib. 4. de simpl. med. fac. c. 18. & 19. necnon lib. 8. eiusdẽ operis c. de Mirrha, et quamuis non omnia attenuantia medicamenta calida esse sciamus, omnia tamen sicca esse scimus, quemadmodum non ignoramus etiam insigni humoris melancholici terrestreitati, ac duritiei validiusculam quandam deberi attenuationem, quæ imbecillioribus, ac attenuantibus medicamentis frigidis pręstari nequeat, Aræteus tandem lib. de diutur morb. curat. c. 5 melancholia laborantes in aquis sponte calidis sępè commorari consuluit, Hinc fortè Aetius

Tetr.

Tetr. 2. serm. 2. c. 10. melancholicis labores imponebat, eosq. in sole cum oleo camomelino, & nitro inungebat, verũ .n. vero qui contrariam tuentur sententiam, nec in vlla melancholiæ specie thermales aquas admittunt, ex harum pręcipuè siccitate mouentur, in eo .n. morbo exiccantia medicamenta commendari non debent, in quo humectandum esse medici omnes, & græci præsertim statuerunt, Harum autem aquarum siccitatem, & insignē ex professo demonstrauit Galenus 1. de simpl. med. fac. c. 6. & 7. Dein nos melancholicos omnes macilentos esse videmus, quos si quis medicamentis vltro exiccauerit macilentiores proculdubio efficiet, quare et thermales aquas ipsis nocuas esse colligere debemus, Tandem in melancholia, & pręsertim hypocondriaca, summus ventriculi languor, vomitiones, cruditates, inflammationesq. extant, aquæ thermales, quæ refrigerant, omninò fugiendæ sunt, Cæterum his ex vtraq. parte rationibus perpensis, necesse est ad hanc dirimendam litem melancholiæ species inter se distinguere, atq. singulis seiunctim animaduersis quid veritati consonum, quiduè dissonum sit, posteà diiudicare, Quoad essentialem igitur melāncholiam spectat, in ea melancholicus humor frigidus, & siccus in cerebro contentus, tanquā morbificus eradicandus est, et quia crassior est, vt facilius euacuet, attenuandus est etiam, ac tandem, quia cerebro proprias qualitates tractu temporis impertitus est, cerebrũ quoq. calefaciendum, & humectandum erit, alioquin melancholicũ humorem augeret, imo (et hæc est præcipua intentio) si causa melancholicũ humorem generans sit præsens, vel exprimens, vel adurens, quæcunq. fuerit auferenda est, Modò si cuinam ex his indicationibus thermales aquæ satisfacere possint, examinemus, nullam aliam adinueniemus nisi attenuationem, nam quamuis etiam earum aliquæ calefaciendo frigidæ intemperiei mederi queant, nihilominus siccitatem, quæ semper est adiuncta, augerent, quo nomine etiam frigidę thermales aquę, quāuis in cerebro adurens causa reperietur, reprobātur, Quod vero ad attenuationem pertinet, tutius est ea adhibere medicamenta, quę dum attenuant, emolliant quoq. qualia sunt syrupi, decoctiones, & alia medicamenta à peritis medicis ad hoc præscripta, quandoquidem melancholicus humor, cum durus, ac crassior sit, non solum vt attenuetur, sed vt emolliatur, quoq. expostulat. Hæc autem, quæ de melancholia essentiali dicimus eadem & de melancholia, quæ fit per consensum à toto dicta sint, si quidem neq. in ea thermales aquas conuenire existimamus, Remanet igitur, vt si in aliqua melancholiæ specie conueniāt istæ aquæ, in hypocondriaca appellata melancholia] earum vsus esse possit, sed antequam ad hoc ostendendum accedamus, necesse est vt prius satisfaciamus rationibus, quę in superioribus melancholiæ speciebus conuenire thermales aquas probare nituntur, Dicamus g. quod

quamuis

quamuis quę refrigerant huiusmodi aquę caliditatem hæpatis sanguinē adurentis attemperare valeant, & quominus atrabilaris humor generetur impedire possint, nihilominus quoniàm non à sola hæpatis caliditate generatur dictus humor, sed etiam ab insigni eiusdem siccitate, quæ fortasse maiores in huiusmodi humoris generatione habet partes, humectationi ob id insistendum iusserunt antiqui, Pari ratione neq. calidiores aquæ illis melancholicis prodesse poterunt, qui ob naturalium membrorum frigidam, & siccam intemperiem multum colligunt succū melancholicum, sicca enim existente in vniuerso corpore intemperie, dictarū aquarum quæ valdé exiccant, vsum tuto non admittunt, Prætereà dū dicūtur, hæ aquæ firmare caput, nulla est ratio, si prius intelligatur quomodo hę aquæ cerebrū roborent, dicuntur illæ cerebrū roborare dum ipsius intemperiem auferunt (neq. enim abscondità peculiarem vim quandam habent, qua id præstent) quare cum melancholicorum cerebrum siccitate afficiatur, hanc sua vi pariter exiccante augebunt prædictæ aquæ, ob idq. magis nocebunt, Neq. etiam recitatæ opinioni fauet, quod Trallianus, & Paulus attenuantibus medicamentis, quæ omnia exiccant, in melancholiæ curatione vsi fuerint, cū enim duo ad summum pro huiusmodi morbo profligando requirantur, & humoris peccantis expurgatio, & intemperiei membrorum illum generantium correctio, hanc corrigere frustrà tentauerit ille, qui prius alteri indicationi non satisfecerit, nec durus, ac terrestris humor tutò expurgabitur nisi priùs emollitus, & attenuatus fuerit, porro attenuant calida, ac sicca medicamenta, neq. purgans est adinuenire medicamentum quoque, quod non excalefaciat, & exiccet, quare in eo sępè versamur discrimine, vt his vti cogamur medicamentis, quæ morbum sua natura augere apta sunt, maius inde iuuamentum nocumento consequuturi, thermales autem aquas nec intemperiem siccam posse corrigere, nec collectū in capite, vel in vniuerso corpore atrum humorem posse expurgare clarum est, si vero de earum attenuante vi sit sermo, iam supra responsum fuit, Aretei tandem authoritas in hoc ipsius pace reiicienda est, quoniā ex alia parte Galenus 1. ad Glauc. c. 9. his, qui sicci sunt, balneationes ex marinis, salsis nitrosis, atq. sulphureis aquis inutiles omnino esse, particulari etiam adducto exemplo, docuit, quidá enim corrupto iudicio hisce balneis vti persuasus, extenuato corporis habitu, ad tantam maciem peruenit, vt tabe consumptus interierit, Cęterum in hypocondriaca melancholia thermales aquas refrigerantes, & quæ ferri minerā prælertim retinent, conuenire omnes fere medici existimant, quoniam siue hæc melancholia ventriculi labefactationem, siue calidam hæpatis intemperiem, siue etiam mesaraicarum venarum obstructiones insequatur, prædictæ aquæ ventriculum roborare, hæpar attemperare, & sua siccitate crassos humores attenuando obstructiones reserare valent,

mo cum in hac melancholia hypocondriorum venę phlogosi vt pluri mum laborare soleant, huic quoq. occurrere posse iam dictas aquas du bitandum non est, Neq. earum siccitas in hac melancholiæ specie perti mescenda est, quando in ea etiam ab hæpate calidiori, atq sicciori sanguis melancholicus gignatur, quoniam pręterquamquod raro à sola hępatis caliditate, & siccitate hypocondriaca melancholia efficiatur, tunc temporis etiam non eam habet adiunctam hępar siccitatem insignem, quæ dictas aquas prohibere possit, ita vt non maius futurum sit ex refrigeratione iuuamentum, quam ex aquarum siccitate detrimentū imo cū hæpatis sicca intemperies in hoc casu ex nimia eiusdem caliditate subnectatur, dum ipsius feruorem attemperamus, siccitatis inc rementum prohibemus nō enim in hypocondriaca cum hæpatis caliditate siccitatem quoq. auctam fuisse debemus existimare, quandoquidem si hoc contingeret, non aliquod tamen ex hypocondriis, sed vniuersum corpus melancholico sanguine scateret, et ita non hypocondriaca, sed alia melancholiæ species efficeretur, Cum autem raro à sola hæpatis caliditate, & siccitate hypocondriacam fieri dixerimus, frequentissimé tñ sanguinem melancholicum, et adustum, à quo mens læditur, non ab hæpate ipso, sed ab obstructionibus venarum in hypocondriis existentium prouenire dicimus? qui quidem sanguis satis calidus in hæpate calidiori gignitur, sed in dictis venis propter obstructionem conclusus magis, ac magis aduritur, ac siccior euadit, vnde si frigidas thermales aquas exhibeamus, iecinore ab eis refrigerato melior in primis sanguis ad eas venas transmittetur, qui alium iam magis excalefactum attemperare poterit, deinde reseratis earū attenuatione media obstructionibus, incendii occasio adimetur, neq. has summus ventriculi languor, vomitiones, cruditates, ac inflationes renuunt, quandoquidem si hæc affectio ex iecinoris caliditate exurente initium sumat, sciendum est illa omnia fieri potius ex obiecto, seu errore externo, fluxione scilicet atræ bilis, & melancholicæ saniei ad ventriculum, quam ex propria ventriculi intemperie, vt propterea sublata fluxione, & fluxionis causa, hæc hypocondriaca quamprimum curetur si vero ex cruditate ventriculi mesaraicas obstruente hæc affectio ortum trahat, tunc calida & sicca medicamenta medici omnes præscribunt, quare & tunc temporis per interualla tettuccianas aquas, vel alias similes exhiberi posse nullus inficias ibit, quarum etiam vices ius galli, aut columbi turrialis subit, Post hæc exhibita cruditatibus ablatis, & obstructionum materia imminuta. si quæ accensio in hypocondriis remaneat, & frigidas aquas exhiberi posse certum est, cum præter refrigerationem ventriculum etiam & alia naturalia viscera sui adstrictione corroborent, Deniq. notandum est, quod in hac re medicus de beresse valdè diligens, & oculatus, ne violet Hippocratis oraculum 1. Epid. Comm. 2. t. 50.

Nimirum

Nimirum vt in morbos prosit, aut saltem non noceat, quamobrem necesse est (et eo magis quo viri grauissimi de hac re nihil certi statui posse testati sunt) prius rectè animaduertere morbi causas, symptomata, ægri temperiem, corporis habitum, ætatem, anni tempus, & similia, ex quibus colligere possimus, quidnam magis urgeat, an scilicet refrigeratione magis, an vero calefactione sit opus ac simul determinare quodnam remedium æger facilius perferre queat, Hæc fusius apud Syluaticum Mediolanensem, a quo breuiter decerpta sunt, in suis controuersiis reperias.

An in melancholia serum lactis conueniat? Cap. XX.

LActis serum melancholiæ, quæ est per essentiam in cerebro, nihil, vel parum auxiliari posse certum est, nàm siuè humorem, siue cerebri intemperiem, dum sit adnexa, respiciamus, vtrumq. calefieri debet serum autem lactis refrigerat, Nec quid foret incipiens hæc affectio, & adhuc adurentis causæ vestigia remanerent, in cerebro, conueniret hoc remedii genus eo nomine, quo refrigerare, & humectare posset, nam si modica quantitate sumatur, eius substantia non pertingit ad cerebrum, sed cito permeat ad renes, cum hi serosa humiditate oblectentur, illamq. alliciant, si vero maiori copia sumatur, cum vi detersoria non careat, cito, ac facile per sedem educitur, ità vt neq. hoc modo sumptum suas vires cerebro communicare possit, nanq. omnis actio fit per contactum, vnde Galenus 3. de loc. aff. in hac melancholia curanda vtitur, quidem humectantibus, sed iis, quæ cerebro suā vim impertiri possint, inter quæ præcipuè est victus humidus, & hoc pacto serum per se vtile foret in melancholia per essentiam si ipso in victus ratione vteremur, quemadmodum vsus est Galenus in curando cancro, ex accidenti vero vtile esse posset, aut quatenus primarum viarum exustos, & melancholicos humores expurgans, foret in causa ne illi cerebri affectionem augerent, aut quia admixto fortiori medicamento, a capite crassum, & melancholicum humorem attrahere posset, sic Galenus in eodem cancro curando serum cum epithimo præscribit lib. 14. meth. c. 9. et alibi scamonium admiscet. Sed accomodatissimum remedium esse lactis serū melancholiæ, quę per consensum ab vniuerso corpore dependet, nō est qui neget, quandoquidem melancholicum humorem, qui prædurus est, sua humiditate emollit, ac iecinoris excedentem caliditatem, à qua producitur, valde sua frigiditate contemperat, ac pręterea cum sit tenuium partium crassitiem quoq. melancholici humoris imminuit, nec non tandem, siue per lotiū siue per aluum excernatur, secum melancholici humoris portionem expurgat, nam lactis serum calidos, atq. exustos humores expurgare

tradidit Mesues, & ante ipsum Galenus qui 3. de alim. fac c. 15. lactis, quod serosum est succos crassos tenuare, & aluum subducere dixit, veruntamen si ea remedia, quæ debellando melancholico humori in melancholia à toto sunt apta, & eadem ipsimet debellando in quartana febre conueniunt, Certè his omnibus contrarius esse videtur Aristoteles lib. 1. problem. 57. nam ait, quod in quartanis febribus oportet non attenuare, sed ignem in corporibus adaugere, nos vero in melancholia beneficio seri & melancholicũ humorẽ tanquã crassum attenuare; & ignẽ in corporibus minuere prædicamus, Arist verba sunt ista, Τεταρταίοις πυρετοῖς δεῖ μὴ λεπτύνειν, ἀλλὰ πῦρ ἐν τοῖς σώμασι ἐμποιεῖν εἰσάγοντα idest, Quartanis febribus oportet non attenuare, sed ignem in corporibus efficere introducentem Hunc nodum Ludouicus Septalius in suis doctissimis commentariis, & alii omnes interpretes facile soluũt, dũ verbum illud λεπτύνειν .i. attenuare, non de medicamentis, sed de victus ratione intelligunt, si quidem illa certissimum est perutilia fore, cum melancholicus humor sit frigidus, & crassus, qui attenuantibus indiget mediocriter excalefacientibus, & humectantibus; hanc vero oportet non attenuare, quemadmodum fit in acutis morbis, in quibus tantum cibi solum concedere lex est, quantum pro viribus sustinendis breui illo tẽpore, quo duraturæ sunt febres, sufficere potest, quod cum breue sit, tenui etiam substantia opus habet, in quartanis vero, cum diuturnæ fiunt, si tenui victu vteremur, virtus sufficere nonpossetad statum vsq. morbi, sed omninò succumberet, Quoad reliquam vero particulam spectat verissimum est in quartanis febribus (oportuno tñ tempore, ac præmissis præmittendis) quod ignem adaugere oportet, hoc est, quod calefacientibus medicamentis vti expedit, nam cum febris non ardens fuerit, neque admodum vehemens, tunc ea per se neglecta totam curationem ad causam morbificam conuertimus, hinc cum quartanę exquisitæ ab humore frigido, & sicco producantur, excalefacientibus indigent; sic Galen. 1. ad Glauc. quartanarijs vinum concedit, diatrionpipereon, ac diaspoliticum exhibet, imò & medicamentũ ex viperis, & quod succum cyrenaicum assumit; quæ quidem omnia, & in protracta, ac contumaci melancholia conuenientissima forent; nam si melancholia à toto iam fuerit progressa, & in eam corporis temperatura ad frigidum & siccum sit immutata, tum serum ratione frigiditatis suspectum est, cum tamen antea, vbi adhuc alicuius feruoris indicia maneant, maximè vtile, ac præsentaneum remedium sit; Neque improbent in hac melancholiæ specie ipsius vsum, dùm calidum, & siccum, non autem frigidum, & humidum esse serum lactis contendunt, vel testimonio adducti ipsius Auicennæ lib. 2. tr. 2. cap 441. nec non Mesues lib. 2. simpl. c. 9 qui etiam hydropi frigidissimo affectui serum lactis prodesse edocuit; quandoquidem si seri naturam exactè consideremus,

mus, illud non simplices, sed hæterogeneas partes habere conspicietur, quare & diuersis quoque facultatibus constare non erit inconueniens; inest enim sero aliqua caliditas, non tamen talis, ac tanta, quę a frigidioribus eiusdem partibus non superetur, vt propterea serum sit à prædominio frigidum, & humidum cum aliquo, sed leui subdominio calidę facultatis, quam ex leui quadam acrimonia colligimus in diligentiori gustatu perceptam, cum tamen communi gustui videatur insipidum; vnde non mirum etiam si contrarios producat effectus leuiter detergendo, deobstruendo, & euacuando per leuem, & obscuram caliditatem, insigniter refrigerando, & humectando per prædominantem frigiditatem, & humiditatem, quare si (vt ait Mesues) hydropi prosit, hoc non calefaciendo, sed deobstruendo facit, alterando enim solis calidis affectibus prodest; sic etiam contrarijs facultatibus, & acetum, & cicorium, & alia plura prædita esse videmus, quæ tamen omnia habito respectu prædominantis facultatis frigida appellamus; hinc Galenus 4. lib. simpl. c. 17. de lacte verba faciens scribit ex tribus substantijs qualitate diffidentibus constare, prima quidem crassa, ex qua caseus conficitur, altera pingui, ex qua butyrum, tertia aquea quam serum vocamus, verùm ex hisce pinguem quidem, vel maximè temperatam esse, crassam verò paulùm ab ea declinare, at excrementum illud serosum, & frigidum, & humidum esse; Desinant igitur detractores Galenū vocare immemorem illius, quod scripserat 3. de alim. fac. supracit. atque peregrinam de seri caliditate opinionem tueri desistant, dùm vident Galenum 2. de arte curat. ad Glauc. c. 10. dicentem in cancris curandis (quos ab atra bile seruorem habente fieri non negabunt) succum ptissanæ, & serum lactis abundanter exhibendum esse in victus ratione, vbi tanquam similia proponit, & succum ptissanæ, & serum lactis, nec tamen quispiam succum ptissanæ calidum proferat; Tandem si de melancholia hypocondriaca sit sermo, cum serum sit flatuosum, in flatuosa ægritudine minimè conuenire videtur, alia tamen ex parte cum phlogosim, quæ in ea fere semper adesse solet, valeat extinguere, & obstructionibus in ea quoque ferè semper existētibus maximè auxilietur ob detersoriam, & deobstruendi facultatem, qua pollet, remedium valde accommodatum esse videtur. quamobrem ad hanc dirimendam litem animaduertendum erit, an magis ventriculi cruditates, & flatuositates, an verò hypocondriorum phlogosis vigeāt, nanque si illæ magis negotium faciant, ad serum deueniendum non erit, antequam ipsis prospectum sit; ad obstructiones verò, quod attinet, si hæ antiquiores, aut contumaciores sint, non sero, sed validioribus auxilijs erunt tractandæ; His etiam possumus addere serum purum, & in exigua quantitate non esse in hac affectione exhibendum, sed vel medicatum, vel copiosum. Hinc Galen. 5. aph. 64 se in flatuo

sis hypocondrijs sero cum melle, & sale felicissimè vsum esse testatur; & Hippocrates in fine 2. epid. vbi hypocondria sunt distenta flatibus, serum ad quantitatem octo cotylarum (quarum singula ex Dioscoride habet vncias nouem) laudat.

An lac Melancholicis conueniat? Cap. XXI.

DVplicem in melancholia lactis vsum esse posse animaduersum est, internum scilicet, & externum, & quoad externum spectat, certè ex lacte capitis lotiones, aut stillicidia supra suturam coronalem administrata, fuerunt a grauissimis viris præscripta tum ad amouendam cerebri siccam intemperiem contractā, tum ad conciliandum somnum; si verò de interno loquamur, res difficultate non caret; Hinc Rabbi Moises c. de melancholia perhibet vsum lactis, & lacticiniorum, quia facilè corrumpantur, & quia lac cū vaporosum sit, varias possit producere imagines, fortè edoctus a Gal. qui in 5. aph. comm. 64. dicebat lac in ventriculo frigidiori prorsus acescere, in calidiori verò in nidorem abire; atque insuper hypocondria attollere necnon caput petere: quare cum lac in caput euaporet, nullis melancholicis erit aptum; Nec aptum erit melancholicis, qui cruditatibus, ac frigiditate ventriculi laborant (vt euenit in melancholia a toto iam progressa) quia in ipsis acesceret. Nec etiam hypocondriacis, qui sæpè ventriculi phlogosi infestantur erit aptum, tùm quia in ipsis ad nidorem corrumpetur, tùm quia ipsorum hypocondria iam suspensa, & tumefacta magis afficientur, nam si ijs, vt Galenus ait, qui integra sanitate fruuntur videmus ob lac hypocondria inflari, non est admirabile colligere, quod ijs, qui iam suspensa habent hypocondria lac sit inimicissimum, quod eodem loci fecit Hippocrates, dicens, lac date quibus hypocondria suspensa murmurant, malum; hoc autem præcipuè in melancholicis verificatur quoniam cum imbecillo ferè omnes ventriculo sint, lac in eo non superatur, sed in flatus vertitur cum paucissimi sint, quibus id non accidat, vti testatur Galenus 3. de alim. fac. c. 15. vbi etiam capiti lac non esse accommodum, vt nec hypocondrijs, quæ leui de causa inflantur, scribit; Præterea melancholici ijs, quæ humores crassos attenuent indigent non ijs, quæ humores crassos producant, lac autem crassos succos gignit ex Auicenna libro secundo, ca. de lacte, ob quos etiam obstructiones parit, & auget, quæ in hypocondriacis non procurandæ, sed auferendæ sunt. His tamen non obstantibus lac in melancholia maximè conuenire videtur, quia hæc affectio tùm ratione melancholici humoris, tùm ratione intemperiei adnexæ semper indiget humectatione; & siue in corporibus calidis, & siccis, siue in frigidis, & siccis melancholia reperiatur, in ea lac, cum temperatum sit, semper conueniet, quod enim temperatum est medium quoque est inter excedentes qualitates, & medium contrarij,

vices

vices subit, ità vt humores, atque intemperaturas calidiores refrigeret, frigidiores autem calefaciat; Quod autem lac temperatum sit, ex eo patet, quia tepidum, quemadmodum lib. 5. de simpl. medicam. fac. c.21. testatur Galenus; lac enim quoad calorem attinet, inquit ille, est in medio pituitæ, & sanguinis, sed hic moderatè calidus, illa moderatè frigida, ergo lac temperatum erit, quamuis in medio horum tàm æque non extet, quin propiùs accedat ad sanguinem: Quando igitur dicunt isti lac in caput euaporare, quid ne hinc mali? fortè varias imagines producere? hoc verum esset, vbi ex corrupto lacte eleuarentur, isti vapores, sed nisi ex corrupto lacte eleuentur, tantum abest, vt melancholicas imagines, aut aliud detrimenti afferant, quin potius valde auxilientur, nàm siue in cerebro durus humor sit emolliendus, siue sicca intemperies amouenda, quid humida euaporatione melius excogitari potest? quod aptius ad inducendum somnum? & quamuis dicat Galenus In comm. cit. aph. lac vel in integra sanitate capiti dolorem afferre, hoc intelligendum est, vel vbi nimia eius copia ingeratur, vel vbi in ventriculo corrumpatur, alioquin falsissimum esset, siquidem quotidiana experientia patet quamplurimos lacte vaccino, ouino, & caprino in prandijs, & commensationibus vti, qui tamen nullo capitis dolore postea infestantur; Hippocrates verò lac dare caput dolentibus malum esse inquit, quia cum caput propter vaporosam, siue humorosam repletionem doleat, lac repletionem huiusmodi augens, dolorem quoque augeret; cæterum plurimi ex melancholicis sunt, qui nulli capitis dolori subiecti extant, quibus propter iam enarrata commoda lac mirificè prodesset; si verò suspensa, ac flatuosa obijciant hypocondria, & nos cum ipsis in hypocondriaca melancholia vsum lactis vitabimus, in qua præter hypocondriorum suspensionem sæpè etiam ventriculi phlogosim obseruamus, ob quam lac in nidorem corrumperetur, sed essentialis melancholia, & ea quæ per consensum est a toto, remanent in quibus cum neque summa ventriculi caliditas adsit, neque hypocondria suspensa reperiantur, lac tutò concedi potest; obijciunt in melancholia a toto iam progressa ventriculi frigiditatem, cum in hac iam totius corporis temperamentum ad frigidum, & siccum sit conuersum, nam in frigidiori ventriculo lac acescere iam legimus; Sed huic incommodo facilè occurremus, si lacti modicum salis, aut mellis, aut etiam saccari ex hodierno more immisceamus; ex horum enim admixtione lac ventriculo acescere prohibetur; vnum tamen, antequam vlterius procedamus, necessario animaduertendum est; nimirum non omne lactis genus, quod homines in vsu habent in melancholia conuenire, sed illud, quod tenuius est, ac minimè caseosum, nam quod crassum atque caseosum est, vti ouinum, ac vaccinum, reijciuntur; inter omnia igitur lactis genera, excepto humano, laudabilius erit asininum.

Hoc

Hoc iacto fundamento facilè reijciuntur argumenta, quæ lac crassos succos gignere, & ob id venas obstruere, obstructionesque iam factas augere asserunt; quandoquidem hæc non asinino lacti, sed aliis forte superius enarratis competunt, imò asininum lac omnino contraria efficit, quoniam planè tenue est, & humoris serosi plenum, vti scribit Galenus lib. 10. di simpl. med. fac. & experientia testatur: cum ex illo caseus minime fiat, vnde 3. de alim. fac. c. 15 asininum lac succos crassos attenuare, ac propterea aluum magis subducere scripsit Galenus ob plurimum, quo abundat, serum, hæc .n. lactis quod serosum est, efficit; Hinc non immerito eodem loci propter eandem causam testatus est, quod asininum lac, etiam si semper eo vtare, nihil afferre periculi, Tandem huiusmodi lac in melancholicis ex eo conuenire probatur, quia vt plurimum sicci, & emaciati sunt, hoc autem nos edocuit Galenus lib. 7. meth. c. 6. vbi in siccis corporibus asininum lac optimo iure commendat, Hinc Rhases in 9. Conf. cap. de melancholia lac nuper mulctum adhuc calens melancholicis concedit, ac si quis muliebre lac ab vberibus exsugeret, ille præstantissimo remedio vteretur, quamuis hoc remedii genus hodie non sit in adeo frequenti vsu quemadmodum antiquitus erat.

An vsus Aceti in melancholicis probetur?
Cap. XXII.



Ipp. lib. de rat. vict. in morb. acut. sect. 3. t. 38. ait, quod ab aceto nigra bilis fermentatur, attollitur & multiplicatur: vnde Galenus in commento melancholicis aduersissimum esse dixit Hoc autem similitudo, quam habet acetum cum nigra bile, suadet, si quidem cum in habentibus symbolum facilis sit transitus, in hanc facile commigrabit acetum, Hanc vero similitudinem, quamuis ex se satis innotescat) confirmauit Galenus lib. 3. de sympt. caus. c. 2. ità inquiens, " Nigra bilis frigida quidem, quia terrea, caloris autem particeps, sicuti cinis, & acetum, nec non in 4. aph. comm. 23. dùm scribit, nigram bilem mordacem esse sicuti acetum, tandem acetum refrigeratorium, exiccatoriumq. est ex Galeno 1. de simp. med. fac. c. 24. ita vt non solum nigram bilem magis talem redderet, sed cæteros etiam humores frigidiores, atq. sicciores efficeret, inque naturam melancholiæ affinem commutaret, Altera ex parte vsus aceti in melancholicis reprobandus non esse videtur, cum Galenus 11. meth. med. c. 16. scribat, in crassis, & lentis humoribus lienis debellandis aliquid aceti esse immiscendum medicamentis, & idem 9. de compos. med. 5. l. c. 2. ait, acetum liene commodum esse, vtpote secare, & attenuare crassos humores potens citra calefactionem, imo ob id, quia citra calefactionem

crassos attenuat humores, videtur acetum melancholici humoris generationi aduersari, quandoquidem hic ex caliditate adurente, & incrassante prouenit; Aetius tandem, & Paulus in melancholicis aceti vsum amplectuntur: ipsis enim ægris post omnem cibum vbi iam dormire velint, aceti quam acerrimi sorbitiunculam præbent. Profectò in hac enodanda difficultate prius animaduertendum est, an pro ciborum condimento, an pro medicamento exhibendum sit acetum, nanque si pro condimento sit vsus illius, certè si parcè, & pro imminuta interdum excitanda appetentia aceto cibarijs immixto in melancholicis vtamur, nihil obesse poterit, si verò copiosè, ac frequenter, maximo detrimento erit, quia melancholico humori gignendo, & exiccando ansam præbebit; si verò aceto pro medicamento vtamur, illud reprobandum non erit in melancholicis, sed modicè sumptum, neque frequenter nimis, neque solum, neque in omnibus melancholiæ speciebus, & eius vsus probabitur, quatenus crassos humores attenuare poterit, necnon ratione penetrationis. Singula seorsim repeto. Conuenit acetum modicè sumptum, neque frequenter nimis ne frigiditas, ac siccitas, quæ in melancholiæ progressu contrahi solet, ac ne melancholicus humor, vt superius dictum est, augeatur; hoc præterea est Galeni preceptum 14. meth. cap. 5. vbi ait, quod, si quis diutius vtatur aceto, substantiam ipsam neruorum debilitauerit, quare nec sæpè, nec longo tempore vtitur Galenus medicamentis, quæ ex aceto componuntur ad ligamenta, & tendens. Sed si hoc ille desoris obseruat, quo nos magis intus idem obseruare debemus? Non solum exhibendum esse acetum, iam diximus ex Galeno de compos. med. 5. l. neque contra hoc est Pauli, & Aetij, sententia, eius potum a cœna commendantium, quandoquidem hoc fecerunt illi, non vt crassos attenuarent humores, non ratione penetrationis ad affecta hypocondria, aut ad obstructas venas (erroneum enim esset ipsum a cibo porrigere, neque etiam vt somnum conciliarent, cum vigilijs valde infestentur melancholici, siquidem aceti siccitate ipsas auxissent, sed vt melancholiæ vapores, & vstilagines ad cerebrum ascendentes reprimerent, atque prohiberent; acetum enim hæc omnia sui aciditate os ventriculi corrugante veluti coercet; Non conuenit acetum in omnibus melancholiæ speciebus, namque in essentiali melancholia, & in ea, quæ est a toto, si humor melancholicus frigidus, & siccus abundet, & causa ipsum producens talis quoque sit conditionis, nemini dubium, quod vtrique sui frigiditate, ac siccitate aduersabitur; non conuenit etiam in melancholia, quæ fit per consensum ab vtero, quandoquidem ex Hippocrate lib. de rat. vict. in morb. acut. sect. 3. t. 39. habemus, mulieribus longè magis, quam viris aduersari acetum, cum vterum dolore afficiat, & Galenus rationem reddens in commento hæc habet ad litteram; " Quod acetum suapte natura ne-

nos offendat testatur experimentum, & ratio demonstrat, nempè exangues sunt, & ideò frigidi, facileque ab ijs, quę refrigerant simul, & tenues habent partes, afficiuntur medicamentis, læduntur præterea, & a reliquis refrigerantibus omnibus, sed substantiæ aceti, quod tenui unius est partium in eorum mergitur profundum, atque in omnes ita penetrat partes, vt ne minimum quidem ex eis illęsum maneat; sic igitur acetum neruosas offendit partes, vterum autem ex anatomica inspectione neruosum esse constat; nihilominus si alijs deobstruentibus calidis medicamentis admixtum sit acetum, & in pauca quantitate, non adeò in melancholia per consensum ab vtero suspectum erit; quod & de ventriculo, dum ab ipso melancholia pendeat, animaduerti potest; In ijs verò melancholiæ hypocondriacę speciebus, in quibus iecur, aut lien, aut mesenterium afficitur, acetum alijs medicamentis eas partes respicentibus admixtum per interualla locum habere non inconuenit; imò proficuum est, tum ratione attenuantis, atque discutientis facultatis, quam ipsi tribuit Galenus 2. de compos. med. 5. l. c. 1. tum ratione penetrationis, nam alijs admixtum medicamentis vias ipsis aperit, atque illorum vehiculum est, vnde de eo verba faciens Galenus 1. de simpl. med. fac. c. 29. Acetum velut alas aquæ ad omnes corporis partes permeandas addere scripsit; & lib. de bon. & mal. succ. c. 12. aceto multo vias omnes angustas expediri, vt nusquam crassus, glutinosusque humor hæreat, nos docuit; namque præter attenuationem, atque discussionem, incidente, desiccanteuè facultate quoque pollet. Cæterum quod maiorem facit difficultatem, est Galeni documentum in lib. de rat. vict. in acut. comm. 1. t. 30. vbi acetum mentem ferire scribitur, quare si mentem feriat, vniuersaliter, & in omni melancholiæ specie acetum fugiendum esse videtur. Sed & huic difficultati sua patit responsio, nam cum id contingere scribat Galenus ob vehementem aceti qualitatem, nos alijs admixtis medicamentis eam obtundere, atque compescere ita possumus, vti cerebrum, in quo mens suas prodit operationes, non lædatur ab aceto, & præsertim si, vt toties diximus, alia medicamenta copia excedant; acetum verò quantitate sit modicum.

An Vinum conueniat in Melancholia. Cap. XXIII.

EX varijs vinorum speciebus, necnon varijs regionibus, quibus ipsa producuntur, varias quoque illorum facultates resultare vnicuique patere potest, quas singulatim recensere velle, ne dicam difficile, sedi impossibile omnino existimo; quare hoc loci breuitati de more inseruientes dicamus vina nigra, & crassa non conuenire in melancholia, quandoquidem hæc, vt optimè monet Galenus 3. de loc. aff. c. 7. aptissima sunt, vt ex ipsis fiat melancholicus humor: item nec vina

conuenient dulcia, quoniam vt habetur ex Hipp. de rat. vict. in acut. comm.3.t.2. iecur, & lienem tumefaciunt, flatuosaque sunt, eorumque flatus, cum non facile dissoluatur, diutius circa hypocondria moratur, ac tandem Hip. eodem lib. t.41 in mentis læsione à vino pænitus abstinendum esse iubet, hoc enim, vt dicit Gal.1. de san. tu. c.11. partem animæ rationalem hebetem, turbidamque reddit, vnde & ipse vinum mentem ferire scripsit in lib. de rat. vict. in acut. comm.1. t.30. Hinc quoque inter recentiores Rondeletius vir doctissimus in sua praxi c. de melancholia, vbi cerebrum est affectum, vinum renuere videtur, dum ait, vinum nisi tentaret caput, & calidius esset; conuenientissimum esse ad humorem melancholicum coquendum, maturandum, & præparandum, quare in omnibus morbis melancholicis, in quibus caput non est affectum, vinum commodissimè exhiberi, vt in febre quartana vinum album, tenue, aquosum, debile, neque hic aliquis vinum oligophorum, veluti quod parum calefaciat, mentem non ferire dicat, ob idque in melancholia concedi posse, nam si Gal lib.2. de alim. fac. c. de lora (lora autem est aqua pura super vuam extracto vino effusa, & feruefacta) inquit secundam loram minus ferire caput, quam primam, quo magis hoc de vino oligophoro timendum est? Verum enim verò si res melius perpendatur, non immeritò in melancholia vinum exhibendum esse inuenimus, nam duo illa, quæ vinum prohibere dicuntur, nempè vini caliditas, & eius in caput euaporatio, hæc ipsa sunt, quæ vinum exhibendum esse nobis commostrant, & quoad vini caliditatem attinet, hanc melancholicus humor sui natura frigidus, & crassus requirit, siue in cerebro, siue in vniuerso corpore existat, namque attenuari, & calefieri opus habet, imò & discuti, qua ratione Hip.6.aph. 31. dolores oculorum meri potionem soluere testatur, quam sententiam Gal. in comm. declarans dixit, non omnibus doloribus meri potionem conferre, sed ijs dumtaxat, qui a sanguine crasso, & potius frigido, quam calido fiunt, quo nomine etiam Rhases consummatissimus medicus in capitis doloribus non solum vinum, sed generosum etiam commendat; Illud tamen, & rectè animaduertendum erit, an scilicet in cerebro causa humores adurens adhuc remaneat, aut nimia iecinoris efferuescentia, aut alicuius visceris phlogosis adsit: tunc enim præ cæteris vinum oligophorum eligendum erit, tanquam id, quod minimum calefaciens prædicta nequeat augere: Quod verò de vini euaporatione in cerebrum dictum est, illud in melancholia exhibendum esse non prohibet, nam si ex. gr. humor melancholicus in cerebro redundet, quid ab eleuatis vini vaporibus, nisi attenuationem, calefactionem, discussionemque recipiat, cum huiuscemodi vapores sint vini tenuiores, calidioresque partes? sique cū prædicto humore frigida cerebri intemperies coniungatur, non'ne hinc ipsius in contrariū alteratio sequetur? verùm quis dicat in melancholia

per consensum non semper ab humore melancholico, sed vt plurimum ab illius elatis vaporibus cerebrum affici, quo casu, cum vinum huiuscemodi vaporibus maiorem impetum in cerebrum præbeat, non parum læderet, sed leue hoc argumentum est, quoniam etiamsi concedamus ob id maiorem fieri in caput euaporationem, nihilominus valde facilius melancholici vapores dissoluuntur, ac calefiunt à vini spiritibus, quam melancholicus humor; præterea istius melancholiæ per consensum factæ præcipua curatio est, non solum melancholicos vapores in cerebrum eleuatos dissipare, atque consumere, verum melancholicum humorem, vel in vniuerso corpore, vel in hypocondrijs contentum euacuare, qui cum crassus, ac frigidus sit, prius attenuatione, ac calefactione indiget, attenuat autem, ac calefacit vinum. Nihilominus cum vina generosa, etiam si prædictas operationes præstare possint, nimiam siccitatem habeant adiunctam, & vigilias inducant, propterea vitanda sunt in melancholia, quoniam cum melancholici, vt plurimum emaciati sint, ac sicca totius corporis intemperie laborent, si ipsis vina generosa exhibeantur, non paruus committatur error, cum hæc exiccanti facultate sint prædita: pari ratione cum nimis calefaciant, & exiccent, vigilias quibus ferè perpetuis, sæpè tamquam sæuiori symptomate melancholici infestantur, augebunt, indeque eos maximè lædent. Paucifera igitur, & à Græcis oligophora appellata vina conuenient, siquidem hæc enarratas omnes vtilitates melancholicis afferent, omnique noxa vacabunt: non enim hæc siccabunt, sed substantificè humectabunt, non vigilias adducent, sed somnum conciliabunt, nec cerebrum, aut mentem aliquo pacto ferire poterunt: hinc Gal. vina, quæ aquosiora sunt, caput nunquam contristare dixit lib. 12. meth. cap. 4. & libro de bon. & mal. succ. c. 11. scripsit, hæc capiti non esse noxia, imo iuuare, sedatis interdum doloribus quibusdam paruis, qui propter vapores à ventriculo elatos oboriuntur, & hinc etiam, vt experientiam testem habeamus, præbebat Galenus vinum album modicè adstringens Grammatico illi, qui per consensum ab ore ventriculi comitiali morbo corripiebatur 5. de loc. aff. c. 6. tale enim vinum ventriculum robustum faciebat, & caput haud quaquam tentabat. Neque argumentum de lora prolatum quicquam concludit, quandoquidem non a vino, sed à vinaceis, atque vuarũ granis iam expressis lora caliditatem, atq. fumositatem quamdam recipit, ob, quam caput facile tentat, quod etiam vino contingere probamus, dum iam expressum nimis interdum supra vinacea commoratur, amaritiem enim, & acutiorem quandam, caputque ferientem qualitatem contrahit; Præterea oligophora vina somnũ conciliant, tum quia ventriculi coctionem adiuuando, sunt in causa, vt laudabiles vapores in cerebrum ferantur, tum quia acriores, ac serosos salidiores humores per plures partes, ac præcipuè per vrinas expurgando,

do,

do, vigiliarum causas adimunt, tum quia denique resiccatum cerebrum quemadmodum & alias nostri corporis partes humectant, vnde Galenus 4. de san. tu. c. 4. vinum semicrudos concoquere humores, quantum aliud quiduis, tùm sudorem, vrinamque promouere, ac somnum conciliare scripsit; & similiter 2. de loc. aff. c. vlt. propè finem ait, vinum modicè dilutum somnum inducere videmus, reliquorum medicamentorum exemplo, quæ refrigerare, & humectare possunt, meracius autem vinum vigilias inducit; quod denique paucifera vina humectent, ex eo colligi potest, quod bonum sanguinem gignant, & ad eum in omnes corporis partes facilè distribuendum conducāt, hinc Galenus 1. de san. tu. c. 11. vinum non exiccare, sed nimium humectare ait, & propterea id ipsum vetat, non enim vtile est (ait) ipsos supra quam par est, humidos, calidosque fieri, quoniam eò iàm caloris, humorisque peruenerunt, vt si paululum vtramuis qualitatem auxeris, iàm modum excesserint, & paulo post suadet, vinum vtile esse ad eam siccitatem, quæ in solidis partibus, aut ex immodicis laboribus, aut ex proprio ætatis tēperamento prouenit, humectat nanque, ac nutrit quicquid immodicè siccatum est, quare cum melancholicorum plurimi valdè emaciati sint & eorum corpus refici, ac renutriri opus habeat, illis vina prædicta accommodatissima erunt, his enim solis in potu vtendum censet Galenus 7. meth. c. 6. omnibus, quibus refici corpus est opus, nam huiusmodi vina vt (inquit ipse) si inflata sint precordia, subsidere ea faciunt, nec inibi moram trahunt propter caloris mediocritatem, adde quod cum digestionis vias aperiant, & paritèr impellant, ac nutrimentum sursum agant, ad celeritatem deductionis in corpus conducunt, sunt præterea boni succi, & ad miscenda, concoquendaque ea, quæ in ventriculo, & in venis sunt, idonea, iam vires quoque organorum adaugent, & expellendis excrementis viam faciunt, eoque fit, vt etiam talia vina præter cætera vrinas moueant, quando & ipsa totum corpus celeriter transeunt, & impetu cursus sui excrementa secum expellunt, Hucusque Gal. hinc mirum non est, si melancholicis vinum conuenientissimum sit, & in libello de melancholia ex Galeno, Rufo, & Possidonio melancholicis vinum album, tenue, nec valde antiquum concedi videmus neque contra nos facit Hippocratis sententia de rat. vict. in acut. vbi in mētis læsione à vino penitus abstinendum esse iubet, nam & ibi vinum aquosum excludit, tanquam quod cerebrum minimè feriat: sic & Gal 1. de san. tu. dum ait, quod vinum partem animi rationalem hebetem, turbidamque reddit, addit, nisi modicè sumptum, nanque vt ipsimet in 3. epid. comm. 2. ægr. 8. optimè notat, omnium vinorum immodico vsui commune est, vt neruos tentet, & mentem; Cæterùm quid plura? melancholici crasso humore, ac feculento sanguine semper redundant, sed vina alba, ac tenuia humores crassos incidunt, attenuant, & sanguinem

guinem per renes expurgant ex Gal. de attenuante vict. rat. c.12. Tandem melancholici timent, ac tristantur, sed laudabile vinum modicè sumptum timorem, ac tristitiam imminuit, nec præter rationem, cum crassum, ac fęculentum humorem spiritus animales tenebricosos reddentem corrigat, ac bonum sanguinem gignat: vnde quod de hoc proferat Gal. lib. quod animi mores c. 3. hic transcribere non grauabor: „ Si quis vinum scitè bibat, non malum, sed bonum, nam reuera si moderate bibatur, & concoquet, & distribuet, & sanguinem creabit, & nutriet, magnoperè autem cum hoc conducit, & ad nostram animam mitiorem iuxta, atque audaciorem efficiendam, per corporis scilicet temperaturam interpositam, quam rursus interuenientibus succis operatur; sed nonne per ora omnium fertur antiquum adagium, nẽpe quod vinum exhilaret corda hominum? sed huius quoque effectus causam, tanquam coronidis loco afferamus per aurea Valesij verba ex c. 27. Sacræ Philosophiæ deprompta, & ad litteram; " Vinum lætificat cor hominis ob citam spirituum vitalium refectionem, quorum penuria, cum melancholici laborent, tristes esse consueuerunt; & quia suauiter calefacit, laxat, funditque cor, quem eundem motum illud per lætitiam subit, vt enim per tristitiam contrahitur, & torpescit, ita per lætitiam laxatur, & titillat, cuius motus calor suauis accomodatissima causa est.

An Balnea melancholicis conueniant? Cap. XXIV.

SI, dum Balnea simpliciter proferimus, aquarum dulcium balnea intelligamus, quemadmodum intellexit Gal. lib. 7. de compos. med. loc. c. 1. nullus dubitandi locus remaneat ijs, qui rectè huiuscemodi rem perpenderint, siquidem melancholici humoris talem morbum efficientis natura animaduersa, nil melius excogitari potest inter extrinseca remedia ad illius duritiem, ac crassitiem emolliendam, atque attenuandam ipso aquarum dulcium balneo, tanquam eo, quod sua caliditate, atque humiditate humores, vel crasse factos fundat, ac veluti eliquet, necnon vias laxando, cutisque poros aperiendo ipsis expurgandis accommodatum sit, vnde non mirum si Gal. 3. de loc. aff. c. 7. monuerit amicos, se frequenter solo balneo melancholicos curasse. Hinc igitur pateat quoque quod quantum in hisce affectibus melancholicis aquarum dulcium balnea extollimus, tantum mineraliũ aquarum balnea detestamur: hæc enim aufugienda omninò censemus, tanquam quę nimis totum corpus exiccent, cutisq; poros strictiores reddendo morbificum humorem intus magis concludere, ac conculcare possint: Nonnulla tamen possent in contrarium afferri, & primo aquarum dulcium balnea melancholicis non esse vtilia propter vẽtriculi imbecillitatem, qua ferè semper melancholici concomitantur, nam cum

hæc

hæc relaxent, iam imbecillioris ventriculi concoctrix facultas omninò prosterneretur: Præterea melancholici, cum eorum plurimi assiduis ferè cruditatibus scateant, si tali balneo vtantur, periculum est, vt incidant in febres, nam balneum cruditates in ventriculo contentas calefaciendo, & attenuando, in venas educit, nec inde propter illarum visciditatem, ac crassitiem euacuans, est in causa vt obstructiones fiant; indeque febres exoriantur, atque ita pro irrita vnius affectus ablatione plures consurgant; hinc Gal. lib. 1. de simpt. caus. c. 5. ait " Iam aliquos qui cruditate laborarant, scimus, cum quieuissent, nullo affectos dolore; cum balneum fuissent ingressi, aut in sole stetissent, horruisse, nam balnea, excrementa, quæ prius quieuerant, calefaciendo, attenuando, ac in spiritum vertendo ad motum excitant: Tandem cum melancholicorum habitus frigidus sit ad quid ipsos magis refrigerare? calidis opus habent, non frigidis, qualia sunt prædicta balnea, nanque & si aqua actu sit calida, nihilominus potentia maxime frigida est, vnde Gal. lib. 1. de arte curat ad Glauc. c. 9. dixit, omnia huiuscemodi balnea humectare, ac potentia refrigerare. Hæ rationes facilè soluuntur, nam quoad priorem attinet, respondetur ventriculi imbecillitatem in melancholicis interdum quidem euenire posse ob ipsius tunicarum relaxationem, ipsarumque nimiam humiditatem, sed vt plurimum propter earundem siccitatem contingere; etenim melancholici vt plurimũ emaciati sunt, ac substantifica carent humiditate; adde quod sæpissimè ex feruidiori iecinoris intemperie melancholicum sanguinem gignentis producitur hic morbus, ex qua iecinoris caliditate ventriculo propriũ pabulum subtrahitur, vnde in siccitatem, ac veluti marcorem ipse declinat, quo casu saluberrimum est aquæ dulcis balneum, nam humectando ventriculum veluti viuificat, ac restaurat; hinc Galeni habemus experimentum lib. 6. meth. c. 6. qui iure optimo, optimoque successu vsus est aquæ dulcis balneo in curatione illius à medicis siccati, qui siccus, & gracilis admodum redditus erat, propterea quod ventriculus eius ex sicca intemperie imbecillus male concoxerat; & huius rei veritatem habemus etiam in libello de melancholia ex Gal. Ruso, & Possid. vbi balneis frequenter vti, ijs non parum prodesse docemur, qui ventriculum habent ad concoquendum non idoneum: si igitur in melancholicis ventriculi imbecillitatem ex eius tunicarum relaxatione, ac nimia humiditate pendere coniiciamus, à balneo desistendum erit, si verò à siccitate, quod vt plurimum in ipsis contingit, tunc balnei vti optimè consultum fuerit; & si cruditates in ventriculo, ac primis vijsc oaceruatæ sint, ipsas priùs, vel per vomitum, vel per sedem euacuabimus; ne in nouos, ac grauiores affectus perducantur melancholici, quæ si crassiores, ac viscidiores fuerint, dissiccantibus, atque attenuantibus eas quoque præparare opus erit, vt faciliùs è corpore pos-

fint

sint educi, his enim euacuatis, tuto balneis vti poterimus; Ad id tandem, quod de totius melancholicorum habitus frigiditate opponitur, respondendum est, melancholicos non omnes frigido totius corporis intemperamento, præditos esse, sed eos, in quibus frigidus, & siccus humor toti corpori suas iam qualitates impertitus est, vt in valde progressa melancholia contingere solet, antea enim cum feruidiori hepatis caliditate donati sint, totum etiam corpus ipsis veluti exustione afficitur; ita & hypocondriacos, vt plurimum alicuius visceris phlogosi diuexari scimus, quorum omnium excedentem caliditatem balnea mirificè attemperare possunt, ac insuper quicquid in corpore, vel fuliginosum, vel fumidum est, euacuant, vt monet Gal.10. meth. c.10. quæ fuliginosa, ac fumida, vt plurimum sunt illa, quæ in cerebrum delata melancholia producunt; Præterea cum in melancholicis sicca magis vrgeat intemperies, quam calida, vel frigida, non est vt ratione frigiditatis à balneo desistamus, imo nec balneum frigidus corporis habitus renuit, quandoquidem illud cum sit actu calidum frigidas etiam partes excalefacere potest, quod & potentia etiam valet efficere, quatenus ad eas calorem euocat, & vtili humore madefecit, dummodo ipso temperato, ac modicè vtamur, si enim ipsius frequentior sit vsus, efrigerabit; Cæterum de hac re satis manifestum exemplum affert Gal. in lib. de offic. med. sect.3. commento tex. 15. dum ait moderatam aquæ calidæ persufionem carnem temperare, si frigida prius erat, calefaciendo, si calida refrigerando, non secus ac balnea aquæ dulcis, hæc siquidem eos calefaciunt, qui ex itinere immodico frigore emoriuntur, exustos verò non lædunt, videntur enim temperatæ aquæ solio delectari, & vindicari post balneū à siti. Hactenus Galenus cuius si apertiorē sententiam velimus, afferamus eam, quam lib. de Marcore c.7. scripsit his verbis. " Omnes siccitates, siue frigidæ, siue calidæ extiterint, balneum requirunt, etenim hoc mirabile habent balnea, quod & calidas, & frigidas siccitates iuuant; Quibus omnibus vnum ab Hipp. dictum in lib. de rat. vict. in morb. acutis comm. 3. t.58. & à paucis animaduersum (nam & hoc Gal. in commento prætcrijt, adijciam, nimirum quod balneum nares humectat, per narium autem humectationem, non eam intelligerem ego, quæ ab humida qualitate aquæ balnei in propria partium substantia fit, sed quæ ab excrementis in cerebro contentis fit, dum per nares expurgantur, nam quamuis balneum sternutamenta non excitet, nihilominus humores, qui prius in cerebro quiescebant, fundendo, est in causa, vt per nares euacuentur, & ita nares humidiores reddantur; quantum autem melancholicis humores crassos in cerebro contentos per nares expurgare prodesse possit, omnibus rectè sentientibus diiudicandum relinquimus; Franciscus Valesius hunc Hippocr. locum in suis doctissimis commentarijs explicans sic scripsit.

"Constat vero narium humectationem desiderari in ijs solum, quibus siccæ sunt plurimum, quibus si caput doleat, consentaneum est narium humectatione solutum iri, nam euacuabitur doloris causa; Humectantur vero quæ siccæ erant nares, cum quod crudum concoquitur, quod concretum, liquatur, quod siccum, humectatur, quod adstrictũ, laxatur; hæc vero facere natum est balneum;

An Venus Melancholicis prosit? Cap. XXV.

AVicennas lib. 3. fen. 20. c. de de iuuamentis coitus, scribit vsum Veneris maximè omnium melancholicos iuuare, quam sententiam, & ante ipsum videtur habuisse Paulus lib. 1. c. de rebus venereis; qui omnes sorte Aristotelem sequuti sunt, sect. 4 problem. 31. vbi melancholicos, vel ex frequenti veneris vsu adiuuari asserit, & hanc affert Philosophus rationem, quia semen flatus decessio sit, & melancholici flatu redundent, ergo (subdit ipse) quibus semen amplificatum est (vti melancholicis contingit ob flatuum copiam) hos sæpe purgari appetere necesse est, sic enim efficitur, vt leuentur. Ego huiusmodi problema sæpius mente reuoluens, & certo certius sciens, quod non solum immodica venus melancholicis non prodest, verùm quod ne modica quidem omnibus prodesse potest, in varias trahebar opiniones, scilicet aut non esse problema Aristotelis genuinum, aut ipsum à veritate decessisse; sed iterùm, atque iterum illud perpendens, in aliam tandem deueni sententiam, nimirum Aristotelis sensum non adhuc forte satis explicatum esse à commentatoribus, aut saltem alio modo interpretandum esse, quemadmodum infra dicetur. Verum enim verò dicere problema id Aristotelis non esse genuinum me dehortatus est Galenus cum hic in 6. epid. comm. 3. t. 12. huiusmodi problema tanquam Aristotelis proprium afferat ad verbum; neque me terret scrupulus, qui posset innasci, dum idemmet philosophus alijs in locis scribit venerem immodicam conferre morbis, qui à pituita fiunt, vti in 51. problem sect. 1. & in 17. sect. 4. quomodo enim possit melancholiæ morbo siccissimo prodesse, quod humidissimis morbis à pituita contractis remedio est? certè si nodum hunc soluere vellemus, necesse esset pluribus aperire quomodo venus pituitosis morbis conferat, sed quia nos ad alia tendimus, idcircò breuiter tantum dixerimus tum à pituita, tum à melancholia pendentes morbos frigidos esse, quibus forte ob motum, ac proinde calorem excitatum beneficio concubitus consurgat vtilitas. Cœterum quoque temerarium fuisset de falso arguere Aristotelem, cuius inuentis (vt rectè Macrobius 7. Saturnal. c. 6. protulit) nec ipsa natura dissentit. Sed ad problema accedamus, in quo duo veniunt examinanda, videlicet an venus melancholicis, & ijs, qui melancholia morbo detinentur, conferat, & an semen flatus decessio, seu excretio sit; Quoad

primum tantum abest, vt melancholicis venus prosit, quin potius, maximè officiat, & præsertim sæpius iterata, nam cum in venere seminis excretio fiat, quod ex laudabiliori sanguine, & spiritibus præsertim vitalibus confectum est, hinc natiui caloris, & substantificæ humiditatis iactura fit, quare cum melancholici natiui caloris penuria, & siccitate laborent, nihil peius est ipsis, quam veneris vsus, qua de causa, Gal. 6. de tu. san. c. 4. Venerem omnibus, qui sicco temperamento sunt, inimicam esse, & potissimum iis, qui cum siccitate frigiditatem quoque habent adiunctam scripsit, imò & in 6. epid. comm. 5. t. 28. omne corpus venere exiccari profert; sed & hoc confirmat experientia, nam si propter excretionem flatuum venus melancholicis prodesset, quinam maius auxilium reportarent à venere, quam hypocondriaci melancholici vocati, qui maximè flatuosi sunt? & nihilominus eos ab ipsa summoperè lædi obseruamus; en fida Galeni experientia in 6. epid. loco iam cit vbi sic scribit: " Affectu flatuoso vocato, præcordiali, & melancholico vexatis, cum venere vtuntur, inflari magis ventrem contingit; nec mirum si in venere calor natiuus imminuatur, quo imminuto flatus in humano corpore gigni, ac multiplicari necesse est; præterea cum in melancholicis cerebrum semper lædatur, & in ipsis ob ventriculi imbecillitatem cruditates, ac flatuositates vt plurimum existant, ad quid veneris vsu cerebrum magis lædere, ac ventriculum magis imbecillum reddere? A venere cerebrum lædi, viresque simul elidi, ac debilitari protulit, Gal. in 3. epid. comm. 3. ægroto 16. & ab ipsa stomachum labefactari non mediocriter, eumque à veneris abstinentia confirmari quam maximè testatus est in eundem lib. comm. 1. ægroto 1. Quoad alterum spectat, non semper semen flatus excretio, seu decessio erit, sed hic sensus de morboso tantum semine intelligendus erit, hocque magis in melancholicis, & hypocondriacis præsertim veritatem habebit, quoniam in illis flatuum copia insultat; profecto laudabile semen, & in homine rectæ valetudinis, non flatu, sed spiritu turget, qui spiritus per optimam coctionem à valido natiuo calore gignitur, flatus verò per imperfectam coctionem, quæ cruditatem redolet, & à debili, seu imminuto natiuo calore producitur, vnde de morbido, vt diximus semine ibi loquutum fuisse Aristotelem fatendum erit, alioquin ille sibimet ipsi dissentaneus foret, nanque lib. 2. de generat. an. cap. 3. ait inesse in semine omnium, quod facit, vt fœcunda sint semina, videlicet, quod calor vocatur, idque non ignis, nec talis facultas aliqua est, sed spiritus qui in semine, spumosoque corpore continetur, & natura quę in eo spiritu est proportione respondens elemento stellarum. Modo quis in flatu facultatem contineri dixerit proportione respondentem elemento stellarum? sed & semen ex optima coctione fieri demonstrauit Aristoteles lib. 1. de generat. animal. c. 18. dum vtilissimi, & vltimi sanguinis,

ex quo iam vnumquodque gignitur membrum semen partem esse enŭclauit, item & dum vlterius ostendit, semen neque in prima ætate, neque in senectute, neque in morbis esse; hoc enim pueros carere inquit propter incrementum, ægros propter imbecillitatem; senes verò, quia satis eorum natura non possit concoquere, nec quis ineptè dicat per flatum intelligi posse spiritum, nam melancholici spiritus indigni sunt, at ibi flatu eos redundare inquit philosophus. Sed iam ad problema accedamus, quod ego re vera ita breuissimè interpretandum esse censerem, nimirum melancholicos libidinosos esse ob copiam flatuum, qui pudenda erigunt, & ad venerem stimulant, & eosdem ex iterata venere leuari, non simpliciter quidem sed eatenus leuari, quatenus flatibus vna cum illaudabilis, & crudioris seminis emissione exonerantur, & quatenus in ipsis flatus pudenda tendentes eo temporis imminuuntur, non tamen inde beneficium, aut vtilitatem melancholicos recipere intellexit Aristoteles, cum ipsis proculdubio detrimentum potius resultet, nam si in eorum semine, quantùmuis vitiato, & imperfecto, aliquantula vitalis spiritus portio reperiatur, & illam excerni necesse est, ac proinde ex frequenti venere natiui caloris iacturam fieri, hinc eorum corpora alioquin frigida, & sicca, & frigidiora, & sicciora reddentur, & ita perniciem sibi parabunt, atque citiorem interitum: Hinc doctissimus Guastauinus in suis aureis commentarijs hanc rem optimè prospexit, quam etsi non explicuerit, saltem tetigit, dum ita commentatus est; " Caloris igitur debilitate in omnibus magna redundat flatuum copia; ab ea enim excitari flatus ex Galeni doctrina varijs in locis, medicis omnibus notum est. ex hac igitur flatuum copia veneris oritur appetitus, & stimulus, quem vt tollant, flatuque vrgente purgentur, venere vtantur necesse est, quamquam re vera impetum potius, & incitamentum quam facultatem ijs omnibus adesse existimari possit, calore natiuo, sine quo omnia languent debilitato; impetus tamen ille, & stimulus est, cui si obtemperent, ea quidem re, quantum fieri potest, inquit, leuantur, eo scilicet modo, quo diximus, & pro eo momentaneo temporis spatio, nam tractu temporis quemadmodum iam dictum est, ex venere multiplicantur flatus, ac proinde melancholici peius se habent; hinc iure optimo Gal. in 6. epidem. comm. 3. t. 26. increscentes morbos inter quos melancholia recenset, semper coitu exacerbar fatetur. His omnibus & Auicennas fauet lib. 3. fen. 1. tr. 4. c. de cura melancholiæ, vbi veneris vsum in melancholicis, & sudorem vehementem damnat, quia nimis exiccent, nec sibi contradicit ille, si expenderimus, quæ Gal. scripsit loco nuper citato, nam ibi in fine commenti hæc habet: " Concubitus interdum refrigerando prodest, solis illis subueniens, in quibus ob naturalem intemperiem fuliginosi halitus, fumidique redundant, qui si retenti fuerint, illis grauiter nocent, ijdem

& a veneris vſu in tempore, modicèque adhibito vtilitatem capiunt, quare eos melancholicos, qui tali erunt intemperie prædіti, & in quibus excitabitur melancholia propter vapores ex combuſtis humoribus in cerebrum elatos, modico veneris vſu, & in tempore adhibito iuuari poſſe non negamus: quos inter recenſendi ſunt etiam, qui ex ſemine melancholiam patiuntur, quorum in prima huius operis parte iam meminimus: Neque hæc à ratione diſſentanea ſunt, cum veneris mediocritas prauos ſuccos habentibus commune ſit auxilium, quemadmodū ex poſtremis Galeni verbis 6. de ſan. tu. c. 6. colligitur, quare & Auicennam, & Paulum, & alios, qui veneris vſum laudarunt, de his proculdubio intellexerunt, de quibus loquutus etiam fuit Abyabbas 5. Theor. inquiens, quod ſi coitus fiat vſus, vt oportet, cogitationes cedunt, ira mitigatur, & maniæ, & melancholiæ prodeſt paſsioni, ſi autem non coeant, corrupto ſpermate fumi eleuabuntur putridi ad membra principalia, prædictas paſſiones inducentes; in alijs verò melancholicis, & ob alias cauſas factis venerem prohibere tutius erit, nam hi ſicci, ac flatuoſi ſunt, & vt plurimum etiam frigidi, qui quidem venerem appetunt flatu ſtimulante, ſed ipſis illius vſus eſt aduerſiſſimus, ſicuti euenit quibuſdam animantibus melancholicis frigidæ naturæ, vt aſinis, & mulis, quæ non niſi maxima intercedente noxa poſſunt rem veneream exercere, cum & materia non multa ſuppeditetur, pauciſſimi adſint ſpiritus, materia non multum acris, nec ſenſus partis valde inſignis.

An melancholici exercendi ſint, vel quiete potius detinendi? Cap. XXVI.

PEr motum, exercitationem, & labores, vnum, & idem in præſentia intelligi volumus, hæc enim, & ſæpè Galenus confundit, quāquam non ignoremus ab eodem inter ſe diſtingui 2. de ſan. tu. cap. 2. Præterea cum omne nimium ſit naturę inimicum, non immodicum corporis motum, aut vehementiorem exercitationem modo intelligimus, (quod enim immodicum, vbique damnandum authore Gal. lib. 1. de paruæ pilæ exerc. c. 3.) ſed quod menſura non careat, aut moderamine comprehendi volumus. Inſuper quoque ſciendum eſt, quod hæc non temere proponenda ſunt, nec talia ſemper, & abſolutè, ſed cum reſpectu, atque delectu, nanque eſt habenda ratio ætatis, uirium temporis, anni temporis, loci, & ſimilium, quæ plus, aut minus hæc prohibeant, vel expoſtulent, quare his priùs ſuppoſitis, & (ut fertur) cæteris paribus, tunc perquirimus, an motus ſit utilis in curanda melancholia, & an corporis exercitatio melancholicis magis profutura ſit, quam quies; Sed quomodo motus, aut exercitatio in melancholicis laudan-

da fiat, si hæc exiccent,& melancholici vt plurimum macie conficiatur? certe, si labores, aut exercitationes subeant, ad eam maciem deuenient, quæ aut tabes, aut torridus marasmus dici possit; Exercitia autem exiccare nos docuit Gal. pluribus in locis, sed præsertim in 6. de morb. vulg. comm. 3. part. 2. vbi omnes exercitationes, & carnium, & adipis, & succorum abundantiam minuere scripsit; Secundo melancholicos exercere esset contra Galeni præcepta, qui ipsos exercitijs non exiccabat, sed aquæ dulcis balneo, & humectante victu tractabat; sique protracto morbo eos purgare necesse fuisset, & valido medicamento, veluti elleboro, tunc melancholicorum corpora humida reddebat, & quo medio? partim multo cibo, partim quiete, nam quietem istud facere nemini dubium esse potest, dicebat ille lib. Quos & quando purg. oport. siquidem vt exercitatio membra exiccat, ita quies cum vacatio quædam, & exercitio contraria sit, humiditas conseruat; Tertio melancholici, & præsertim hypocōdriaci, quibus omnibus imbecillus est ventriculus cruditatibus scatent quippe vt narrabat Galenus ex Diocle humidum sputum, ructus, flatus, vomitiones, fluctuatio, & similia has manifestè commonstrant, quare melancholici non erunt exercendi, nec enim exercitare, nec omninò mouere expedit eos, qui in primis venis crudorum succorum copiam habent, siquidem omnes id genus motus succos illos in totum corpus agunt; seruandi igitur hi sunt in omni quiete, sic scribebat, Galenus lib. 4. de san. tu. c. 5. Tandem melancholici præter mætum, & tristitiā, quæ ipsos nunquam deserūt, vigilias patiūtur: quare si ipsos exerceas, magis vigilijs infestabis & ità non curari, aut profligare, sed augere, & exacerbare melancholiā erit, quando ex assiduis vigilijs, multiplicatur in cerebro melancholicus humor; Quod autem vigilias afferat exercitatio inde probari potest, quod humores & excrementa; attenuet, & excalefaciat, & in spiritum vertat, sicuti asserit Galen. 2. de Sympt. cauf. c. 5. cum autem vigiliæ ex sicca in cerebrum euaporatione ortum habeant, porro augeantur istę, dùm siccus atrabilaris humor in spiritum, & vaporem ab exercitatione vertetur; Cęterum hisce non obstantibus veriorem sententiam censeo, in qua melancholicos exercendos esse adstruitur, quod vt manifestè pateat, ad superiores rationes diluendas accedo, & quoad primam respondetur motus, & exercitia magis, quàm par sit, aut immodicè adhibita exiccare, sed si cum moderatione, & mensura adhibeantur, non modo non exiccare, sed etiam impinguare, vtrumque asserit Galenus in 6. de morb vulg. comm. 3. part. 2. Hoc dùm ait, quod tardæ ambulationes, & tardæ exercitationes corpora pinguiora efficiunt (& certè deambulatio, & exercitatio tarda melancholicis alioquin imbecillis, ac macilētis moderata erit) Illud vero his verbis subnectit; Siquidem veloces cursus,

sus, exercitationesque similes & carnium molem detrahunt, & succorum exuperantiam inaniunt, fereque ab omnibus hęc & exercitatoribus, & medicis conceditur, quod autem horũ velocitas immoderantiã sequatur nobis laborandum non erit; Ad secundam dicimus Galenum in recenti melancholia curanda balneis quidem, & humectante victu vti, non tamen prohibuisse modicas exercitationes, quas etiam si ibi non proposuerit, alibi commendare non desijt, vt infra manifestum fiet; siq. melancholicorum corpora elleboro purganda multo cibo, & quiete humidiora reddebat, non ijs assidue vtebatur, & in toto melãcholię cursu, sed per aliquot tamen dies ante ellebori exhibitionem, nãm si in melancholia quotidiè multos cibos ægri assumerent, ventriculi languidus, & imbecillus calor suffocaretur, & præ excrementorum copia opprimeretur, quare quemadmodum non multo cibo quotidiè vsum fuisse Galenum verissimum est, sed per aliquot paucos dies ante propinandum elleborum, sic & de quiete intelligere par est; imò hinc arguere debemus, quod si Galenus ante elleborum multo cibo, & quiete vtebatur, alijs temporibus, & modico cibo, & motu vteretur in melancholicis curandis, nãm si toto melancholiæ cursu multum cibum, & quietem adhibere ipsi mos erat, frustra, & ineptè animaduertisset multo cibo, & quiete vtendum esse ante elleborũ. Ad tertiã Respondetur melancholicos sæpè vel vomitu, vel clysteribus, vel lenientibus medicamentis à superfluitatibus primarum viarum expurgari, crudis succis prius incisis, detersis, & attenuatis per apposita medicamenta, á quo tempore ipsos leui motu exercendos esse diiudicamus, hoc enim vtile, ac proficuum erit; nam cum priùs crudæ superfluitates fortè obturarent ventriculi, mesenterij, ac intestinorum venas, ventilationem prohibebant, ac veluti accensionem quandam excitabant, quæ cruditatibus demptis, aut saltem valdè imminutis moderata exercitatione emendatur, hinc Galenus in art. medic. c. 85. profert, quod totum corpus salubriter perflari facit exercitij moderatus vsus; imò siquid crudorum succorum in primis viis remanserit, id leui exercitatione vel ad coctionem, vel ad expulsionem aptius reddetur, aliquo enim pacto attenuabitur & calefiet, deniq. quę in dies generantur superfluitates expurgabũtur, hinc Gal. in 3. aph. comm. 15. scripsit, in siccitatibus superfluas humiditates dissolui, per imbres autem collectas putrifieri, nisi quis singulis diebus collectas exercitiis expurget. Ad vltimam demum respondetur, quod ab exercitatione quidem humores et excrementa in vapores vertuntur, quæ excrementa si plura sint, iam dictum fuit, ab exercitatione quiescendum esse, nec ea vti oportere, si vero euacuatum sit corpus ab excrementitiis humoribus, etiã si in eo pauci remaneant, tũc exercitationibus vti proficuum esse, nam pauci, qui remanserunt, si in

vaporem

vaporem vertatur ab exercitatione, tunc quoque facilius expelluntur è corpore, & ita vigilias afferre nequaquam possunt; Quod autem in vapores conuersi expellantur, ea ratione colligitur, quoniam ob exercitationem exiguos corporeæ molis meatus laxiores fieri accidit, vnde exhalatio vaporibus extra patet, Tandem quod ad exercitationem non vigiliæ, sed potius somnus sequatur experientia ipsa demonstrat, vnde Galenus 1. de Sympt. cauf. c. vlt. dicebat, quod veluti ab exercitationibus et promptius et profundius dormitur, sic et a sumpto nutrimento, quare cum melancholici vigiliis infestari soleant, id potius commodi in ipsis exercendis assequemur, vt somno promptius capiantur, sed quid plura? non tristitia, non vigiliæ, non gracilitas prohibebunt moderatas exercitationes, imò expostulabũt si Galenum præceptorem sequamur, en ille lib. 3. de san. tu. c. 12. ratione, et experientia edoctus (vt ipse testatur) vtitur post tristitiam ac post vigilias exercitatione, quæ apotherapia dicitur, hæc eius sũt verba, " Nam quoniam a vigiliis, et tristitia magis graciles, magisq. aridi, ac minus dicto audientes planè cernuntur, siccius existimandũ est his redditum esse corpus. Eiusmodi vero affectus partim molli fricatione cum multo oleo, partim temperato balneo sanantur; partim motu, sed qui & tardus sit, & citra valentiorem nixum, ac qui subinde quietem interponat, is verò apotherapeutici exercitii modus erat; Hactenus Galenus, quem superauit Aetius in exercendis melancholicis, & validiùs, siquidem hic Tetr. 2. serm. 2. c. 10. melancholicis labores imponebat, eosque in sole cum oleo camomelino, & nitro inungebat, nec præter rationem eo curationis modo vtebatur, Aetius, quando corporis exercitatio, tum propter melancholicum humorem, tum propter beneficia, quæ à laboribus resultant, in melancholia conuenire videatur, propter melancholicum humorem, quia cum hic frigidus & crassus sit, calefieri, & attenuari expostulat, sed iàm supra ostensum fuit calefacere, & attenuare exercitationes, ac motus; propter beneficia, quæ resultant, quoniàm ob exercitationes & natiuus calor augetur, & melior producitur sanguis, quorum vtrumque quam melancholicis prodesse possit, quisque diiudicet, cũ ipsi & imbecillo calore sint præditi, & prauo sanguine scateant; Modò natiuum calorem augeri Galenus 2. de san. tu. c. 9. sic testatur, " Quippè calefiunt corpora nostra & balneis, & calidarum aquarum lauacris, & cum per calidiores tempestates insolamur, & cum igni fouemur, et cum calidis medicamentis perfricamur; Cæterũm ab externo est omnis huiusmodi calor adscitus, nec de proprio principio, sed aliunde accensus, auctusque, exercitando verò insiti caloris augumentum animalibus ex ipsorũ corporibus excitatur. Quod verò melior progignatur, sanguis, ratio ipsa suadet, tùm quià aucto

calore

calore melius procedant omnes coctiones, tùm quià validius expellantur, excrementa, vnde purior remanet sanguis; hinc Galenus 3. de alim. fac. c. 25. exercitationes proprias non parum ad succi probitatem omni animanti conferre scripsit; Ampliùs cum melancholici cogitabundi sint, & in imaginationibus fixentur, ex leui imperato motu, & placida deambulatione præsertim per amæna loca à propriis imaginationibus diuerti aliquo pacto possunt, quos si quiete, & ocio detineantur, in illis magis fixari oportet, vnde mirum non est, si inter recentiores grauissimi viri, vt Mercurialis, & Ludouicus Mercatus moderata exercitia in melancholia curanda præscribant; Demùm aurea Hipp. sententia ex lib. de offic. med. comm. 3. t. 28. desumpta hanc quæstiunculam claudat, qua habet, quod motus roborat, ocium tabefacit, vel, vt alii legunt, labor firmat, ignauia resoluit.

An melancholici curandi in aere claro, vel obscuro sint detinendi? Cap. XXVII.

Breuissima esto quæstiuncula, nullum enim reperias authorē, qui melancholicis aerem clarum, & apertum conuenire non scribat, pauculas tamen rationes adducemus, quę melancholicis aptiorem esse subobscurum aerem, quam clarum ostendere videntur, sic igitur exordiamur, Aer lucidus, et clarus dissoluit, et minuit spiritus, quod patet exemplo illorum, qui ob spiritus visorii penuriam visus imbecillitate laborant, nec enim longinqua prospiciunt, imò et in vespere melius, quam in meridie multi visibilia cernunt obiecta, non enim ab aere lucidiori tunc dissipantur eorū visorij spiritus, ergo melancholici, qui vt plurimum excarnificati paucitate spirituum laborant, magis subobscuro, quam claro, & lucido aere gaudebūnt. Præterea aer obscurus humidior erit, lucidus vero, ac clarus siccior, quemadmodum ex diurno, atque nocturno, aere manifestum fit, quapropter in melancholicis curandis tanquàm siccis aer contrarius eligendus erit, nempè humidus, ergo obscurus vti talis ipsis salubrior erit, nec solum hac ratione, sed etiam quia in humido aere minor fit innati calidi deperditio, sicuti apertè satis confirmauit Galenus in 1. de morb vulg. comm. 1. part. 8. dùm semper aliquid vaporosum è corpore nostro emanari scribit, & in siccis flatibus plurimum, in humidis paucissimum. Amplius melancholicis, quibus infensissimæ sunt vigiliæ, omni arte, & industria procurandus est somnus, non solùm noctu, sed ètiam diu, quo tempore certè aer obscurus eligendus erit, vt qui somnum magis conciliet, Tandem melancholici, tanquam qui timidi, & animo deiecto extant, semper animandi sunt, ergo in aere obscuriori detinendi, & huius consequentię veritatem

tem manifestant, qui chynantropia, atque lycantropia laborant, isti enim die, qua clarus est aer, ac lucidus, hominum commercium aufugiunt, se abscondunt, latitant, valdeque timent, nocte verò, qua iam obscurus, ac tenebris refertus est aer, foras prorumpunt, omnia audent, in quemquam irruunt, timore deposito. Cæterum veritas, vna est, quam omnes vnanimes confessi sunt, nempè melancholicos, vti diximus.in aere claro detinendos, & præcipua ratio est, quià aere obscuro atque tenebricoso existente multiplicantur, tenebræ in spiritibus animalibus, ipsique atri, & caliginosi redduntur, atque ita melā-cholici delirij augetur causa; imò & melancholicus humor augebitur, quia non rarò prædictis spiritibus immixtus illorum opacitatis est in causa, nām aere nubiloso existente, ac proinde obscuriori, tunc melancholicus humor in corporibus nostris atrior reddetur, quam sub aere claro, atque sereno, vnde Galenus, qui hanc veritatem agnoscebat, dixit, in lib. Hip. de morb. vulg. loco suprac. quod vbi nubilus est aer, humor qui dominatur non potest non nubilosus generari, in pituitosis quidem naturis (dicebat ille) nebulosa, ac nubilosa, vt ita dicam, pituita, in biliosis verò nebulosa, ac nubilosa bilis generatur; Adde quod aer clarus, & apertus distrahit à fixa imaginatione, qua plerunque melancholici detinentur, obscurus verò est in causa, vt ipsi in proprijs imaginationibus, circa quas delirant, magis figantur; Nec nobis obstant, rationes in contrarium adductæ, omnibus enim vnica ferè responsione satisfit, si tanquam verum (vti verissimum est) supponamus, quod in curandis ęgris ei attendendum est, quod magis vrget, quare cum melancholia quælibet immediatè dependeat à spiritu animali tenebricoso, tanquàm à causa, nemini dubium erit, quod aer obscurus poterit quam maximè multiplicare dictorum spirituum nigredinem, ipsamque fouere, cum animalis spiritus ex aere, & vitali constet, & ob id omni studio à melancholicis vitandus est, nam etiam si siccitati tanquam humidior, nec non conciliando somno magis inseruire possit, hæ vtilitates ab huiusmodi aere petitæ nullius, aut parui admodum momenti essent, imò omnino vitandæ sunt, ne pro leuissimo bono grauissimum detrimentum incurreremus, & præsertim cum non desint alia plura, quę valentius prædicta commoda efficere possint, vt cibi, potus, & medicamenta, quæ nullam noxam spiritibus animalibus inferant. Nec nos angat deperditio illa calidi innati, quæ fieri dicebatur in aere claro, quandoquidem clarus aer, in quo detinēdi sunt melancholici, debet esse temperatus, non frigidissimus, non calidissimus, sub quo pręsertim fit iactura, & deperditio ista, imò si talis ob naturam temporis, vel climatis esset, omni arte ad prędictam temperiem reducendus esset, pręterea etiam si sciam ex Galeno ab ambiente nos aere semper propriæ substantiæ, & innati calidi deperditio-

Qq nem

nem moliri, nihilominus Galenus in supracitato loco de morb. vulg. nobis, quam maxime fauet, ibi enim dum ait semper aliquid è corpore nostro vaporosum emanare, & id paucissimum in statibus humidis, tunc potius excrementitium, quid, quam verè calidum innatum intelligit, cum statim subdat hęc verba „ Atque cum in corpore aceruatum hoc sit (nempe vaporosum illud) similem reddit nebulę, & caligini innatum nobis spiritum &c. quare retorquentes argumentum summa cum ratione possumus dicere, quod melancholici detinendi sunt in aere claro, nequaquam in obscuro; in hoc enim tanquam humidiori vaporosum illud non expurgabitur satis, atque ita detentum animales spiritus magis nigredine inficiet. Demum de Chynantropiam, atque Lycantropiam patientibus si sermo habeatur, res sano modo intelligenda est, nam tenebræ, quæ omnibus, vt plurimum terrorem inducunt, vti etiam de loc. aff. 3. notauit Galenus, illis accedente nocte non animum adaugent; sed ipsos tunc suo furore corripi contingit, quia iam cessat hominum commercium, à quo timor lycantropicis suboritur, præterea si ipsis tunc temporis augeatur audacia, atque animus ferociat, non id ex tenebris pendet, sed ex motu atræ bilis in eorum corporibus redundantis, quæ tunc moueri, & proinde furorem inducere nata est aptior.

Finis Quartæ, & vltimæ Partis.

INDEX CAPITVM TOTIVS OPERIS.

PARS PRIMA.

Qq 2 PARS

PARS SECVNDA.

FINIS.



